
D
IV 18
A

D. VII. 99

D. PETRI

DORLANDI,

DIESTENSIS OLIM CARTVSIAE PRIORIS DOCTISSIMI

CHRONICON CARTVSIENSE:

IN QVO DE VIRIS SVI ORDINIS ILLVSTRIbus, rebusq́; in eodem præclarè geſtis, nec non & admiranda plurimarum CARTVSIARVM *conſtructione ſcitè pertractatur.*

ANTE ANNOS QVIDEM CENTVM AB AVctore conſcriptum; nunc autem primò è latebris erutum, ac ſelectarum quarundã adiectione NOTARVM illuſtratum, publicoq́; bono promulgatum.

STVDIO F. THEODORI PETRAEI, CARTVſiæ Colonienſis Alumni.

Collegij Societ. Catalogo Taurinensis Jesu Inscrip. 1639

COLONIAE AGRIPPINAE
Apud Petrum Cholinum.
ANNO M.DC.VIII.
Cum gratia & priuileg. Cæſ. Maieſt.

48

VENERABILIBVS SVSPICIENDISQVE IN CHRISTO PATRIBVS, D. HERCVLI VVINCKELIO, peruigili Teuthonicæ Prouinciæ VISITATORI, Domuſq; Louanienſis PRIORI benè merito: necnon & D. THEODORO STVMPVVICKIO, Cartuſiæ Dieſtenſis PRIMATI integerrimo.

QVantum laboris ac operæ pretium fecerint, Venerandi ſuſpiciendique Patres, eximiæ aliquot pietatis doctrinæque Viri, qui in eo iam olim ſtudium inſumpſerunt, vt res à ſuis præclarè geſtas literarũ monumentis ad omnem poſteritatis memoriam conſignarent, hinc liquido cuiuis conſtare poſſe exiſtimo, quod etiamnum apud eruditos, prudentiæque opinione præſtãtes, magno in pretio eorum ſcripta habeantur, legantur, commendentur.

Equidem vix vlla reperitur tam vel vetuſtate incaneſcens, vel nouitate recens in Chriſtiano orbe reli-

gioſorum hominum (quãtum quidem reputanti ſubit) familia, quæ non ſuos aliquando habuerit, aut etiamnum habeat Viros omni literarum genere excultos, qui quidquid priuatim publicèq; in eorum religione geſtum eſt, ſtylo excoluerint, bonaq; cum fide ad Ordinis ſui decorem, proximorumq; ædificationem in literas retulerint.

Ita nimirum BENEDICTINI à Trithemio celebrantur; AVGVSTINIANI à Ioſepho Pamphilo, Signinæ vrbis antiſtite commendantur: qui ab ipſo D. Auguſtini ortu vſq; ad annum Domini 1575. elegans conſcribens [a] opus, illos qui aut vitæ ſanctimonia, aut literarum gloria inſignes iſto in ordine floruêre, percenſet. Quin & DOMINICANI hac in parte ſuos habent Leandros, Garzonios, Senenſes [b] Anthonios: qui quidquid laude dignum à multis retro annis geſtum eſt, publici iuris effecerunt. Inſuper & Petrus Lucius, Bruxellenſis, Bibliothecam edidit [c] CARMELITANAM. Similiter & Hen-

[a] Prodijt Romæ 1581.

[b] Pariſijs apud Niuelliũ, anno 1582.

[c] Florentiæ apud Georg. Mareſcbottum an. 1593.

Henricus VVillotius FRANCISCANORVM Athenas non ita dudum Leodij in lucem protulit: nec non & Petrus Rodulphus, Toſſinianus, Senogalliæ Epiſcopus,d Seraphicam texuit hiſtoriam. Quibus faſtigium inde ſatis magnificum impoſuit egregius hoc in genere architectus, Franciſcus Gonzaga, Mãtuanæ Vrbis celeberrimus Antiſtes: qui intelligens ijs qui præeſſent rem fore perutilem, ſi tale quoddam in lucem prodiret virtutum ac rerum præclarè geſtarum exemplar, in quo quaſi in ſpeculo vnico obtutu tanti Ordinis ſtatus conſpici poſſet, ingenti labore prægrande confecit volumẽ, æneis etiam pulcherrimis iconibus illuſtratum, in quo eleganti ſanè methodo tractat, de origine Seraphicæ religionis FRANCISCANAE, eiuſq; progreſſibus, legibus, forma adminiſtrationis, cœnobiorũ frequentia, perſonarum abundantia, &c. Hæc quidem illi.

d *Venetijs an. 1586.*

Romæ apud Dominicum Baſam in fol. an. 1587.

At verò ſoli BRVNONIADES (quod dolenter refero) etſi iam annos vl-

tra quingentos celebre per Orbem vniuerſum, ob inſignem vitæ ſanctimoniam, quotidianumque edomandæ carnis ſtudium, ſibi comparauerint nomen, neminem tamen à tam longo temporis interuallo adhuc habuere, qui illuſtres ſui Ordinis Viros in aliorum conſpectum produceret. Vel ſi quid hac ſuper re aliquando deſudatum eſt, id cellarum angulis protinus abditum, blattarum tinearumque morſibus fuit obnoxium. Quod cùm non noſtrũ duntaxat plerique, ſed & alij quàm plurimi bonæ æſtimationis viri ferrent ægerrimè, cohortati me ſunt, vt quæ PETRVS DORLANDVS, veſtræ olim Prouinciæ vir doctiſsimus, ac Dieſtenſis Cartuſiæ Prior integerrimus, de viris noſtri Ordinis illuſtribus ante annos plus centum conſcripſerat, ea vel nunc tandem à ſitu ac tenebris vindicando, in medium proferrem. Quorum æquiſſimæ ſanè petitioni cùm reluctari diutius non poſſem, cœpi illud quod penes nos erat peruetuſtum

manuſcriptum exemplar ſub incudem reuocare, ac Notis quibuſdã, ad rerum geſtarum hiſtoriam illuſtrandam comparatis auctam, Typographo euulgandum porrigere.

Cæterum opere iam ad finẽ perducto, cùm de Patrono illi adſciſcẽdo cogitandum foret, occurrit confeſtim Hadriani Imperatoris edictum, qui vti Aelius teſtatur Spartianus, lege quondam cauerat, vt *ſi quis ſuo in fundo theſaurum quempiam reperiſſet, ipſe potiretur; ſi in alieno, dimidium Domino daret.* Itaque poſcebat hoc meritiſſimo ſuo iure præſens hicà me erutus theſaurus, ac Dorlandi veſtri fœtus, integerrimi colendiſſimiq; Patres, intra Dominij veſtri conſeptũ natus ac educatus, iamque olim inſigni Louanienſis Cartuſiæ Priori P. Ioanni Delpho ab ipſo auctore correctionis ergo oblatus, vt non alio deflectens, ſed ad vos poſtliminio rediens, priſtinæ habitationis domicilium libens volenſque repeteret. Præſertim cùm ſi quis hanc genuino ereptam patri prolem, ad aliorũ

transferre iuriſdictionem conetur, inſignem profecto iniuriam vobis, vtpote legitimis poſſeſſoribus irrogaſſe cenſeri queat.

Quod ipſum pro ſuo erga Superiores reuerentiæ obſeruantiæq; ſtudio identidem mihi inculcauit fidelis ille Prouinciæ veſtræ filius, ac ſingularis induſtriæ pietatiſq; Vir, F. Ioannes Cammotius, rationi æquitatiq; id nimirum quàm maximè conſentaneum arbitratus. Præcipuè cùm toti iſti Prouinciæ iam dudum conſtet, quantum ſolatij emolumentique à V. Patre ſuo Viſitatore, D. HERCVLE VVINCKELIO perceperit, non ſolùm cùm ante annos aliquot vniuerſæ cœpit præeſſe Prouinciæ, verum etiã quãdo in Cartuſia Brugenſi ac Bruxellenſi ſingulari cum induſtria Prioris officium horrendis iſtis Belgicorum tumultuum detonantibus vndequaque procellis, prudentiſſimè adminiſtrauit. In qua quidem communis patriæ tempeſtate ſingulariter quoq, emicuit virtus ac cõſtãtia

V. Pa-

V. Patris D. Theodori STVMPVVICKII qui vti olim Brugenſi in domo Procuratoris officium nauiter exercẽs, in modico fidelis eſt repertus, ſic poſtmodum dignus eſt habitus, qui ſupra maiora conſtitutus, Dieſtẽſi Cartuſiæ, in qua olim Dorlandus noſter quà ſcriptis, quà vitæ ſanctimonia floruit, merito præficeretur. Inter cuius equidem ſcripta, præſens hoc quod nunc damus Chronicon, primas facilè obtinet. In quo non ſolum diuerſas variarũ miraculosè conſtructarum Cartuſiarum origines pertexit, verum etiã præcipuos quoſque totius Ordinis GENERALES, qui vel inſigni pietatis ſtudio, vel prudẽtiæ eruditioniſque laude perpetuũ ſibi apud omnẽ poſteritatis memoriam nomen pepérêre, enumerat. Quorum tamen res geſtę ita hactenus ſub modio delituêre, vt plurimos non dico homines vita ac conuerſatione ſeculares, verum etiam religioſos ac profeſſione Cartuſianos, qui eorum vel nomina ſaltem nunquam auditu per-

ceperint, facilè ſit reperire.

Conqueritur ſuper hoc magnopere eiuſdem mecū & nominis & profeſſionis vir Loërius noſter, qui in fine vitæ admirandi iſtius Extatici Doctoris Dionyſij Cartuſiani, ordinem vniuerſum ſeriò conteſtatus, quod talium ſcilicet tantorumque inſignium virorum pręclara atque in omne æuum prædicanda facinora intermori patiatur, ita inter cætera ait. *Taceo nunc* GVIGONEM, BASILIVM, *aliosq́ maioris Cartuſiæ Priores, qui hactenus magna te ſanctitatis opinione gubernarunt. Quorum plurimi etiam tàm claruere miraculis, quàm fulſere doctrinis. Quos tamen præter te, licet innumeros, nouit nemo. Prætereo D. Bernardum,* c *Priorem Cartuſiæ Portarum, quem ad vitam redeuntes mortui, tacente te prædicant.* Et paulo poſt, *deficeret me,* inquit, *tempus, ſi recenſere vellem aliquot reliquorum illuſtrium Virorum legiones,* SANCTITATE *non minus quàm eruditione præſtantium. Quos cùm alieni magnis efferunt laudū præconijs, tu quaſi in gremio abſconſos tuos filios hactenus ſiluiſti.* Hæc ille, nec immeritò. Si namque ſolos hîc enumerare vellem, quos veſtra duntaxat Belgica illa belliſſima Prouincia

c De hoc vide Dorlandum lib. 4. cap.

uincia in omni virtutum genere celeberrimos noſtri Ordinis protulit viros,& maximè Louaniēſis ac Dieſtenſis Conuentus, quis quæſo orationis meæ tandem finis exiſteret? Quin imò, vel vnica illa quæ propè Angiam Hannoniæ oppidum CAPELLAE cōſpicitur Cartuſia, tam admirandæ pietatis eruditionisq; alumnos ſuo olim cōplexa eſt ſinu, vt[f] DORLANDO noſtro vberrimam commentandi materiam præbuerit.

[f] *Lib. 7 Chronici Cartuſ. c. 25. & ſeq.*

Verum enimuero, quandoquidem hæc ex ipſo potius Auctore, quàm ex mea hac prælocutione expiſcanda hauriendaque cenſeo, idcirco quantum quantum poſſum Vos queſoque oro, Ornatiſſimi Colendiſſimiq; Patres, vt præſens hoc veſtri inſtituti CHRONICON in paternam veſtram tutelam ſuſcipientes, meam qualemcunque opellam cōmunis Ordinis cauſſa bono publico deſudatam (vt vel hæc exempla inertiam fulciant huius æui, quod loquentiæ multum, ſapientiæ autem

tem veræque pietatis parum effundit) æqui boniſque conſulatis, meq́; ſanctis veſtris precibus, alijsq́ue pijs exercitationibus ſacrificijſq́ue ſupremo Agonothetę commendetis. Ex Cartuſia Agrippinenſi, D. Barbarae Virgini iuxta ac Martyri ſacratâ. Anno Dominici Natalis octauo ſupra millesimum ſexcenteſimum, ipſa Dominica Palmarum.

VV. Paternitatum Veſtrarum humillimus Filius

Fr. Theodorvs Petraevs, *Campenſis*.

LICENTIA REVERENDISS. PATRIS GENERALIS D. BRVNOnis Daffringues, conceſſa F. Theodoro Petræo ſua in lucem ſcripta edendi.

Placet nobis, dilecte fili, pium veſtrum & aſiduum in ſcribendo ſtudium. Quod & laudamus, veſq; ſtudiosè ad pergendum in illa propenſa de re Chriſtiana benè merendi voluntate hortamur. Cartuſiæ 12. Iunij. anno. M. DC. IV.

EX LITERIS EIVSDEM REuerendiſſ. Patris, anno 1603. 4. Iun. exaratis.

Perſtate igitur alacriter in hoc glorioſæ iuuandæ Eccleſiæ ſtudio. Quod vt faciatis, GENERALEM *vobis* LICENTIAM *damus edendi in lucem cætera quæ* EXCVDETIS *opuſcula.*

APPROBATIO CENSORIS.

PRæſens hoc CARTVSIENSE CHRONICON ante annos quidem centum ab AuctorePETRO DORLANDO conſcriptum, nunc verò primò in lucem prolatum, ac NOTARVM quarundam adiectione à F. THEODORO PETRAEO, Cartuſiæ Colonienſis Alumno illuſtratum; nihil omninò continet, quod vel Orthodoxæ fidei, vel bonis moribus ſit contrarium. Actum in Conuentu noſtro, an. 1608. 15. Martij.

Ita ego atteſtor F. Gysbertus Specbtius, Prior Dominicanorum Colonienſium, SS. Theolog. DOCTOR, *& hæreticæ prauitatis* INQVISITOR.

SYL-

SYLLABVS COMPLECTENS ARGVMENTA SINGVLORVM CAPITVM CHRONICI Cartuſienſis Petri Dorlandi.

CAP. I. *DE S. Brunone Ordinis Cartuſienſis principali inſtitutore.* fol. 8

II. *Quomodo B. Bruno mundum contempſerit & Archiepiſcopatum.* 21

III. *Inuentum Brunonem canes honorauerunt ſuoſque ſodales.* 23

Miraculum de S. Brunone. 28

SECVNDI LIBRI CAPITA.

CAP. I. *De ſancto Hugone Gratianopolitano Epiſcopo.* 29

II. *De aduentu B. Brunonis ad ſanctum Huponem & de ſeptem ſtellis.* 37

III. *De corporali eius ægrotatione.* 40

IV. *Quomodo & alios frenarit ſenſus ſuos.* 47

V. *De charitate eius ad inimicos.* 48

VI. *De æquitate eius in iudicio & de contemptu munerum.* 52

VII. *De efficacia prædicationis eius.* 54

VIII. *De Zelo iuſtitiæ eius & de morte illius.* 59

TERTII LIBRI CAPITA.

CAP. I. *Vita B. Patris Hugonis, Pontificis Lincolnienſis.* 70

II. *De laudabili eius adoleſcentia.* 72

III. *Quomodo ſanctum ingreſſus eſt Ordinem Cartuſienſiũ.* 76

IV. *Quomodo factus eſt Procurator Cartuſiæ.* 81

V. *Quomodo à Rege Angliæ Henrico aſcitus, Prior VVithamienſis efficitur.* 83

VI. *Quam ſolenniter & glorioſè Epiſcopus electus ſit.* 87

VII. *Quàm benignus fuerit in pauperes & leproſos.* 94

VIII. *Quàm deuotus fuerit erga S. Euchariſtiam & omnium ſepulturam.* 95

IX. *De miraculis S. Patris Hugonis in vita.* 98

Quo-

X. *Quomodo VVithamiam ſuam ſolitus ſit reuiſere.* 103
XI. *De prudentiſſimis reſponſis eius & quęnam eius opera mirifica.* 105
XII. *De deceſſu B. Patris.* 117
XIII. *De ſepultura B. Patris & miraculis eius atq; prodigijs.* 123
XIV. *De tranſlatione S. P. Hugonis Epiſcopi.* 131

QVARTI LIBRI CAPITA.

Cap. I. *De B. Lauduino ſecundi Ordinis Generali.* 133
II. *Quomodo Laudunus in Calabriam, ad D. Brunonem inuiſendum properans, in itinere interceptus carceri mancipatus ſit in quo & obijt.* 140
III. *De magno Patre Guigone quinto Ordinis Generali.* 142
† *Quomodo ſummi Pontificis Ordinem Cartuſ. priuilegijs roborauerint.* 154
IV. *De S. Anthelmo Epiſcopo.* 157
V. *De zelo iuſtitiæ B. Anthelmi.* 164
VI. *De eius inſigni charitate erga ſalutem proximorum.* 170
VII. *De miraculis B. Anthelmi, poſt obitum eius.* 174
VIII. *De Hugone altero Gratianopolitano Epiſcopo, ac poſtmodum Archiepiſc. Viennenſ.* 180
IX. *De Bernardo, Priore Cartuſiæ Portarum* 181
X. *De S. Stephano Dienſi Epiſcopo Ordinis Cartuſienſium.* 184
XI. *Ex hoc Priore Cartuſia Portarum eligitur in Epiſcopum Dienſem.* 188
XII. *Miracula, quibus hic ſanctiſſimus Præſul claruit.* 193
XIII. *Miracula, quæ poſt obitum edidit.* 196
XIV. *De Patre Baſilio, octauo Generali, qui vixit anno 1150.* 201
XV. *De B. Iancelino, decimo Cartuſianorum Generali.* 206
XVI. *De Patre Martino I. vndecimo Generali.* 211
XVII. *De Patre Boſone, decimo ſexto Generali.* 215
XVIII. *De Patre Haymone, decimo ſeptimo Generali.* 218
XIX. *De Petro Fauerij, primo quidem Priore S. Crucis Romæ, deinde vero Generali totius Ordinis Procuratore.* 219
XX. *De Venerabili Patre Claro, Generali decimo nono.* 22

D

XXI. *De P Iacobo de Viuiaco.* 228
XXII. *De V. Patre Ioanne Birellio, vigeſimo ſecundo Generali.* 230
XXIII. *De Patre Heliſario.* 241
XXIV. *De V. Patre Guilielmo Rainaldi, vigeſimo quarto Ordinis Generali.* 247
XXV. *De V. Patre Bonifacio, vigeſimo quinto Generali.* 254
XXVI. *De alijs quibuſdam Maioris Cartuſiæ Patribus* 260

LIBRI QVINTI CAPITA.

CAP. I. *De B. Petro Petronio Senenſi.* 267
II. *De Guilielmo Laico ſeu conuerſo Cartuſiæ Caſularum prope Genuam.* 268
III. *De B. Margarita Lugdunenſi, Ordinis noſtri Moniali.* 269
IV. *De S. Virgine Beatrice.* 270
V. *De Fratre quem B. Virgo Maria confortauit.* 271
VI. *De Fratre Stephano, Magdalenam diligente.* 273
VII. *De Mirabili virtute & efficacia vulgaris iſtius dicti,* Requieſcat in pace. 278
VIII. *De participatione Ordinis, & quid valeat.* 280
IX. *Cur Ordo Cartuſienſis quotidie Miſſam de Domina publicè priuatímq; perſoluat.* 281
X. *De quodam Fratre Henrico, Colonienſis Cartuſiæ Monacho.* 282
XI. *De quodam conuerſo ſimplici, perperam recitante primum verſiculum Pſalmi quinquageſimi.* 284
XII. *De alio quodam Eximij candoris ac columbinæ ſimplicitatatis conuerſo.* 285
XIII. *De felici morte Patris Alberti Arnhemienſis.* 286
XIV. *De Clerico quodam, cui à* Deo *reuelatum erat, quando moriturus foret.* 287
XV. *Prior quidam ſacris operans in altum diuinæ virtutis ope ſubleuatur.* 288
XVI. *De Monacho quodam admodum conſolatorio & in diuinarum laude peruigili.* 289
XVII. *De conuerſo ſimplici ac recto cuius anima Angelicorum miniſterio ſpirituum in cælum ferri viſa eſt.* 290
XVIII. *Vt Religioſi non differant tempeſtiuè ſuas perſoluere horas;*

ras, debitoq; tempore cubitum concedere. 291
XIX. De ſacerdote quodam ſeculari, qui cœleſti vocatione admonitus, Ordinem ingreſſus eſt Cartuſienſium. 292
XX. Quàm ſeuerè à Deo puniti ſint prædones aliquot, qui Cartuſienſium diripuerant bona. 293
XXI. De quodam cuſtode templi admodum ſtrenuo & exemplari. 296
XXII. Benignus quidam ad Laicalem redditorum admiſſus ſtatum ac laudabiliter in Ordine perſeuerans, poſt obitum glorioſus apparet. 297
XXIII. De fratre quodam circa Dominicæ paſſionis exercitium ſe exercente, cui Chriſtus in cruce apparuit. 298
XXIV. De Priore Prouinciæ Teutonicæ circa Ordinis diſciplinam ſtrenuo, è cuius tumulo pulcherrimi prodiêre flores. 299
XXV. De felici ex hoc ſæculo emigratione ſacriſtani cuiuſdam: qui infirmorum exiſtens Præfectus, cùm ergà peſte correptos valde eſſet obſequioſus, tandem etiam ipſe eâdem infectus lue, leni ſuauiq; morte, piè in Domino obdormiuit. 300
XXVI. De iuuene qui plurimos vidit Cartuſienſes in cœlo. 302
XXVII. De quodam Hieronymiano qui Dauentriæ moriens, faſſus eſt, ſe vidiſſe innumeram Cartuſianorum multitudinē in cœlis. 304
XXVIII. De Monachi ſanctiſſimi & humillimi beatiſſimo exitu cuius cella tota comburi viſa eſt. 305
XXIX. De quodam probatiſſimæ vitæ Procuratore, cuius precibus mater, iuxta ac matertera ex purgatorijs ereptæ pœnis, cœlum lætæ conſcenderunt. 307
XXX. Quo pacto idem Procurator ab Apoſtolorum Principe viſitatus, conſolatusq; fuerit. 309
XXXI. Claruit quoque idem prophetiæ ſpiritu, vti duobus comtu probatur exemplis. 310
XXXII. De quodam religioſo Montis Dei, Dominicæ Crucis zelatore ac amatore feruentiſſimo. 311
XXXIII. De fratre moriente, quem auicula cœleſtis ſuauiſſimo cantante obitum demulcebat. 312
XXXIV. Quædam eximiæ ſanctitatis noſtri Ordinis Monialis, poſt

tum exhumata diem, integra ac ſuauiter fragrans eſt reperta. 314

XXXV. Colonienſis quædam matrona filium ſuum ab Ordinis Cartuſ. ingreſſu auocare modis omnibus ſtudens, nulla tamen id ratione efficere valet 315

XXXVI. Paſtori cuidam ſeculari à quodam Franciſcanæ familiæ Monacho prædictum fuit, quod Religioſus aliquando eſſet futurus. 316

XXXVII. Quo pacto idem ille Paſtor ſuam differens conuerſionem verberibus à Deo adactus ſit, Religionem ingredi atque à Prioratus officio, quod aliquamdiu exercuerat, poſtmodum amoueri. 317

XXXVIII. Perdices pro infirmo quodam ad ignem, de medicorum conſilio aſſæ, in piſces commutantur. 320

XXXIX. Nouitius quidam de carnium eſu à Diabolo, qui eas attulerat tentatus, ad ſuum ſe ſuperiorem conſilij cauſa recipiens, dæmonis euaſit techna s. 322

XL. Alius quidam ab eodem maligno tentatus ſpiritu, vt gulæ ſatisfaciens, piſorum veſceretur iuſculo, conſimili conſeruatus eſt modo. 324

XLI. Reſpondetur Calumniatoribus, reprehendentibus Cartuſianorum inſtitutum, quod perpetuis temporibus carnium eſui renuntiauerint. 325

LIBRI SEXTI CAPITA.

Cap. I. Nouitius quidam fugam adornans, ac muro inſidens, Magiſtri ſui iam pridē defuncti monitu reuocatur, ad ſeculū ne redeat, ſed potius laudabiliter in Ordine perſeueret. 329

II. Alius quidam nouitius conſimilem volens ludum ludere, voce defuncti reuocatur. 330

III. Nouitius cappam nigram, quam Nouitiatus tempore nouellis Tyrones apud Cartuſianos geſtant, cum tædio portans, à Chriſto arguitur. 331

IV. Orationibus liberatus nouitius, rei Muſicæ peritiſſimus, cui Diabolo procurante & vox, & cantandi peritia ſubtracta fuerat. 332

V. Nouitius quidā dum ſororis irretitus blanditijs, vocationē ſuā deſerit, habitūq; abijcit in propioqui nemore vna cū

ſorore, ab ignotis beſtijs miſerè diſcerpitur. 334

VI. Nouitius quidam inſolita vermium diuexatione afflictus, cū de abitu cogitationē inſtituerat, facta profeſsione iuxta Prioris promiſſum, quam ocijſsimè liberatur. 335

VII. Nouitius Diaboli arte decem potitus aureis, intelligens tartarei hoſtis inſidias, abiecta animi inſtabilitate laudabiliter in Ordine perſeuerat. 336

VIII. In Cartuſia vltraiectina Nouitius quidam, priſtinarum memor diuitiarum deliciarumque cum abitum tacitus ſecum meditaretur, ab auicula perſeuerantiam eſt edoctus. 337

IX. Nouitius per ſcalam ſibi à dæmone ad deſcendendum in profundam malorum præparatam, in bonum conuertit omen, ſtabiliſq; permanſit. 339

X. Duo Nouitij parentum Lenocinijs ad ſecularem reuocatī vitam, ocijſsimè cum illis peſtifera infecti contagine, infeliciter hinc emigrarunt. 340

XI. Nouitius poſtquam monaſticum deſeruiſſet habitum, ingerens ſe laſciuis puellarum choreis, tegula è tecto in cerebrū decidente, miſerè exſpirauit. 341

XII. Nouitius non imperitus artis Muſicæ, poſt ternam inſtabilitatem, in gutture à Deo horribiliter punitus, vita infeliciter priuatur. 342

XIII. Nouitius quidam Coloniæ ad Ordinem admiſſus, cum ſemel diſceſsiſſet, ac poſtmodum denuò admitti poſtulaſſet, nequaquam voto quiuit potiri ſuo. 343

XIV. Nouitius opibus ac eruditione pollens Diaboli technis amicorumq; moleſtijs, toto Nouitiatus tempore mirabiliter exercitatus, tandem pridie quàm profeſsionem editurus eſſet, tentationibus omnibus miraculosè eripitur. 345

XV. Muſicus quidam de ſua gloriatus inſigni animi conſtantia, leui momento à ſuo quondam collega euertitur. 346

XVI. Cur nonnulli religioſi inſtabiles fiant minuſue proficiant, nempe ob humilitatis defectum. 347

XVII. Nouitius Inſtitutoris ſui monita deſpiciens, irridenſque ac ſeculum repetens, miſerabili eſt morte præreptus. 3.. 3

XVIII. *Nouitius timidior hominum, quam Dei, cauſam redeundi ad ſeculum fingit.* 349

XIX. *Adoleſcens quidam bonæ indolis, religionis ingreſſum procraſtinans, enſe ex inopinato transfoditur.* 350

XX. *De miraculoſa Cartuſiarum quarundam conſtructione, ac primo quidem de cella B Virginis Mariæ, iuxta Nurebergam diuinitus olim erecta.* 351

XXI. *De conſtructione Cartuſiæ Colonienſis, quam Archiepiſcopus VValramus in honorem B. Barbaræ cœleſti edoctus monitu, ibidem, ædificauit.* 353

XXII. *De Arnhemienſi Cartuſia, quæ vulgo Monachorum domus nuncupata eſt, quam Dux Geldriæ propè Arenauim, magnificè olim conſtruxit, idq́; ideo, quod Angelicæ illic aliquamdiu melodiæ eſſent inauditæ.* 354

XXIII. *Cartuſia Ruremundana, vbi olim meretricium contubernium fuerat, poſtmodum Bethleehemitica cœpit eſſe domus, ac caſtiſſimæ Dei Genitrici dedicari.* 355

XXIV. *De Monte S. Beati, prope Confluentiam, quando, & à quo quaue occaſione in Cartuſiam ſit erectus dedicatusq́ue.* 356

XXV. *Cartuſia Argentinenſis quo pacto à quadam ſolitaria diuinitus præuiſa, pari ciuium alacritate ac ſubuentione ædificari cœpta ſit.* 358

XXVI. *Fundatio Domus portæ Mariæ, iuxta Danubium fluuium, in Axpach Auſtriacæ Prouinciæ pago.* 360

XXVII. *Fundatio Domus Ordinis noſtri iuxta Tornacum.* 362

XXVIII. *Quàm admirabili euentu conſtructa ſit Cartuſia B. Mariæ de Pratis prope Monaſteriolum in Morinis ſeu Picardia.* 363

XXIX. *Quibus de cauſis inductus ſit Odo, Abbas S Remigij, vt celebrem illam ac peruetuſtã Montis Dei, Cartuſiam, Ordini ædificaret.* 365

XXX. *De Inſtitutione Domus Leodienſis.* 370

XXXI. *De Fundatione Domus S. Catharinæ iuxta Antuerpiam.* 372

XXXII. *Quo pacto Rex Galliarum cum conſorte ſua Pariſienſem conſtruxerit Cartuſiam, quæ vti ſpectris antea erat infeſta,*

feſta, ex vallis dæmoniorum, ſic vallis Dei vocitata eſt. 374

XXXIII, *De fundatione domus S. Annæ, prope Brugas, in Flandria, in qua eximiæ pietatis Moniales etiamnum degunt.* 376

SEPTIMI LIBRI CAPITA.

CAP. I, *De D. Nicolao Albergato S. R. E. Cardinali.* 380

II. *De V. Patre Dominico, Cartuſiæ Treuerenſis profeſſo.* 384

III. *De carmine Hymnoq; quod idem P. Dominicus in laudem B. Mariæ Virginis compoſuit.* 387

IV. *De diutina huius eiuſdem Patris ægritudine, ac ſingulari animi robore.* 388

V. *De inſigni Viro P. Bartholomæo, Viſitatore Prouinciæ Rheni, ac domus Ruræmundanæ olim Priore.* 390

VI. *D. P. Dionyſio Ryckelio eiuſdem Cartuſiæ alumno, eius q; ſcriptis ac reuelationi.* 392

VII. *Prima reuelatio facta P. Dionyſio.* 393

VIII. *Alia Reuelatio facta eidem.* 399

IX. *Alia eiuſdem Reuelatio.* 403

X. *Introducitur iam ipſa S. Mater Eccleſia ſuam exponens cum fletu querimoniam.* 407

XI. *Dionyſius audita ſuperiori S. Eccleſiæ querimonia, ſcriptis hortatur Prælatos ac Principes quatenus opem afflictæ matri ferant.* 410

XII, *Apologia ſeu excuſatio, cur Dionyſius reuelationem hanc ſibi ſoli factam ad aliorum notitiam venire voluerit.* 412

XIII. *Alia quædam reuelatio, eidem P. Dionyſio cælitus facta, ne ſcilicet Arnoldus Geldriæ Dux, bellum ſuo faceſſeret filio, eumq; prælio laceſſeret.* 414

XIV. *Quo pacto malignorum infeſtatione ſpirituum inquietatus fuerit.* 417

XV. *Cur Dionyſius Diabolo tantopere fuerit exoſus.* 418

XVI. *Videt animam Epiſcopi Leodienſis æternis adiudicatam gehennæ ſupplicijs.* 420

XVII. *Nouitius quidam iam vita functus, ſecundum quietem monet Dionyſium, vt promiſſo precum ſuffragio ſibi ſubueniat.* 422

XVIII. *Donatus defunctus conqueritur Dionyſio.* 423

XIX. *Reuelationem accipit de ſtatu Patris ſui defuncti.* ibid.

XX. *Frequenter in Ectaſin mentis rapitur, adeo vt non ſine cauſa Doctoris extatici præ ſe ferat nomen.* 424

XXI. *Cartuſianus quidam Ruræmundanæ domus à malignis inquietatus ſpiritibus ſumma potitur pace.* 425

XXII. *Reuelatur ei ſtatus animæ M. Ioannis Louanienſis, inſignis S. Theologiæ Doctoris ob pluralitatem beneficiorum purgatorijs flammis excruciati.* 426

XXIII. *Enarrat iam hic Dionyſius executoribus Teſtamenti, quo pacto viderit cruciari animam M. Ioannis Louanienſis Sanctenſis olim Eccleſiæ Præpoſiti.* 428

XXIV. *Inſignis Dionyſij Cartuſiani commendatio, & quam piè hinc ad Dominum emigrauerit.* 432

XXV. *Quo pacto P. Laurentius cõtempto ſeculo Cartuſienſe arripuerit propoſitum, ac quàm ſanctam in eo vitam duxerit, piè in domino obierit.* 436

XXVI. *De admirandæ pietatis patre D. Boſone ſingulari Beatiſſ. Virginis amatore: quæ & morienti adfuiſſe creditur.* 443

XXVII. *De P. Gerardo Bredano ſtatura quid[illegible]ſillo, literarum vero cognitione ſacrarum & librorũ ſcriptione inſigni.* 444

XXVIII. *De P. Guilermo Priore domus Capellæ prope Angiam.* 445

XXIX. *Quantæ patientiæ ac paupertatis fuerit P. Hugo Boletus, patria Delphus, officio Prior* 446

XXX. *Admirandæ virtutes P. Theodorici Delphenſis, profeſſi domus Capellæ.* 447

XXXI. *De inſigni viro Henrico Loenio diuerſarũ Cartuſiarũ Priore, quem patrem patrum nonnulli nominare conſueuerant.* 449

XXXII. *D. P. Arnoldo Carmano Priore eiuſdem iſtius domus Capellæ, ac Theutonicæ Prouinciæ Viſitatore.* 453

XXXIII. *De P. Arnoldo Gertrudemontano Vicario ac Procuratore domus Capellæ.* 455

XXXIV. *De Ioanne Aldenardo* ibid.

De

XXXV. De Stephano Senenſi Priore in Seyſt, qui ante Ordinis ingreſſum B. Virg. Catharinæ Senenſ. Amanuenſis extitit. 460

XXXVI. Eximiæ virtutis P. Oſwini de Becka, Cartuſiæ Gandenſis vti profeſſi, ſic ante Ordinis ingreſſum vtriuſque iuris Doctoris celeberrimi. 463

XXXVII. Mores ac conuerſatio Anthonij Suriani ex Monacho Cartuſiano Venetorum Patriarchæ electi, admirandæ pietatis viri. 464

XXXVIII. De quibuſdam reprobis noſtri Ordinis Monachis & proprietarijs. 467

XXXIX. Proprietarius quidam pecunias ſibi accepturus, ac reſipiſcere nolens ſe ipſum tandem laqueo ſtrangulauit. 469

XL. Alius quidam eodem contaminatus ſcelere & nequaquam ritè confitens, à maligno ſpiritu malè hinc eripitur. 470

XLI. Laicus quidam ex illorum genere, quos conuerſos vocamus, in vitio proprietatis peruersè moriens, exhumatur atq; in ſterquilinia proijcitur. 471

XLII. Quam horrendæ diuinæ vltionis vindicta deſæuierit in Monachum quendam inſtabilem, impoſtorem, ac varijs ſeſe ſacrilegijs contaminantem 472

XLIII. Frater quidam tertio ab ordine fugiens, poſt ſedulam inquiſitionem nuſquam terrarum repertus, funeſto exitu vitam finiſſe putatur. 475

XLIV. Alius quidam Dordracenus aliquoties quoque fugam adornans & luxurioſè viuens, ſine vlla tandem cordis contritione peſſimè obijt. 476

XLV. Duo officiales externis immerſis officijs, eaq; improbe adminiſtrantes, in curru vna profecti fulmine percuſſi exanimantur, maleq; intereunt. 478

XLVI. Duo ambitioſi fratres malitioſè inter ſe contra Priorem cōſpirantes, cùm voto eſſent potiti ſuo, infælici exitu diem clauſere extremum. 479

XLVII. Donatus quidam ab Ordine fugiens, & mulierculam ſibi ſacrilegè adſciſcens, inuiſibili correptus morbo, infæliciter expirat. 480

Prior

XLVIII. *Prior quidam Cruciferorum, Monachis ſuis ſuppeditans occaſionem ſtatuta Ordinis infringendi, pecuniasq; poßidendi, terræ hiatu cum ſuis horrendum in modum abſorbetur.* 481

XLIX. *Dominicanus quidam prædicando, confeßionesq; excipiendo plurimas acquirens pecunias; easq; Superiori ſuo reſignare recuſans, infelicißimè moritur.* 483

L. *Terribile quodam exemplum cuiuſdam Conuerſi, qui in Cartuſia Mantuana poſt obitum pecunias poſſediſſe deprehenſus, in ſterquilinium eſt proiectus; cuius tamen cadauer reperiri poſtea non potuit. Adijcimus autem hoc Coronidis loco ſicuti propria V. Patris Surij extratum manu, inuenimus. An. domini 1550. Cartuſianus, &c.* 484

AVCTORIS D. PETRI DORLANDI, AD V. PATREM D. IOANNEM DELphum, Louanienſis Carthuſiæ bene meritum PRIOREM.

OPere hoc noſtro Cartuſianæ Coronæ (adhibita Dei manu) in finem iam vſque deducto, cœpi circum attollere oculos, cui id potiſſimum viſendum, caſtigandumque committerem. Statim mihi (vt ſæpe, ita & nunc quoque) tu occurriſti, mi ſuauiſſime Parens, quem, pro tua ſingulari ſapientia, atque eruditione, dignum ſum arbitratus, qui hunc laborem meum & inſpiceres, corrigereſque, & ad iuſtam ſcitè limam deduceres: deductum quoque, vt tua eum auctoritate cõtra inſultantium linguas defenderes, obijcereſq; te robuſtum propugnatorem pro his Illuſtribus Viris noſtri Ordinis, quos hic ſtatui commemorandos. Conſtat enim hos

fuiſſe Apoſtolica gloria claros, & inter primas ſublimium Sanctorum cohortes digniſſimè numerãdos. Habent Ciſtercienſes, habent Cluniacenſes, habent & Diui Dominici & Franciſci Ordines viros magna ſanctitate conſpicuos, & magnorum operũ patratores. Sed nos (vt cum pia fiducia loquar) hac in parte pauperiores non ſumus, quod tu, mi Pater, & quiſquis hæc legerit, facilè comprobabit. Si de internis Sanctorum virtutibus aliquid inquiris, inuenies hîc, qui ſublimi humilitate, qui ardentiſſima charitate, qui & patientia & paupertate altiſſima ſplenduerunt. Nec puto (ſi non videor temerarius) vllos facilè viros in alijs Ordinibus inueniri, qui hos noſtros virtutibus ac gratijs ſuperârint. Porrò ſi prodigia ac ſigna requiris, quæ Sanctum neminem faciunt, ſed oſtendunt; inuenies hîc complures, qui cæcis viſum, qui paralyticis motum, qui claudis greſſum, qui infœcũdis donauerunt fœtum, & qui inter ſuſcitandos

tandos mortuos animas ab inferis reuocarint; quāquam omnem ſemper impenderint operam, non vt foris ſignis clareſcerent, ſed bonis virtutibus refulgerent. Horum Patrum noſtrorū illuſtria facta, cùm apud plurimos Scriptores annotata vidiſſem, vt ſunt apud Henricum Kalkar, apud doctiſſimum Ioānem Trithemium, apud facundiſſimum Boſtium Carmelitā, & apud vnum huius noſtrę Prouincię pium deuotumq; Carthuſianum ſacerdotem annotata ſparſim cùm reperiſſem, dignum putaui ea in ſummam redigere: quam octo libris comprehendi: pedeſtrem ſic ſermonem tēperans, ne nimium inflatus turgeſceret, neue etiam ſubmiſſus nimium laxuſq; diffluerer. Nam quemadmodum alta ac tumida legentis ſtomachū mouent, ita quæ abiectè ac ſordidè dicuntur, lectorem citò ad nauſeam traducunt. Eſto igitur, doctiſſime Pater, huius operis pius primùm & manſuetus inſpector; tum demum (vbi opus videris) ſe-

dulus emendator: poſtremò etiam contra mordaces petulantium linguas firmus ſtabiliſque defenſor. Erunt fortaſse qui dicent, me aut minus vera, aut nimis multa dixiſſe. Hos rogatos velim, ne me arguant temeritatis, qui hîc nihil de meo poſui, ſed quæ ab alijs, (quos veraces ſum arbitratus) amica pietate contraxi. Quòd ſi omnino caninos horum latratus vitare non poſſum, nihil curo, dummodò me mihi meiſque canere ac ludere permittant; quem amor ad hoc opus adegit, amor inquam, qui meritò à bono homine carpi non poteſt. Amore igitur amoris ſi videor homini deliquiſſe, apud amoris tamen retributorem Deum, & gratiam me ſpero, & cum his Patribus, quos memini, gloriam meruiſſe.

Vale.

ALIA

ALIA AVCTORIS AD ADRIANVM EIVSDEM CARTVSIANAE Familiæ Monachum Epiſtola.

SOlent, vt noſti, Adriane mi ſuauiſſime, illuſtrium fortia facta Maiorum humanos animos accendere, & ad virtutes capeſſendas mirum in modum inflammare. Hinc reor (vt a Valerius Maximus aſſerit) apud Romanos morem inoleuiſſe, vt cantores in conuiuijs præclara præcedentium Patrum facta, poëtarum carminibus comprehenſa, concinerent. Et non ſolùm gentiles homines hanc ſunt conſuetudinem proſecuti, ſed & apud Iudæos b Ieſus Sirach viros meminit glorioſos, quorum ſublimia facta magnis & admirãdis præconijs attollit. Apud Chriſtianos verò hic mos etiam vbiq; celebris eſt. Nam Euangelia vt omiſero, quæ Dei noſtri per carnem patrata miracula narrant, ſanctus Lucas Apoſtolorum actus, & Pauli virtutes ac prodigia memorat, quibus ad imitationem prouocet audientes. Incredibile eſt, quàm vehementi igne exempla conſpecta vel audita Maiorum, animum ſoleant permouere. Nam dum hærent memoriæ, ſolent & intellectum ſua luce percellere, & affectum miræ ſuauitate mulcere. Hinc ſequitur is pietatis fructus, vt in ipſas animi medullas exempla transfu-

a lib. 2. c. 1. §. 7.

b à capite 44. vſq; ad cap. 51. Eccleſiaſt.

ſa, vitam inſtituant, mores informent, & ſomniculoſum tædium à corde retundant. Hæc ita cùm ſint, non tibi debet mirum videri, ô dilectiſsime, ſi veteres nouoſq; imitatus autores, hanc Coronam Patrum noſtrorum intexuerim: cùm certum ſit & te primum ac tum plurimos, qui hæc legerint, ſanctioris propoſiti inſtituta capturos. Impoſsibile eſt enim, qui pietatis exempla introrſum hauriunt, aut ad meliora non dirigi, aut certè vel tenuiter non compungi. Sanctorum etenim egregia facta, quaſi quædam ſpecula, noſtris obtutibus offeruntur: in quibus quicquid in nobis ſordidum eſt, patenter aſpicimus, aſpicientes gemimus, gementes, vt poſſumus, caſtigamus. Si igitur, mi Moſeliane, non tibi eſt operimentum in frigore, ſi te, vt Iob ait, imbres montium rigant, *ſi deniq; iuſtitiæ velamento non amiciris, hos lapides tenacibus vlnis amplectere, lapides quadros, lapides viuos, lapides pretioſos, in fundamēto fundatos. Nimirum ipſi Sancti, quibus ſacri Ordinis noſtri ſtructura omnis incumbit, ipſi ſunt lapides Sanctuarij noſtri: quos iuſſus eſt Aaron, nōs fortitudinis, geſtare in pectore: quando ingreſſurus eſt in Sancta ſanctorum. Ita & tu quoq; ſi ingredi cupis in ſancta, æterna redemptione inuenta, neceſſe tibi eſt, hos lapides pretioſos in ratione deferre: vt horum tibi & labor placeat, & mores ſacros imiteris. Hoc opus noſtrū, Coronā Cartuſianam cenſui nominandum: coronam vtiq; anni benignitatis Dei; coronam, cui ſemper copioſo munere Chriſti*

Iob. 24. verſ. 8.

Exod. 28. verſ. 29.

gratia benedixit. Benedices, *ait Pſalmiſta,* co- *Pſalm. 64.*
ronæ anni benignitatis tuæ. *Faueat dexter* *verſ. 12.*
Deus, vt tu atq; ego in hac miſericordia corona feliciter numeremur. Tibi itaq;, dilectiſſime, hanc lucubrationem noſtrā, vtpote amico mihi omnium amiciſſimo, dedicare curaui: vt quem inter mortales plus cæteris diligo, hoc noſtro labore, præ alijs aut onerem, aut honorem.

CARTVSIENSIS LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

DE S. BRVNONE, ORDINIS *noſtri principali Inſtitutore.*

MIROR, mi Dionyſi chariſsime, cur tam manè hodie ad meos poſtes pulſare volueris. Grande aliquid in cauſa eſt. Neque enim ſine mira ratione huc ante lucanum adueniſti. DIONYSIVS: Vtique, mi Baſili, cauſa me vehemens huc appulit: quæ tota me nocte penè inſomnem egit; nec quieſcere potui, donec tibi animi mei æſtus oppanderem. BASILIVS: Sed qui obſecro ſunt hi æſtus tui? DIONYSIVS: Dicam tibi; cœpi mecũ cogitare viros illuſtres Ordinis noſtri, qui reuera magnum virtutis & gloriæ lumen vſquequaq; ſparsêre, hos tamen quaſi neglectos haberi, nec fuiſſe quempiam ex noſtris qui clariſsima horum geſta ad liquidum proſecutus ſit, aut quandam in ſummam collegerit. Fuêre olim Scriptores, qui facta illuſtrium Ordinis Diui Benedicti, Bernardi, Dominici, Franciſci, reliquorumque ſublimium Patrum egregio ſermone palam effecerint, ſed, heu, (proh dolor)

dolor) nemo apud noſtros inuectus eſt, (ſic enim noſtra viluerunt nobis) qui sereniſſima geſta noſtrorum efferret in lucem. Hac ſocordia noſtrorum nō mediocriter vulneratus, & medelā ſummopere deſiderans, huc hodie tam manè me contuli, vt abs te poſſem lætus integerq́; reuerti. BASILIVS: Quid igitur tibi faciā? Hoc vulnus tuum, quo pacto vis ſanem? DIONYSIVS: Facilè, mi Baſili, id poteris, ſi quod tantopere abs te fieri deſidero, fueris dignatus efficere. BASIL. Et quid vis, vt faciam, quæſo? DIONYS. Vt collectis quaſi in vno faſciculo Patrum noſtrorum magnificis operibus, (dum hæc nos conclauia iunctos retinent) ea qua te præditum ſcimus induſtria, libens enunties cuncta quæ aut lectu retines, vel auditu. Adfuturi ſunt forſan aliqui, qui hanc noſtram confabulationem mandent ſcriptis, poſteris relegendam. BASILIVS: Verè rem grandiſsimam petis, & quæ non vno, ſed ne decem quidem diebus, poſsit expleri. Verùm quia amicus es, & talis quidem, vt habeam præter te chariorem neminem, dabo operam votis inſeruire tuis. DIONYS. Habeo gratias humanitati tuæ. Oro igitur vt primùm dicas, Ordo hic noſter Cartuſienſis, quonam modo exordium ſumpſerit. BAS. Probè admones. Enim-

non ſine formidato ingentiq́ue miraculo Ordo noſter erupit in lucem. Vniuerſitas Pariſienſis vbiq; terrarũ famoſiſsima eſt. In hac contigit res memoria digna, quam ſubijcimus. Anno Chriſtianæ ſalutis M. LXXXII. inuentus eſt in ea Doctor celeberrimus, qui & vita cæteris & ſciẽtia præcellebat. Hũc mores optimi adornare videbantur, &, vt apparebat, erat vir magna virtute cõſpicuus. Hic cùm ex infirmitate veniſſet ad mortem, vt mos expoſtulat, feretro impoſitus eſt, atq; in templum lõgo Magiſtrorũ ordine reuerenter illatus, vt animã defuncti commendarẽt Deo. Confluit cum Clero ignobile vulgus. Interea dum celebres agerentur Vigiliæ, repente defunctus ſeſe erexit è feretro, & lachrymabili ac terribili voce clamauit, dicens: *Iuſto Dei iudicio accuſatus ſum*. Hoc dicto, caput depoſuit, & vt ante, mortis eſt ſomno cõſopitus. Terruit hæc vox cunctos qui aderant, & ingenti formidine tabefecit. Fuit igitur ſapientum conſilium funus in craſtinum reſeruari. Sequenti die magnus vndiq; accurrit populorũ numerus, vt videret quid rei futurum eſſet. Tum ille, vt ante fecerat, ſe erigens è funere, terribili magna voce inclamauit dicens, *Iuſto Dei iudicio iudicatus ſum*. Audita hac voce omnes trepidi, vnuſquiſq; in iniquitate ſua rer.

Hæc accuratè in vita S. Brunon. Tom. 5. Surij.

terri-

terribilem ſupra quam credi poteſt, mirabantur. DION. Non mirum certè, ſi illi trepidi, ſi pauidi reddebantur, dum hæc viderent; quando ego quoque, qui hæc audio, totus paueo ac tremo. Sed quod cœpiſti proſequere. BASI. Dimiſſus eſt ergo etiam hac die inhumatus. Dum illuceſceret tertia dies, tota penè ciuitas, audito rumore, ocyus occurrit, pallidi omnes, trepidi, gemebundi orabant Dominum, & pro defuncto deprecabantur, & ad inuicem ſilenter muſsitabant, rei exitum præſtolantes. Tum ille iterum ſe patentem attollens è funere, cum ingenti mugitu & deſperabili voce clamabat, dicẽs: *Iuſto Dei iudicio comdemnatus ſum.* Hoc dicto, caput repoſuit, ſempiterno abſorptus interitu. Incredibile eſt, quãtum mentes omnium ſunt ad pauorem concuſſę, ſtupentes hunc virũ, quem omnes pro ſingulari ſapientia & vita olim mirabantur, æternis incendijs deputatum, & exigente reatu, mortis perpetuæ ſubiſſe ſententiam. DION. Formidabile eſt quod dicis. *O quàm terribilis Deus in conſilijs ſuper filios hominum.* *Pſal. 65. 5* Sed quæſo te mi Baſili, nemo horum hominũ, qui hæc prodigia viderunt, ad melioris ſeſe vitæ tramitem conuertit? BASIL. Immò plurimi hoc miraculo mentem pariter & vitam mutauère priorem. Affuit præ cæte-

ris

ris inter illos, vir ſummæ excellentiæ, Bruno nomine, qui tum magnis virtutum ac ſcientiarum titulis admirabilis diceba-tur. Hic Coloniæ Agrippinæ generoſus municeps, nobilitatis lampade clarus, & pectoris gloria lõgè clariſsimus, quaſi re-fulgens Lucifer inter aſtra promicabat. Huius à cunabulis Mater Sapientia lacta-uerat infantiam, & ſemper edocuit ad me-liora proficere. Hic etiam, dum puer eſ-ſet, nihil puerile gerebat in opere, ſed qua-ſi futuræ religionis ſpeciẽ oſtentans, plu-rium Monachorum Inſtitutor à Domi-no parabatur. O verè perfectiſsimum ſe-cularem, cuius imitatorem fieri cupiebãt viri etiam ſpirituales. Huic nihil aliud fu-it viuere, quàm Chriſtum cum dilectione timere, & cum timore diligere. Cuius qui veſtigia ſequebatur, tendebat ad gloriam; diuertens autem, mergebatur ad flammã. Accreuit huic viro egregio tantum in Gymnaſijs Pariſienſibus lumen, vt inter primos Philoſophos præcipuus habere-tur, & inter Theologos ac Canoniſtas opi-natiſsimus. Hic igitur Bruno cùm huic portento intereſſet, formidatiſsimo ſtu-pefactus exẽplo, totus in lachrymas reſo-lutus, ſecum plangere cœpit humanæ cala-mitatis anguſtias, vitæ miſeriam, & dubiũ extremæ conditionis finem. Cogitabat

quo-

quoq; ſecum diſtrictum iudicium magni Dei: & quàm terribile ſit incidere in manus Dei viuentis. Tunc Bruno cópunctionis ſpiritu afflatus, ocyus aduocat amicos, & infuſus lachrymis ſic exorſus eſt: Videtis chariſsimi quàm incertæ ſint res mortaliũ, & quàm terribili cenſura actus humani ante Chriſti tribunalia ventilentur. Ecce hic homo vitam ducebat per cũcta laudabilem, & actus eius omnes vix ſub reprehenſione cadebãt, & tamen (proh dolor) æterna eſt morte mulctatus. Hinc nobis ſummopere formidandum eſt; Nam ſi huic Deus non pepercit, vtiq; nec parcet nobis, qui longè illo & vita & morib⁹ inferiores ſumus. Quid igitur nobis faciẽdum eſt? Certè fugiamus à facie formidinis Dei, à facie iræ indignationis eius. Inſuſtentabilis furor eius ſuper peccatores, & intolerabilis ira columbę: ſed inexhauſibilis miſericordię Deus eſt his, qui faciẽ eius in confeſsione requirunt, & abdicant à ſe vias tenebroſas. Nunc igitur, fratres mei, faciant nos hæc pericula cautos, & in perditione peſtilentis, inſenſatus recipiat diſciplinam. Si igitur mihi creditis, mundum hunc, & quæ in ipſo ſunt omnia, pópas, delicias, diuitias relinquamus: ne cum mundo & ipſi mergamur in barathrum, & arctioris vitæ tramitem conſequamur, &

tales

tales mores ocyus inſtauremus, quibus veram poſsimus apprehẽdere vitam. DIONYS. Sancta admodum hæc & ſalubris exhortatio. Sed quæſo te, quid tum poſtea eſt ſubſecutum? BASIL. Magnum certè & admirabile opus pietatis. Nã viri illi, qui hæc ab ore Brunonis audierunt, vnà cum ipſo, totis ad Deum cordibus conuerſi, vitam cœlibem agere aggreſsi ſunt. Tum ſuaſit Bruno talem eſſe expetendum locum, qui remotus eſſet ab hominum acceſsibus, & vbi ſoli Deo tutò vacare poſſet. Eſt in Sabaudia ſolum inacceſsis rupibus vaſtum atq; terribile, iuxta ciuitatem * Gratianopolim, quod Cartuſiam vocãt. Hic locus ſemper niue candet, & rigenti frigore horret. Solo aſpectu cunctis eſt formidabilis. Huc ſe magnus Bruno contulit, pœnitentiã acturus, huc ducem egregium comites ſubſequuntur. Montium difficultates ſuperant, & Cartuſiam, non armis, ſed animi viribus potenter inuadunt. Habitationis loca cùm illic nõdum haberẽt, pro cellulis in abruptis petrarum faucibus morabantur. Nouos hîc Paulos, nouos hîc vidiſſes Antonios, niſi quòd horum loca multo Sanctis aſperiora, quã ſolitudines aut Aegypti ſint, aut Paleſtinæ. Quippe vbi rarò, ob montium altitudines, ſol poſsit ſuos radios immittere. At nunc

* *Diſtat fortè ad ſeptem leucas Gallicas.*

nunc quis dignè referat, quanta fuerit his viris inter has niues rerum omnium penuria, quàm vrgens neceſsitas, quanta calamitas? Sed aderat illis profectò qui ſua gratia has temperabat anguſtias, & agreſtes coloquintidas ſua farinula pius dulcorabat Heliſæus. Erant igitur hi patres noſtri 4. Reg. 4.
pauperes ſeculo, ſed diuites Deo; contem- verſ. 41.
ptibiles mundo, ſed Chriſto Domino honorabiles: & quibus plena mortificatio carnis, ſed vita ſpiritus inerat. Iuge illis (cultus iuſtitiæ) ſilentium, iugis contemplatio ſupernorum: parum corpori, ſed plurimum ſpiritui tribuebant. Nemo de craſtino erat ſolicitus, immò pręſentia vix cogitabant. Tanta illis charitas inerat, vt quiſque ſociũ præueniret obſequio. Tanta paupertatis cõmunitas, vt nemo ſuum aliquid æſtimaret. Tanta humilitas, vt alter alterum laudi & gloriæ exponere cuperet. Sed dũ quiſq; ſub vmbra alterius obſcurari vellet, tanquam repercuſſa claritas, omnes irradiabat. Ingens quoque cunctis inerat grauitas morum, & ſenilis maturitas, & inter tot virtutes totius fuga vanitatis. Angelica ab eis vita in terris ducebatur, in multa patientia, in vigilijs, in ieiunijs, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute

Dei,

Dei. Verum hos mcres, & hæc inſtituta virtutum à ſua duce & principe Brunone didicerunt. Ille enim quaſi inter ſydera ſol ſereniſsimus promicabat; huius pectus quaſi præcelſam arcem & ſplendidiſsimam Chriſtus inſederat. Illic enim Spiritus ſanctus vigebat, Illic caſtitas, ſapientia, fides, & virtus omnis inhabitabat. Ibi iuſtitia præfulgebat, & veritas. Hinc factum eſt, vt patentibus vlnis, & brachijs oppanſis in ſuum amplexum plurimos, hoc eſt, in amorem Chriſti, Bruno ſanctiſſimus inuitaret. Non poterat abſcondi ciuitas ſuper montem poſita, nec effuſi balſami odor inter ſuos ſe potuit fines cohibere, ſed vndique ad illum certatim docti & indocti pariter confluebant. Dionys. Facilè tu mihi iſta perſuaſeris. Nam vſque in hodiernum diem, nulla penè ſub cœlo natio eſt Chriſtiana, quæ non Brunonis ſe gaudeat filios poſsidere. Sed age conſequenter. Basil. Hic Bruno tanta erat gratia decoratus, vt immitiſsimos ſæpe animos manſueſcere faceret, & de immaniſsimis beluis mites redderet columbas. Pellebatur per orationes eius varia peſtis animorum, amaritudoque: aſperitas & rabies locum dabant, & fautore Deo in libertatem reſpirabant filiorum Dei. Omnium ille paſsiones ſuas credidit, & tanquam

quam ſuas benignè defleuit. Impiger Bruno, feſtinus, infatigabilis perſeuerabat. Hunc ſecretò, hunc palam, hunc ſeuerus, hunc blandus aggreditur, prout cuiuſque naturam moresque proſpexerat. Hinc facilè ab omnibus pro reuerētia timebatur, & pro ſua dulcedine amabatur. Magna illi cura fuit; ne quem triſtitia affligeret, ne cogitatio ſæcularis vrgeret, ne quem nimij labores grauarent, ne quis nimia quiete torpeſceret. Valentes corpore ad exercitia; feruentes ſpiritu cogebat ad requiem. Omnium vires, omnium animos, omniū ſtomachos inſtinctu quodam diuino cognouerat, verè ſeruus omnium factus propter Ieſum Chriſtum. Iugis opera, iugis intentio illi inerat; omnibus mitigare iugum Chriſti, & pectus cuiuſque, tanquam ſuum excolere, & ad Chriſti deſiderium inflammare. Huius igitur Brunonis beatiſsimi tanta gratiarū omnium copia refulgebat, vt, ſicut præmiſimus, inſtar sereniſsimi ſolis præ cæteris fratribus reluceret. Huius itaq; meritis factum eſt, vt Spiritus ſancti gratia non ſolum in Cartuſiæ loco, ſed per cuncta huius Ordinis noſtri Monaſteria varijs chariſmatum donis firmata ſit: humilitate ſcilicet, manſuetudine, charitate, iuſtitia, ſanctitate, & vna capitis gloria in diuerſitate membrorum

inueniatur effuſa. DION. Magnus reuera & ſublimes huius eminentiſsimi patris virtutes enumeraſti. Dignus profectò, qui huic Ordini noſtro tanquam lapis pretioſus in fundaméto ponatur, ſupra quem tam celſa faſtigia conſtructa cernuntur. Sed quæſo ad narrationis Ordinem regredere. BASIL. Igitur Brunone patre ſolitudinem cum ſuis fratribus incolente, incidit ei ſancta cogitatio, vt beatiſsimum Hugonem Gratianopolitanum Epiſcopum inuiſeret, quippe cuius ipſe in ſcolis olim comes extiterat. Die vno antequam Bruno adueniret, vidit Epiſcopus ſpiritu reuelante, Chriſtum ſtantem ſupra montem Cartuſiæ, & certa habitacula fratribus conſtruentem, cellas ædificantem, & oratoria fundantem. Vidit quoq; ſeptem ſereniſsimas ſtellas eidem loco præminentes, & in præſagium rei futuræ longè lateq; ſuos radios iaculantes. Hæc vt vidit Epiſcopus, ſtupidus mirabatur, & quid hæc vellent portendere, tacitus cogitabat. Et ecce adeſt beatiſsimus Bruno, cum ſex ſuis chariſsimis amicis, oſtium pulſans Epiſcopi, cui & cum magna humilitate loqui precabatur. Introducti & pedibus ſancti Pontificis prouoluti, petierunt in ſua Diœceſi, vt illis habitandi locum tribuere dignaretur, quo poſſent ſpreto ſęculo Dei

ſeruitu-

ſeruitutibus inhærere. Tum ille hos ſeptem vt vidit, (edocente ſe ſpiritu ſancto) cognouit illos ipſos eſſe, quos in ſeptem ſtellarum fulgoribus præuidiſſet. Hos igitur multum benignè recipiens, & humaniſsimè tractans, hoſpitio ſuo dignos effecit. Brunonem verò, in quo amplior Dei gratia refulgebat, animo complexans, in fratrem & amicum perpetuum ad ſe recepit. Tum Bruno locum quem ante elegerat Cartuſium, petijt ſibi ab Epiſcopo ſcripto conſignari, vt illic & fratrum habitacula, & orationis locum poſſet exſtruere. Annuit beatiſsimus Hugo, & ſeſe illis comitem iunxit, valenter adiuuit, impenſas dedit, operarios conduxit, loca idonea inquiſiuit, & comiter inter illos victitauit. Nunquam illos deſerens, niſi quando neceſſarium illi erat oues ſuas reuiſere. Tantæ ſiquidem humilitatis hic Hugo ſanctiſſimus inter fratres erat, & tantæ dulcedinis, vt ſingulis, quaſi famulus miniſtraret, & omne pietatis opus exhiberet. Tam ardenti quoque deſiderio ipſam complexabatur ſolitudinem, vt nunquam inde recederet, niſi quãdo pater Bruno ire illũ compelleret, paſcere oues, & ad ciuitatis publicum remeare. DION. Si non fallor, videor mihi intelligere hoc ſacramentum ſeptem ſtellarũ. Nam ſeptem hi viri, ſep-

tem ſtellæ ſunt. Horum mihi velim nomina ſignifices. BASIL. Primus horũ Bruno ſpiritalis militiæ dux erat. Secundus Landvvinus, & duo Stephani, Canonici regulares, & Hugo ſacerdos, quem Capellanum ſuum nuncupabant. Duo quoque laici, Andræas & Guarinus. Hi ſeptẽ ſunt ſplendidiſsima cœli luminaria: quorum decoro lumine totus adhuc noſter ordo refulget. Qui ideo ſeptenario numero cõſignantur: vt plenos eos ſeptiformi ſpiritus munere fuiſſe cognoueris. Sed proſequamur inceptum. Brunone itaque in rebus ſpiritualibus proſperè agente: contigit ſummũ Pontificem Vrbanũ (eò quod ante ſuus fuerat pædagogus) vt ad ſe veniret præcipere, volens tanti viri contubernio perfrui, & ſanctis eius conſilijs adiuuari. Hic autem cum non poſſet ſummi præſulis mandatis obſiſtere, licet inuitiſsimus perrexit ad curiam, regimen ouilis ſui ſub cura beatiſsimi Hugonis derelinquens. Venit igitur ad Papam optatiſsimus Bruno & lætiſsimis vlnis excipitur, & magno honore effertur ab omnibus. Putabat ſanctiſsimus pater Vrbanus, hunc apud ſe virum mirabilem precibus & blãdicijs poſſe retinere, ſed ille ſolitudinem cogitans, & ſtrepitum curiæ indignè ferens, nulla potuit ratione induci vt illic

diutius

diutius permaneret. Egit tamē apud ſummum Pontificem, vt incæpto ſuo ordini fauorem adderet, & licentiam daret verbo & ſcripto, poſſe ſuos ſub diſciplinæ regulis collocare. *Hæc fusè & diſtinctè in vita S. Brunonis. Tom. 5. Surij.*

Cap. II.

QVOMODO BRVNO MVNDVM contempſerit & Archiepiſcopatum.

VNum dicam quod prętęrire non licet. Dum hic memorabilis Bruno adhuc apud Papam cōmoraretur: contigit Rhemenſem Eccleſiā cuius ipſe aliquando canonicus fuerat, Archiepiſcopi per mortem præſentia priuari. Illi ergo Canonici vnanimi voce Brunonem, cuius & mores, & ſcientiam, & probitatem nouerant, in Præſulem elegerunt: & ſupplicatione facta apud Pontificem, hunc ſibi virum ſua authoritate poſtulant confirmari. Oſtendit Vrbanus literas ſupplicatorias Brunoni, orans atque etiam vim faciens, vt fratrum ſuorum precibus dignetur annuere. At, ille ſciens ſe iam ſæculo mortuum, & pauculas illas oues in deſerto reliquiſſe, nullatenus acquieuit. DION. O virum verè digniſsimum, & quem pauciſsimi noſtri temporis homines cupiant imitari. Quis non hunc dignè commendet, qui magis elegit affligi, cum populo Dei, quam temporalis gloriæ habere iucunditatem?

BASIL. Verè, vt dicis, vir omnino digniſſimus, qui tantam eminentię celſitudinem ſapienter aſpernatus ſit, & maluerit humiliari cum mitibus, quam cum ſublimibus eleuari. Hinc factum eſt, vt accepta licentia, à ſummo Præſule repedarit ad ſuos vir omnium benigniſſimus. Quem omnes obuijs brachijs exceperunt, lachrymas præ deuotione fundentes. Gaudebant nempe illi ſe patrem recipere: hic verò ſe ſuos filios inueniſſe. Manſit apud illos Bruno annis aliquot, ſed in votis habens Ordinis ſui terminos dilatare, & priuatum bonum in commune deducere, acceptis ſecum pauciſſimis fratribus, & Lauduino viro Reuerendiſſimo, & multo virtutis fulgore conſpicuo eis in Priorem inſtituto, Calabrię partes ſua ſtatuit præſentia illuſtrare. Illi quidem & ſi à tanto Patre & tam amabili inuitiſſimè ſepararentur, ob fructum tamen amplioris iuſtitiæ, amarum fieri diuortium acquieſcunt. Venit igitur Bruno, & pauci cum eo comites, & Calabriæ eremum, cui nomen Turris eſt, cœpit incolere. Et erectis è luto pauciſsimis domunculis, aſſiduis in excubijs virtutum, & in Dei laudibus perſeuerat. Ingens quidem illis paupertas in ſæculo, ſed magnę erant diuitiæ in Deo. Relicti ab hominibus, ſed ab angelis aſſiduè viſitati. DIONIS.

Paulò hæc aliter inuitas. Brunonis. To. 5. Surij.

In diœceſi Squillacenſi.

NYS. Compunctionem mihi iſta tua narratio peperit. Fluunt enim per os lachrymæ, dum video hunc virum omnium benigniſſimum noua rurſum prælia intentantem, noua contra dæmones caſtra erigentem, noua bella concientem, & tanquam pręteriti laboris immemorem, rurſum agones acerrimos ſuſcitantem. Incredibile puto quanta illic paupertas omnium, quanta calamitas, quanta rerum omnium penuria habebatur. BASIL. Verè incredibile, mi Diouyſi, ſed adfuit miſerētis Dei benigna ſuauitas, qui ſeruorum ſuorum labores ocius ſtuduit mitigare.

CAP. III.

INVENTVM BRVNONEM CANES honorauerunt ſuoſq; ſodales.

Contigit nempe vno dierũ, vt dux Calabriæ Rogerius venatum iſſet in ſyluam, vbi Bruno cum ſocijs tunc morabatur. At canes hinc inde quaſi ad prædam diſcurrentes, venerunt ad habitacula ſeruorum Dei, & tacti reuerentia diuini numinis, nuſquam vltrà proceſſerunt, ſed flexis in terram poplitibus, & ſubmiſſo capite, latratus quidem dabant, non terroris ſed admirationis. Hos dux cum eſſet ſubſequutus, inuenit prædam optatiſſimam, non aptam eſui, ſed ſpiritui commodiſſimam. Inuenit nempe inter vepres

& ſpinas, inter fauces petrarum, & tetras rupium ſpeluncas, luminaria cœli, amicos Dei, cohæredes Chriſti. Inuenit illic admirabilem Brunonem, & ſuos milites errãtes in ſolitudinibus, quibus dignus non erat mundus. DION. O felicem, principem qui dum feras immites ſyluestreſque venatur, viros meruit manſuetiſsimos captiuare: immo vero ab illis capi promeruit. BASIL. Planè ſic fuit. Videns nempe canes cauda blandiri, humique procumbere, & quaſi reuerentia tactos, viros illos ſubmiſsis capitibus adorare, repentè equo dux ipſe deſilijt & flexis in terram genibus vna cum proceribus ſumma eos cum reuerentia ſalutauit, & quinam eſſent & vnde veniſsẽt humiliter inquiſiuit. Tum Bruno venerabilis aduentus ſui cauſam, & quod ob cultum Dei longè lateq; promulgandum veniſſent, expoſuit. Hoc cognito, dux lætus efficit, & adhibita manu largiſsima, monaſteriũ illis inſtituit, Eccleſiam fabricauit, annuos redditus complurimos in munere tribuit, & quia prothomartyrẽ Stephanum dux plurimum diligebat, locum ipſum ad ſanctum Stephanum de buſto voluit appellari. Hoc nomẽ illi loco in hodiernum vſq; diem perſeuerat. Incredibile eſt quo affectu, qua veneratione, quo pietatis ſtudio viros illos dux

Hodie appellatur domus SS. Stephani & Brunonis.

dux amplexabatur, plus gaudens hos tales inueniſſe patronos, quam ſi ampliſsimos auri theſauros reperiſſet. Hinc factum eſt, vt eos ſæpius viſitaret, emolumentis & ſolatijs refoueret, eorum quoque orationes ſedulus ambiret, credens nihil ſiniſtrum ſibi poſſe contingere, vbi horum eſſet meritis præmunitus. Nec ſua eum ſpes aliquando fefellit: quia diui Brunonis ſuffragantibus meritis, à maximo, eſt, quod ſibi imminebat, liberatus periculo. Dicam id breuiter. Erat inter ducem hũc Calabriæ, & Capuæ principem implacabile bellum. Hinc factum eſt, vt dux ipſe fortiſsima militum manu Capuam obſideret. At princeps Capuæ videns tradendam eſſe ciuitatem in manus ducis, ad callida otius ſtratagemata confugit, & dato magno auri pondere, nonnullos tribunos ac milites ducis corrupit, vt Dominum ſuum in ſuam traderent poteſtatem. Spondent illi ſeſe id eſſe facturos, & tempus proditionis inquirunt. Ipſam nocte qua debuit funeſta traditio celebrari cum dux ſe ſopori dediſſet, venit ad illum Bruno, oſtijs obſeratis, quadraginta miliaria ſub momento permetiens, & dormienti propius aſsiſtens, illum ſic affatus eſt. Quid dormis, ô Princeps, quid ſegniter agis? Surge ocyus, vigila, circumſpice, intende tibi, *D. Bruno in ſpiritu ſe exhibet Duci Calabriæ.*

 alio-

alioquin iam pecunia venditus, hoſtibus præda fies. En præualuerunt aduerſum te viri fœderis tui, & qui tecum vna prandent ad menſam, contra te calcaneum leuauerunt. Hoc dicto diſparuit. Statim dux è ſomno expergefactus, è ſtrato membra corripuit, & nobiles ſuos torturæ ſubijciens, proditionis fraudem reperit quam quæſiuit. Quos omnes iuſsit, implicitos vinculis in ergaſtulo cuſtodiri, morte plectendos, die poſtera, quam meruiſſent. Sed ſequenti nocte rurſum ei per viſum ſe Bruno ſanctus exhibuit: caue, inquiens, caue ne quid mali his tuis militibus facias, ne ſanguinem fundens reus diuino iudicio tenearis. Non enim cœpiſti eos gladio tuo, ſed dum te diuina pietas benignè protexit. Horum tibi perfidiam demonſtrauit: non vt eos proderes, ſed vt liberatus Deo gratias haberes. Tunc dux hoc oraculo permotus, veniam proditoribus dedit, eos tamen ſeruituti Cartuſienſium ſuorum perpetuò ſubiecit. Quãdoquidem, inquit, per viſum me meus pater Bruno hortatus eſt, ne de vobis capiam vltionẽ, hac tamen vos pœna iubeo mulctandos, vt & vos, & omnis veſtra poſteritas, monaſterij mei, quod ipſe conſtruxi perpetuę ſubijciamini ſeruituti. Illi agnoſcentes ſecum factam clementiam, gratias magnificas

ſicas agunt Principi, & publicis confectis inſtrumentis ſeruitores ſacro ſe dedunt monaſterio. Multæ quoque poſſeſsiones, caſtrorum, agrorum, domorumq; (ijs tribuentibus) dicto monaſterio accreuerunt, quas vſq; in hodiernum diem retinere noſcuntur. Sunt præterea multæ huius viri ſignorum virtutes, quas ſi velimus ad liquidū proſequi, tempus nobis deficeret. Obijt autem vir iſte plenus dierū, plenus & virtutum, cum ingenti ſuorum omnium dolore, & non parua totius ordinis ſtrage. Sepultus eſt autem in oratorio ſacri prothomartyris Stephani, poſt ſummum altare, vbi magnificis claret virtutibus, ſignis, prodigijsque: fons etenim argenteæ puritatis & lucidiſsimæ venæ à capite ſepulchri eius magno erumpit profluuio, & in varia ſeſe loca diffundit. Et quicunque hunc fontem fide integra delibarit, continuò conualeſcit, quocunque etiam teneatur incommodo. Eſt enim videre mirabile, cæcos illic illuminari, ſurdis auditum reſtitui, mancos mutilatoſq; ſanari, leproſos mundari, & à dæmone poſſeſſos, ocyus repurgari. Hæc itaque, mi Dionyſi, de diui Brunonis virtutibus dicta ſufficiant. Et quia iam Campanæ ſonitus nos ad miſſarum ſolemnia celebranda inuitat, neceſſe eſt nos hic ſermonem ponere,

nere, & ſumpto prandio, ſi tunc quid vltra à me quæſieris reſpondebo.

MIRACVLVM FIDE DIGNVM DE S. Brunone Cartuſianorum Patriarcha.

à V. P. Laurentio Surio inſertum.

ANno Domini 1544. Pridie illius diei, qui diuo Brunoni ſacer eſt, vir quidā nobilis & clarus genere, ſed à calidiſsimo hæretico Martino Bucero miſerè ſeductus, in Cartuſia Agrippinenſi ſub illud tempus, quo preces veſpertinæ aguntur, ſedebat in hypocauſto, vbi hoſpites excipi ſolent: parum aliquid edens & bibens cum religioſo Domino Petro Boechem, tum procuratore eiuſdem Cartuſiæ, poſtea Priore Confluentino. A quo cum audiſſet die ſequenti fore, D. Brunonis feſtum ſolenne, non ſine ſtomacho reſpondet. *Putatis vos illum in Diuorū numerum relatum? Certè ſi ille ſanctus eſt, nunquam poſt hauſtum hoc poculum proſpera me contingat vtivaletudine.* Dixit, bibit, moxque tanquam aliud agens, cœpit ſedere cogitabundus, vt ſolent phantaſtici. Paulo poſt equum cōſcendens ad caſtrum ſuum abijt. Nec mora in lectum decidens, paucis poſt diebus, ita vt ipſe ſibi erat imprecatus, ex morbo perijt: vel inuitus approbans S. Brunonis ſanctitatem; alijſque ſuo exemplo conſulens

lens, vt non ponant in cœlum os ſuum, nec petulantem linguam in ſanctos laxét, qui iam vnus cum Deo ſpiritus ſunt, & eius filij chariſsimi.

LIBER SECVNDVS CHRONICI CARTVSIENSIS.

CAPVT I.

DE SANCTO HVGONE GRAtianopolitano Epiſcopo.

DIONYSIVS. Ecce adſum mi ſuauiſsime Baſili, & ſumpto prãdio corporali, ſpiritalem abs te cibum requiro. Peto itaque: vt ſicuti de magno Patre Brunone, ita & de ſanctiſsimo Hugone Gratianopolitano Præſule, me quoque ſagines, reficiasque. BASIL. Prandium ſumptuoſum petis, & quod vires meas ſatis exuperet. Apponam tamen quod præſtiterit Deus, tu his rogo, (vt frugi hominẽ decet) cõtentus eſto. DIONYS. Probè admones. BASIL. HVGO Gratianopolitanus Pontifex, illuſtri ſatis ortus progenie, parẽtes habuit ſecundum ſæculi dignitatem præcellentes. Eſt enim natione Valentinenſis. Odilone patre, & matre admodum proba & venerãda progenitus.

Huius Hugonis vitam eleganter conſcriptam per Guigonem. vide apud Surium 1. Apr.

genitus. Ambo iuſti & incedentes in mandatis Domini ſine querela, habētes etiam teſtimoniū bonum ab his qui foris ſunt. Hunc filium cùm mater prægnans geſtaret in vtero; viſum eſt ſibi in ſpiritu, elegantem ſe paruulum genuiſſe, quem ſiſtendum Dei conſpectibus, ſanctiſsimus Apoſtolorum princeps Petrus cum nonnullis cœlicolis deferebant in cęlum. Hac viſione mulier edocta, cognouit ex ſe filium generandum, qui & in hac vita clareret virtutibus, & poſt glorioſus exaltarerur in cælis. Tradidit igitur eum literis imbuendum, ſciens illum ſingularis fore apud Deum & meriti & gratiarum. Erat itaque ingenio docilis, animo mitis, & in teneris annis venerādam ſenum canitiem imitans, innocentisq; vitæ ſimplicem indolem, doctrinæ eruditione componens; Non enim poterat aut ſegnis ſtudio, aut tardus ingenio inueniri, cui Spiritus ſanctus magiſter acceſſerat. Creuit ætate, ſcientia, ſanctitate, vt & ſuis eruditoribus admirandus haberetur, & tam Deo placeret qam hominibus. Puer quidem erat ætate, ſed nihil puerile geſsit in opere, quippe qui teneros annos, morū maturitate vincebat. Non ille paribus colludebat, non ſpectaculis, non ſegni ocio', aut laſciuijs tempus inſumebat, ſed Chriſtum

puerum imitatus, inter ſapientes & doctores in templo ſe inueniri lætabatur. DIONYS. Magna de hoc puero enarraſti. Non dubium, quin poſt hæc mirabilem ſe virum præbuerit, qui pueritiam tam laudabili decorauit exordio. BASIL. Equidem id verum eſt. Nam regreſſus à ſtudijs in Valentia ciuitate maioris Eccleſiæ Canonicus electus eſt. Illic inter ſeculares & lubricos iuuenes cum pudibundus moraretur, & ſobrius, ſtatuerat tamen ab omni ſe contaminatione immunem integrumque ſeruare. Erat itaq; ſæpe pernox in vigilijs, potens in ieiunijs, & acerrimus iuuenilis corporis ſui caſtigator. Ora illi pallebant, & membra iam marcebant arida, mens autem ad cœleſtia ſemper ſuſpirabat. Erat quoque ſedulus in oratione, in lectione ſacra ſtudioſus, in Sancta Meditatione aſſiduus, in fraterna dilectione feruidus, in charitatis beneuolentia profuſus, & in Dei amore flagrantiſsimus. Erat quoque hilaris in vultu, amabilis & decorus aſpectu, blandus affatu, prudens conſilio, facundus eloquio, habitu & inceſſu admodum reuerendus. Mores eius humaniſsimi erant, & multam redolentes bonitatem. Animo in pauperes clementiſsimo, quibus, quicquid præter tenuiſsimum victum, quem ſibi ipſi impendebat, habere poterat,

rat, erogabat. In charitate etiam radicatus,
1. Cor. 9. v. 19 vt iubet Apoſtolus, ſtudebat, *Omnibus omnia fieri: vt omnes lucrifaceret.* In humilitate quoque fundatus, ſibi etiam infimos quoſque præferebat. Hæc fuerunt huius viri dum Canonicum ſe geſsit ſancta principia. Enimuerò dum ijs floreret Hugo virtutibus, à Gratianopolitano populo annuente ſummi Pontificis legato Hugone Archiepiſcopo Lugdunenſi, in Epiſcopum requiſitus, electus, & traditus eſt. Vbi autem hic vir Dei agnouit, ſe tradi in Epiſcopum; totus inhorruit (ita erat omni humilitate ſubmiſſus, & repentino terrore concuſſus,) ab imis viſceribus ſuſpiria duxit. Dehinc cœpit toto anniſu renuere, reluctari; & magnis reclamare vocibus, ſe ætate, ſcientia, poſtremò moribus & vita, tãtis myſterijs imparem affirmare: nec vllatenus pati in ſuæ ſalutis periculum ſua vilitate officia veneranda fœdari. Hanc ſententiam profundiſsima humilitate conceptam vſq; in finem vitæ ſanctus pater non exuit. Semper enim quantumlibet ſanctitate aut bonorum operum profectu floreret, inutilem tamen ſe ſeruum & indignũ Pontificem non erubuit confiteri. Et vt ab officio amoueretur, obnixiſsimè precabatur. Verũ quia contra imperium Domini Legati calcitrare non potuit, oneri impoſito,

poſito, licet inuitiſsimos humeros adaptauit. De hinc cum Legato Apoſtolico Romam expetijt, cupiens à ſummo Pontifice in Epiſcopum conſecrari. In vrbe Roma tunc conſtitutus, & diem ſuæ conſecrationis operiens, in ipſis quodammodo diuinæ ſeruitutis initijs grauiſsimam hoſtis antiqui impugnationẽ rudis miles incurrit. Hæc tentatio ſanctam ipſius animã vſq; ad vltimum vitæ terminũ die noctuq; nunc acrius, nunc mitius non deſtitit excruciare. Quia enim ſanctæ cõuerſationis, & illuſtrium operum inſignibus meritis magnam in populo Dei famam fuerat habiturus, & gloriam, ne forſitan extolleretur, angelum Sathanæ, qui ſe colaphizaret, accepit: ſicuti ſacerdos ille magnus Ioſedech; cui Sathan ſtabat à dextris, vt aduerſaretur ei. DION. Vellẽ ſummopere noſſe, quænam hæc tentatio fuerit. BASIL. Tentatio reuera admodum triſtis, funeſta, execrabilis; tentatio blaſphemiæ, vt de Deo, vel de ijs, quæ ad Deum pertinẽt, aliquid cogitaret indignum, Hanc tentationem incurrens, cœpit vir mitiſsimus ab imo cordis ſuſpiria emittere, lachrymas fundere, pectus tundere: quaſi qui iam à Domino eſſet derelictus, & reputans ne forſitan aduerſus ſe indignatus ſit Deus, quòd eligentibus ſe ceſſe-

2. Cor. 12.

Zach. 3. v.1.

De hac tentatione Latius Guigo in eius vita, §.4.

rat vel inuitus electioni in ſe factæ abre-
nuntiare modis omnibus deliberauit, &
ſacras adminiſtrationes, quibus ſe tunc in-
dignißimum reputabat, nullo modo velle
contingere. Et aggreſſus beatißimum Pa-
pam Gregorium ſeptimum, qui eum erat
conſecraturus, humiliter deuoteq́; coram
illo proſtratus, cum multo lachrymarum
imbre expoſuit illi amarißimam mentis
ſuæ amaritudinem, &, quæ illum vaſtabat
in animo, tentationem, dicens ſe nullo pa-
cto poſſe aſſentiri, vt in Præſulem conſe-
craretur. Tum Papa (vt erat vir omnium
benignißimus) Hugonem humi proſtra-
tum ad ſe ſuſtulit in amplexus, & tantam
illi conſolationis impendit induſtriam,
tantumque erga illum dilectionis oſten-
dit affectum, vt de hac ipſa, quæ in deſpe-
rationem eum penè compulerat, tentatio-
ne, gaudere, & felicioris inſuper ſpei ma-
teriã ſumere cogeretur. Et quia Papa bea-
tus in huiuſmodi tentationũ materia ex-
pertißimus erat, ijs verbis benignè eum
allocutus eſt: *Non oportet, fili dulcißime, in ijs cladibus tuis nimium te contriſtari, ſed ſapienter agnoſcere, eos Dominum arguere ſolere, quos diligit, & caſtigare omnem filium, quem recipit. Et ideo, quanto durius cordi tuo flagellum impoſuit, tanto euidentius paterna in te dedit dilectionis indicium. P[illegible] enimuerò diabolus inte-*

Verba Gregorij Papæ ad Hugonem.

iamque, quanta per te ipſe ſit damna paſſurus, quanta per te foret Dei populus virtutis incrementa ſumpturus. Et idcirco omnes contra te malignitatis ſuæ artes inſumere conatus eſt, vt à ſacris te quoquo modo deterreret offi ijs, permittente Deo, ad ipſius quidem ignominiam & pœnam, ad tuam verò coronam & gloriam. His ſacris ſermonibus non quidem tentatione penitus extincta, ſed tamen cõſolatione accepta, animo æquior HVGO ſanctus effectus, conſecrationem ab eodem poſtmodũ ſuſcepit Epiſcopalem. Tantus auté in ipſa conſecratione, & toto illo, quo ibidem demoratus eſt tempore, ſummi Pontificis amor in Hugonem efferbuit; vt patenter oſtenderet diuinæ in eo gratiæ magnum aliquid præſenſiſſe præſagium. Comitiſſa Matildis, mulier prudentiſsima, in ſuo famulo Dominum venerata, diei conſecrationis eius neceſſaria cuncta contribuit, paſtoralem etiam (quo diu poſtmodum vſus eſt) baculum dedit, additis Pſalmorum ſecundùm Auguſtinum, explanationibus, & beati Ambroſij volumine de officijs: totoque, quo deinceps tempore Hugo vixit in terris, hæc Matildis, vti verum Dei ſeruum ſincera deuotione ſpecialiter honorauit, & coluit, ſitiens eius inſtanter & conſilijs inſtrui, & oratione defendi. *Aſſumitur conſecrationi.*

His ita & proſperè & religiosè peractis, ad ſuſceptam venit Hugo Eccleſiam. Sed eheu inuenit illic clerum & populum in diuinis rebus nimis rudem, & incompoſitum: in ſanctis etiam obſeruatio nibus adeò ignarum, vt non ſolùm Subdiaconi, vel Diaconi, ſed etiam Sacerdotes, vxores ducerent, nuptias publicè celebrarent, emere ac vendere ſancta non pertimeſcerent, Eccleſias, oblationes, decimas, & cœmiteria laici poſsiderent, & ſuæ ditioni Sacerdotes ſubijcerent; vſurarij ſine vlla contradictione ex alienis damnis lucra impia coaceruarent, nec ob id tamen minus Eccleſias intrarent, vel myſteria ſacroſancta perciperent: adeo illic emigrarat in exilium omnis iuſtitia, omnis pudor, omnis ſanctitas, omnis timor, omnis reuerentia. Porrò ſubſtantia domus Epiſcopalis ab ipſis Epiſcopis prædeceſſoribus, tanquam à tyrannis diſsipata erat, & penè tota conſumpta. Hinc factum eſt, vt multas illic neceſſarij victus inopias, perplures pertulerit Hugo ſanctiſsimus annos: eo quòd illicitis contractibus (vt pleriq; faciunt) ſuas indigentias ſupplere nollet, nec etiã mutuare præſumeret, cùm ſciret ſe non habere, vnde poſſet reſtituere. Incredibile quoque eſt, quomodo tot tantaq; ſuſcepti populi vitia & peccata, quanta violentia, qui-

Nota deprauatos temporis eius mores.

quibusue prædicationis & diſciplinæ flagellis perſecutus ſit. Quos ibidem labores, quos diſcurſus, quaſue ſolicitudines inſumpſerit, quæ ieiunia, quas vigilias tulerit, quos gemitus, quas preces, quoſque lachrymarum imbres ad propitiandum Dominum paterna pro eis compaſsione profuderit, non eſt noſtræ facultatis euoluere. DIONYS. Non breuem, credo fructum hoc pietatis opus induxit. BASIL. Non breuem vtique. Nam repentè tota illa tenebroſa Eccleſiæ facies, in tantã ſplendoris gloriam, & in tam ſublime religionis decus euaſit, vt, ſi mihi linguæ oraque centum eſſent, non id tibi poſſem, vt dignum eſt, enarrare. Ipſe autem cùm omnes proficerent in melius, ſe quoque meliorem ſemper exhibuit, & inſtar pennatorum animalium, quæ Ezechiel vidit, coram ſua ſemper facie ſedulus gradiebatur, ſeſe ante ſe ponere, & ſua vel pericula, vel profectus ſubtili examinatione diſcutere non ceſſabat. Infra biennium tutam hanc Eccleſiæ ſuæ ruinam erexit in ſublimia, & ſe cœleſtibus quoque dignum exhibuit. *Ezech.1.*

CAPVT II.

DE ADVENTV B. BRVNONIS AD ſanctum Hugonem, & de ſeptem ſtellis.

CVm hæc agerentur, vix tribus in Epiſ-

copatu expletis annis, adeſt Magiſter Bruno, vir religione, ſciétiaq; famoſus, quem ſupra memorauimus, honeſtatis ac totius maturitatis quaſi quoddã ſimulachrum. Habebat autem ſocios Magiſtrum Landuinum, qui poſt eum Cartuſiæ Prior extitit, duos Stephanos Burgenſem, & Dienſem: qui ad ſanctum Rufum Canonici fuerant, ſed deſiderio ſolitariæ vitæ, ſuo Abbate fauente, ſeſe coniunxerant; Hugonem etiam, quem cognominabant Capellanum: eò quòd ſolus ex eis Sacerdotis fungeretur officio, & duos laicos, quos appellamus conuerſos, Andream & Guarinum. Hi autem locum heremiticæ vitæ congruum requirebant. Vt ſuaui ſanctæ conuerſationis odore, trahente, ad virum beatiſsimum Hugonem peruenerũt, quos ille & gratãter, & reuerenter excepit, tractauit, & voti compotes effecit. Ipſo namque conſulente, iuuante, comitante, Cartuſiæ ſolitudinem intrauerunt & extruxerunt. Viderat enimuerò circa id tempus, reuelatione diuina in eadem ſolitudine Deum ſua dignatione habitacula fratribus conſtruentem, ſtellas etiam ſeptem duces ſibi præſtantes itineris. Hæ ſtellæ, ſeptem iſti fratres extiterunt. Quaproter non iſtorum tantum, ſed & omnium, qui poſt ſucceſſerunt, fratrum conſilia libenter

benter amplexus eſt, & vſque ad mortem eos conſilijs ſemper fouit & beneficijs. Licet vero & prius diuini timoris totus arderet incendijs, non aliter tamen ad diſciplinæ exercitia horum exemplis & familiaritate inferbuit, quàm ſi flammanti quis faci plures alias circumponat ardentes. Videres, mi Dionyſi, hunc ſublimiſſimum virum cum his fratribus conuerſari, non vt dominum aut Epiſcopum, ſed vt ſocium & fratrem humillimum, & ad cunctorum obſequia paratiſſimum. Erat illic vir venerabilis Guilielmus Prior tūc beati Laurentij, & poſtea ſancti Theofredi Abbas, ſancto Brunoni religioſa deuotione feruenter aſtrictus, beati Hugonis contubernalis, (bini quippe per ſingulas habitabant cellulas:) hic cum lachrymis apud Brunonem conquerebatur, quòd omnia penè ad humilitatem ſpectantia intra cellā officia ſibi præriperet, & Epiſcopus non ſecum ſaltem vt ſocius, ſed potius conuerſaretur vt famulus: non ſibi triſtis licere aſſerēs, ex ſeruilibus operibus quicquam attingere, quæ ſibi facere competebant, illo ſibi cuncta præripiente. DION. Magnam reuera huius optimi viri humilitatem prædicaſti, qui non ſegni aure vocem audiuit eius, qui dicit: *Quanto maior es, humiliate in omnibus.* *Eccleſ. 3. 20.* BASIL. Cùm hac ſua

humilitate heremum adeo deuotus & ſedulus incolebat, vt eum ſanctus Bruno nonnunqnam exire compelleret: *Vade, inquiens, ad oues tuas, eiſque, quod debes, exſoluere, curato* Eo tempore tam ingēti eſt humilitatis & paupertatis ardore ſuccenſus, vt voluerit equitaturas ſuas vendere, & diuiſo pauperibus pretio, proprijs pedibus in prædicationem diſcurrere. Sed homo profundi cordis Magiſter Bruno (cuius conſilijs non aliter, quàm præceptis obtemperabat Abbatis,) non conſenſit; timens ne à cæteris de ſingularitate iudicaretur Epiſcopus: aut (quod dubium nō erat) ipſam prædicationem propter aſperitatem, & inæqualitatem conſummare non poſſet itineris.

CAP. III.

DE CORPORALI EIVS AEGROtatione.

BASIL. Vnum flagellum diuinæ viſitationis prius audiuimus, ſub quo hic vir Domini amantiſsimus deſudauit, & id ſpiritale: nunc aliud corporale flagellum ſupereſt, vt audiamus. Factum eſt, vt dum contemptis carnalibus ſpiritualia zelo feruētiore ſectaretur, præ nimijs vigilijs, ieiunijs, lectionibus, reliquiſq; ſacræ Religionis exercitijs, in capitis & ſtomachi deciderit in ægritudinem: cuius cruciatibus

Capitis & ſtomachi doloribus affligitur.

vltra quàm credi poteſt feruentioribus & ardoribus per quadraginta ad minus annis, quoad vixit nequaquam caruit. Itaque ad illum Sathanæ ſtimulū, quo multipliciter colaphizabatur, hic alter eſt additus. Quantū autem ijs duabus afflictionibus, tentatione videlicet, & mala valetudine tanquam aurum in fornace decoctus, & purgatus in ſpiritualem erga Dominum deuotionem, & in omnia afflictorum veram compaſsionem excreuerit, nec ipſe adhuc viuens ad plenum, ſi vellet, poſſet exponere. Quo enim plus affligebatur, eò vehementius in Domini refugium totus ferebatur, voluptatē quoque tāto plenioré hauriens inde atq; non ſuauiorem, quantò fuerat anguſtiam paſſus acerbiorem: iuxta illud Pſalmiſtæ: *ſecundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Huiuſmodi alternatim in eo vſq; ad mortem nō ceſſauere viciſsitudines. Nunc enim in ſuperna totis viribus erectus, guſtabat & videbat quoniam ſuauis eſt Dominus, & gaudijs ineffabilibus replebatur; nunc infirmitatis humanæ pondere relapſus ad ſolita, prioribus non carebat anguſtijs. Vtrobiq; lachrymæ ibi, præ gaudio, hic præ tædio. Ibi præ multa dulcedine, hic præ multa amaritudine. Ibi præ deli-

cijs ſpiritus, hîc præ miſerijs carnis. Inter hæc igitur & proſpera & aduerſa; proſpera, inquam, ſpiritus, & aduerſa carnis, factæ ſibi fuerant lachrymæ ſuæ panes die ac nocte. Non has illi proſpera, non illas ſiccabant aduerſa. Vix legere, vix pſallere, vix ſine ijs vir mitiſsimus potuit diuina meditari. Adeo namque lachrymarum in eo excreuerat gratia, vt frequenter inter edendum illi ab oculis promanarent. Multoties enim propter decurrentes lachrymas ſibi & ſocijs, qui aſsidebant, vel impediebatur, vel triſtabatur. Habebat ſemper ad menſam diuinorum librorum lectiones, vt duplicatis delicijs ſeſe ſuoſq; ſaginaret. Tuq; inter legendum inſigne aliquid de diuina miſeratione vel ſeueritate occurriſſet, idipſum bis aut ter dicere compellebat. Et ecce ſcripturarum voluptate guſtata, concuſsis ab imo viſceribus, tantis lachrymarum infundebatur irriguis, vt voluptatem ventris & gutturis & ſibi funditus tolleret, & in ſocijs temperaret. Edocti itaque per experientiam comites, cùm tales pluuiarum & imbrium nubes cernerent imminere, innuebant lectori cedere, & aliquantiſper à legendo ceſſare, vt taliter moleſtiam hanc poſſent ad tempus declinare. DIO. O verè beatiſsimas lachrymas. O ſalutares plu-

pluuiam oculorum, quibus, vt tu dicis, & ventris in ſe delicias ſtringebat & appetitũ in ſummis ſaginabat delicijs. BAS. Non ſolū aūt ſic ſuper ſe lachrymabatur, verū et ſtillabant lachrymæ eius ſuper vniuerſam ſanctā Eccleſiā: præſertim ſuper populum ſibi commendatum, & qui ſua illi peccata confitebantur. Clemēter enim hos, humiliterq; ſuſcipiens; confitentes patientiſſimè audiebat, ſæpius flens ipſe cum flentibus: & duriores quoſque ſuis incitabat lachrymis ad fletū. Quod vno ſatis mōſtratur exemplo. Vir Deo charus Gauterius, cognomento Calneſius, qui multo tempore laudabiliter apud Cartuſiam Monachus vixit, & obijt; hic ſolebat referre, ꝙ cùm adhuc in ſæculo poſitus, ſuas huic patri confiteretur offenſas, (erat enim in Eccleſia Gratianopolitana literis & honore præclarus) incubuerit ipſe ſuper caput eius, & tantam vertici eius lachrymarum infuderit copiam, vt madefactis capillis, deorſum etiam riuuli per confitentis ora defluerent. DION. Quomodo dignè has lachrymas commendemus, quæ nō modò propriam, ſed etiā de aliorum mentibus peccata lauerunt? Vbi ſunt nunc huiuſcemodi Cōfeſſores, qui ſic ſpargunt in aliorū calamitatibus fletus? Omnes, heu, duri, omnes ferrei ſumus, & ſicuti non no-

ſtris,

ſtris, ſic nec aliorum cladibus miſeremur. BASIL. Hic ſedulus animarum ſotor, mulierum conſeſsiones non minus cautè, quàm benignè audiebat. Non enim in angulis, aut obſcuris, ſecretiſque locis eas audire ſolitus erat, ſed potius vbi à pluribus conſpici poterat. Et aurem quidem ſatis familiariter loquentibus applicabat, oculorum autem in partem alteram vertebat aſpectum: auditum ſolùm propter inſidias Diaboli, ijs negotijs aſſerens admouendum. Quàm videlicet oculorum cuſtodiam incredibili ſemper & vbiq; circũſpectione ſeruabat, ita vt, cùm potentes ac nobiles mulieres ad colloquium honorificè hilariterque ſuſciperet, multa coram ſe diuque tractantium facies penitus non videret. Dicebat enim, cogitationes illicitas diſſicillimè poſſe vitari, niſi quis corporis ſenſus vigilantia magna cõpreſſerit. Intrare autem, ſecundum Prophetã, mortem quaſi per has feneſtras, & ingredi domos noſtras. Non ſolùm autem à mulierũ
Ierem. 9. v. 21. verùm etiam à virorum vultibus religioſe mentis auertendum docebat intuitum: aſſerens per communionem humanę mutabilitatis compaſsiuè fieri, vt affectiones conſpecti frequenter ad conſpicientem inæſtimabili velocitate pertranſeant: vt, verbi gratia, de irato iratus, de triſti triſtis,

ſtis, ac de laſciuiente fiat laſciuiens. Dicebat enim, cuique ſuas ſibi paſsiones ſufficere, & non in ſeper illicitum aſpectum tranſcribere taliter alienas. DION. O documentum ſaluberrimum, & totis animi viribus amplectendum. BASIL. Huic ſanctiſsimo Dei famulo tam cauta fuit oculorum cuſtodia, vt nullius diceret ſe in toto Epiſcopatu ſuo mulieris, præterquam vnius, faciem ita conſpexiſſe, vt ex conſideratione vultus, ſi occurreret, quænam eſſet, poſſet agnoſcere. Quid hac cautela circumſpectius? Quid hac vera Philoſophia refertius? Quid hac caſtitate ſyncerius? Talem ſe Hugo mulieribus noſcitur exhibuiſſe caſtiſsimum, talem in humanis affectionibus ſapientiſsimum præſtitiſſe. Hinc fuit illud quòd cùm venerabilis Guigo, Cartuſiæ Pater ab illo quæreret de matre ſua, quę cum illo, quamdiu voluit, locuta fuit, vtrum eam valde ſenecta fręgiſſet, paululum ſecum pręmeditás, neſcio reuera, inquit, vtrum vetus, an recens ſit. Hinc fuit & illud, quòd muliere quadam potentia & nobilitate præclara, in eius conſpectu, quàm moroſè placuit, multa loquéte, cùm & ipſe quod libuit, reſpondiſſet, illaque receſsiſſet, dicerentq; ſocij eius, viri religioſi, cur non eam corripuiſſet, quòd ſe ſuamque faciem tam ſuperbè

tioribus probatur indicijs. Capitis namq; dolores& ſtomachi,ijs maximè creati ſtudijs, eum ab huiuſmodi monſtrant abſtinuiſſe delicijs.

CAPVT V.
DE CHARITATE EIVS AD inimicos.

Veritatis ſtudioſiſſimus.

BASIL. Quàm verax, quàm integer in verbis fuerit, quo certius quàm inimici teſtimonio probare poterimus? Guigo illuſtris Comes Gratianopoleos, homo ſatis idoneus ſecundum ſeculum, circa eundem Dei famulum tranquillitatis tẽpore ſatis deuotus, inuictiſsimè pro iuſtitia reſiſtenti Præſuli moleſtias non paruas intulit. Hic Comes ab eo pro ſuis excommunicatus exceſsibus, bis Epiſcopalibus expulit domibus. Itaque cùm grande placitum inter eos haberetur, in præſentia Guidonis Viennenſis Archiepiſcopi, & vir Dei, vt Leo confidens, iuſtitiam aduerſus Comitem aperta contradictione defenderet, indignatus ille, atque iracundiæ facibus inflammatus, paratuſque, ſicut apparuit, quicquid poſſet obijcere, quaſi pro graui crimine intulit, dicens: Audiui aliquando abs te dici, quòd vtique verum non erat. Ad hæc ſacer ille Epiſcopus, coram cunctis, qui aderant, diuerſis ordinis viris, interrogauit, vtrum ſe ſcienter audiſſet

Hic poſtea Papa Calixtus effectus eſt.

Prou. 28.

diſſet

ſſet mentitum. Tunc ille, quanquam iratus, quanquam omni furore repletus, veritatis tamen pondere preſſus, eum ſe reſpōdit ſcienter nullatenus audiſſe mentitum. Et hęc quidem de eius veritate ſermonis. Nunc de charitate ad inimicos ſupereſt vt diſſeramus. Infeſtiſsimus, vt dictum eſt, erat hic Comes huic patri, adeo vt non in ſuis domibus, ſed aut apud Cartuſiam, aut Lugduni demoraretur. In ijs tantis tribulationibus magnam illi reuerentiam, magnumque ſubſidium ſua ſemper Eccleſia exhibebat. Cùm igitur die quadam, cùm eſſet Cartuſiæ, & Pater Guigo & ipſe inuicem loquerentur de hoc Comite, Ego, inquit, *bonam de huius ſalute ſpem gero, nec aſſecuturum Dei miſericordiam aliquando: quia nunquam delectabilius, aut ferue... us, quàm nunc pro eo ſolitus ſum Deum deprecari.* Audiſti charitatem ad inimicos, nunc ſupereſt vt audias, quem ad propinquos & parentes habuerit dilectionis affectum, & hunc ſpiritualem. Hic enim ſua ſaluberrima exhortatione patrem iam ſenio grauem, & feſſum vlteriori æuo, tanto fecit feruore ſæculum deſpicere, vt ſenectutis immemor & delicatæ conſuetudinis, duras, quas Cartuſia propter verba labiorum Dei cuſtodit, aggredi vias non dubitauit. Illic Monachus effectus, annis fere decem &

De charitate ipſius etiam erga perſecutores & calumniatores.

octo, in tanta vixit humilitate, vt cunctis ibidem Deo famulantibus charus haberetur, & veneratione dignißimus. Hic autē cùm ferè centenarius eſſet, & mori inciperet, venerabilis affuit filius Hugo, eumque proprijs & vnxit, & ſacra Cõmunione repleuit manibus: Expletoque, condigna veneratione, tã ſancto funere, obitus diē, ſicut & ſuæ matris, eleemoſynis, quoad vixit, celebrem duxit & ſacrificijs. Non ſolùm ipſe patrem ad ſacrum habitum ſuſcipiendum inſtituit, ſed ipſe quoque à Patre Brunone Cartuſienſis factus, habitum ſumpſit: quem vſque in vitæ terminum, ſanctis moribus decorauit. Nunc de charitate eius ad pauperes pauca dicamus.

Eleemoſynarum ſtudium. Eleemoſynæ ſanè fuit & per ſe diligens executor, & in alijs etiã feruidus adhortator. Exceptis enim domus ſuæ duntaxat neceſsitatibus, cuncta penè, quæ conſequi poterat, non in theſauris congerebat poſterorum, vel diſsipanda vſibus, vel conſumenda fluxibus, ſed ſciens illud Apoſtoli: *Hilarem datorem diligit Deus.* Diſtribuat lætus egentibus. *2. Cor. 9.* Deniq; annulos aureos & gẽmatos, calicem etiã aureum, tempore magnæ famis, vẽdidit, & alẽdis dedit pauperibus. Adiuuabant eũ quoq; ad eleemoſynas faciẽdas plurimi potẽtes, & nobiles; qui ſanctæ conuerſationis eius longè late-

que

ſalubriter ſuauiterq́: fragrantis odore
cti, de remotis etiam regionibus, quã-
um non vidiſſent, ob diuinam tamen
erentiam, beneficia multa mittebant.
cul aberant non à menſa tantam eius,
à totis acrijs hiſtriones, vaſa perditio-
, & organa falſitatis, procul militares
entes, tanquam rapinarum & cædium,
otius inſtrumenta crudelitatis, procul
am equites, niſi rari, & ipſi rarò, reſpe-
ique quàm maximè * ſpiritualis vtilita- * *al. ſpecial.s*
. Iniuſtiſsimum enim arbitrabatur, Ec-
ſiarum bona (quæ patrimonia ſunt
uperum,) in aliorum expendi, præſer-
n malorum vſibus hominum: immò
agis ſeipſum ex pauperibus vnum gra-
ter accuſabat, quòd ſibi ac ſocijs de re-
s ſibi commiſsis competentem ſumeret
piã; & nõ potius cũ pauperibus ſuſtine-
t & ipſe pauper inopiã. Eleemoſynam
[illegible] libēter faciebant, ſedulè ſuadebat, &
ro ſatisfactione etiam pœnitentibus in-
ngebat, dicens: *Oratione, ieiunijs, & elee-*
oſy[illegible] animarum ſordes, & offenſas in Deum
[illegible]ſſas, poſſe deleri. DIONYS. Magnam
uius optimi viri charitatem, & in hoſtes,
in parentes, & in pauperes oſtendiſti. V-
nam noſtri temporis Præſules, & Præla-
hanc ſequerentur: & præſertim eam,
uæ circa pauperes exhibetur. Abundant
D 2 enim

enim & plena ſunt ſolaria, cellaria, promptuaria, ſed nullorum hęc vſibus proſunt, niſi mimis hiſtrionibus, canibus, auibus, meretricibus. Sed comprimo me, ne iniurias videar: tute ſequere.

CAPVT VI.

DE AEQVITATE EIVS IN IVDICIO & de contemptu munerum.

BASIL. Illud ſanè quo pacto præterire poterimus, quin vel breuiter attingamus, quòd cùm frequentiſſimè ſuorum & aliorum cauſas, tum mundanas, tum Eccleſiaſticas audiret, ventilaret, terminaret, cumque in ſubditis ſibi Clericis per quinquaginta annos, toties conſecrationes, degradationes, reconciliationes, prout cauſa videbantur exigere, celebraret, *manus* tamen *ſuas ab omni*, ſecundùm propheticum præconium, *excuſſit munere*. Eo
Iſa.33. iudice, nulli vnquam perſonæ dignitas, nulli pecuniæ profuit quantitas. Nullum paupertas à ſacris officijs, nullum officiorum ſeu natalium ſeclubit extremitas. Non deargentatam conuictis vel confitẽtibus impoſuit pœnitentiam, non lucroſam in placitis defendit, ediditué ſententiam. Non mitiorem amicus, non duriorem
Leuit.19. eum expertus eſt inimicus. Non conſiderabat perſonam pauperis: non honorabat vultum potentis. Quod æquitatis genus beati

ati viri, eò præclarius illuſtrauit memoriam, quò rarius vel in præſentibus, vel in præteritis habet exemplum. DIONYS. Quanta nobis hic offertur (Deus bone) materia, in præſentium temporum fæces inuehendi, in quibus, cum decore & euerſione honeſtatis, Pecunia, templa penetrat, altaria maculat, ſacerdotia venundat, innocentiam exterminat, & omnia diuina humanaquè contaminat. *Excæcant* nunc, Deut. 36. heu, *munera oculos ſapientum, & ſubuertunt* Iſa. 1. *verba iuſtorum.* *Omnes*, enim, vt Propheta lachrymatur, *diligunt munera, ſequuntur retributiones. A minimo vſq; ad maximum, omnes auaritiæ ſtudent: à Propheta vſq; ad ſacerdotem cuncti faciunt dolum.* Poſtremò in capite omnium auaritia, & pecuniæ obediunt omnia, BASIL. Sat eſt: non enim iſta tractanda ſuſcepimus. Ad Dei igitur hominem verba vertamus. Hic enim temporalium negotiorum litigioſas cauſas, æternorum amore, non diligere, ſed tolerare magiſtram pietate didicerat. Dicebat enim omnino fibre moleſtiora eſſe ſibi placita, modiſq; omnibus ſe ijs abrenuntiaturum, ſi non in hoc Deum ſe ſciret offenſurum. Intererat autem iudicijs, tantummodò pacis obtentu, maximè pauperum atque Eccleſiarum: his enim nouerat grauius motus nocere *guerrarum. Sed quis nunc * *Guerrarum prolixium.*

 dignè

dignè in hoc opere eius commendet humilitatem? Si enim vbi inexorabiliora in aliquibus odia, & inexplicabiles repperit iras, tunc demum fortiſsimè de Dei fiſus auxilio, totuſque in charitatis, atq; humilitatis affectum tranſiens, inſtantiſsimè ac deuotiſsimè, offenſus, pro ijs, offenderât, ſupplicabat. O quoties ſalutis humanæ quaſi cæcatus deſiderio, in cœnoſa ſe pro talibus cauſis loca proiecit? O quoties ad pedes contemptibilem etiam perſonarũ diu proſtratus iacuit? Nec facilè, immò nunquam fruſtrabatur optatis. Nam & ſi qui negaſſent, non ſolum gratis, ſed & cum ſatisfactione petentes offerebant poſtea non roganti, quod negauerant ſupplicanti. Tantam quippe omne hominum genus & reuerentiam deferebat, vt Deum grauiter offendiſſe ſe crederet, quiſquis ei poſtulata negaſſet. DIONYS. Non me capio præ ſuauitate ſermonum horum, dum tantam, tam ſuauem, tam humilem bonitatem huius viri, te referente, cognoſco. Vbi nunc ſunt Præſules noſtri temporis qui hanc talem pietatis induſtriam, nedum agere, ſed vel cogitare dignantur?

CAPVT VII.

DE EFFICACIA PRAEDICATIONIS EIUS.

BASIL.

BASIL. Fuit præterea Hugo noſter Prædicator egregius. Erat quippe non mediocriter lateratus, ſed & ingenio, & memoria bene præditus erat, in quantum moleſtia capitis non obtundebat. Prædicans autem populo, facillimè cuncta ſuadebat, quia quod verbis docebat, operibus oſtendebat. Inſtruebat igitur ad Confeſſionem, excitabat ad pœnitentiam, & promptam ad commiſerandum diuinam clementiam demonſtrabat. Nec quærebat in ſermo à literatis, quaſi ſapiens laudaretur, ſed quod auditoribus & melius intelligeretur & vtilius retineretur. Deniq; in tantum auditores eius interdũ prędicatione ipſius mouebatur, vt capitalia etiã aliqui crimina, Deũ magis verentes quã homines, publicè faterentur. Quod ſequens declarabit exemplum. Apud * iuſnaicum caſtrum populo multo ad dedicationem Eccleſiæ congregato, Sanctus Dei ſermonem fecit, quo in multas lachrymas audientium corda reſoluit. Ibi mulieres duæ cùm eius verba profundius aure cordis hauſiſſent, audientibus populis ſcelera ſua confeſſæ ſunt, quæ commiſerant. Et vna quidem quid dixerit, non ſatis habemus compertum; altera autem ſe ſuum prodidit occidiſſe maritum. Cumque vir Dei necis exquirèret modum, retulit in

Prædicatio eius efficax.

* *al. Vimacum.*

Nota rem miram.

cijs ſpiritus, hîc præ miſerijs carnis. Inter hæc igitur & proſpera & aduerſa; proſpera, inquam, ſpiritus, & aduerſa carnis, factæ ſibi fuerant lachrymæ ſuæ panes die ac nocte. Non has illi proſpera, non illas ſiccabant aduerſa. Vix legere, vix pſallere, vix ſine ijs vir mitiſsimus potuit diuina meditari. Adeo namque lachrymarum in eo excreuerat gratia, vt frequenter inter edendum illi ab oculis promanarent. Multoties enim propter decurrentes lachrymas ſibi & ſocijs, qui aſsidebant, vel impediebatur, vel triſtabatur. Habebat ſemper ad menſam diuinorum librorum lectiones, vt duplicatis delicijs ſeſe ſuoſq; ſaginaret. Tuq; inter legendum inſigne aliquid de diuina miſeratione vel ſeueritate occurriſſet, idipſum bis aut ter dicere compellebat. Et ecce ſcripturarum voluptate guſtata, concuſsis ab imo viſceribus, tantis lachrymarum infundebatur irriguis, vt voluptatem ventris & gutturis & ſibi funditus tolleret, & in ſocijs temperaret. Edocti itaque per experientiam comites, cùm tales pluuiarum & imbrium nubes cernerent imminere, innuebant lectori cedere, & aliquantiſper à legendo ceſſare, vt taliter moleſtiam hanc poſſent ad tempus declinare. DIO. O verè beatiſsimas lachrymas. O ſalutares
plu-

luxuriam oculorum, quibus vt iudicis, & ventris in ſe delicias ſtringebat & animam flammis ſaginabat delicijs. EAS. Non ſolùm aũt ſic ſuper ſe lachrymabatur, verũ ẽt ſtillabant lachrymæ eius ſuper vniuerſam ſanctã Eccleſiã: præſertim ſuper populum ſibi commendatum, & qui ſua illi peccata confitebantur. Cleméter enim hos, humiliterq́; ſuſcipiens; confitentes patientiſsimè audiebat, ſæpius flens ipſe cum flentibus: & duriores quoſque ſuis incitabat lachrymis ad flerũ. Quod vno ſatis mõſtratur exemplo. Vir Dei clarus Gauterius, cognomento Calueſius, qui multo tempore laudabiliter apud Cartuſiam Monachus vixit, & obijt; hic ſolebat referre, q̃ cùm adhuc in ſæculo poſitus, ſuas huic patri confiteretur offenſas, (erat enim in Eccleſia Gratianopolitana literis & honore præclarus) incubuerit ipſe ſuper caput eius, & tantam vertici eius lachrymarum infuderit copiam, vt madefactis capillis, deorſum etiam riuuli per confitentis ora defluerent. DION. Quomodo dignè has lachrymas commendemus, quæ nõ modò proprium, ſed etiã de aliorum mentibus peccata lauerunt? Vbi ſunt nunc huiuſcemodi Cõfeſſores, qui ſic ſpargunt in aliorũ calamitatibus fletus? Omnes, heu, duri, omnes ferrei ſumus, & ſicuti non noſtris,

ſtris, ſic nec aliorum cladibus miſeremur. Basil. Hic ſedulus animarum ſotor, mulierum confeſsiones non minus cautè, quàm benignè audiebat. Non enim in angulis, aut obſcuris, ſecretiſque locis eas audire ſolitus erat, ſed potius vbi à pluribus conſpici poterat. Et aurem quidem ſatis familiariter loquentibus applicabat, oculorum autem in partem alteram vertebat aſpectum: auditum ſolùm propter inſidias Diaboli, ijs negotijs aſſerens admouendum. Quam videlicet oculorum cuſtodiam incredibili ſemper & vbiq; circũſpectione ſeruabat, ita vt, cùm potentes ac nobiles mulieres ad colloquium honorificè hilariterque ſuſciperet, multa coram ſe diuque tractantium facies penitus non videret. Dicebat enim, cogitationes illicitas difficillimè poſſe vitari, niſi quis corporis ſenſus vigilantia magna cõpreſſerit. Intrare autem, ſecundum Prophetã, mortem quaſi per has feneſtras, & ingredi domos noſtras. Non ſolùm autem à mulierũ verùm etiam à virorum vultibus religioſè mentis auertendum docebat intuitum: aſſerens per communionem humanę mutabilitatis compaſsiuè fieri, vt affectiones conſpecti frequenter ad conſpicientem inæſtimabili velocitate pertranſeant: vt, verbi gratia, de irato iratus, de triſti triſtis,

Ierem. 9. v. 21.

tis, ac de laſciuiente fiat laſciuiens. Dicebat enim, cuique ſuas ſibi paſsiones ſufficere, & non in ſeper illicitum aſpectum tranſcribere taliter alienas. DION. O documentum ſaluberrimum, & totis animi viribus amplectendum. BASIL. Huic ſanctiſsimo Dei famulo tam cauta fuit oculorum cuſtodia, vt nullius diceret ſe in toto Epiſcopatu ſuo mulieris, præterquam vnius, faciem ita conſpexiſſe, vt ex conſideratione vultus, ſi occurreret, quænam eſſet, poſſet agnoſcere. Quid hac cautela circumſpectius? Quid hac vera Philoſophia refertius? Quid hac caſtitate ſyncerius? Talem ſe Hugo mulieribus noſcitur exhibuiſſe caſtiſsimum, talem in humanis affectionibus ſapientiſsimum præſtitiſſe. Hinc fuit illud quòd cùm venerabilis Guigo, Cartuſiæ Pater ab illo quæreret de matre ſua, quę cum illo, quamdiu voluit, locuta fuit, vtrum eam valde ſenecta fregiſſet, paululum ſecum prẹmeditās, neſcio reuera, inquit, vtrum vetus, an recens ſit. Hinc fuit & illud, quòd muliere quadam potentia & nobilitate præclara, in eius conſpectu, quàm moroſè placuit, multa loquēte, cùm & ipſe quod libuit, reſpondiſſet, illaque receſsiſſet, dicerentq; ſocij eius, viri religioſi, cur non eam corripuiſſet, quòd ſe ſuamque faciem tam ſuperbè

perbè tamquè laſciue poſſet, reſpondit ille, non ſine horrore quodam & execratione, faciem eius ſe penitus non vidiſſe. Neq; id mirum quòd faciem huius vnius non videret, qui nullam nouerat. DION. Vbi nunc ſunt qui tam libenter petulanti oculo, non ſolùm mulieres aſpicere, verũ & alloquari, & tangere delectantur? Sed conſiderent nunc rogo, qui miracula pro magno habent, vtrum mirabilius ab homine mortali carne circumdato, quicquã deberet exigi, & vtrum cuiquam poſſit non impoſſibile videri, per quinquaginta & amplius annos grandem Epiſcopatum à quolibet homine regi, & præterquam vnius omnino faciem fæminæ neſciri. BASIL. Rectè tu quidem, ô Dionyſi. Et certè hæc ipſa vna parum quidem formoſa erat, ſed coſilij eius ſatis indiga. Nemo tamen arbitretur, Hugonem ideo ſe ſuoſq; ſenſus ab intuitu ſæminarum tam diſciplinatè ſeruaſſe, quòd circa libidinis vitium ſe ſentiret infirmum: quippe in quem omnium gratiarum chariſmata à patre luminum deſuper influxerant: ſed vt ſui habitus & officij qualẽ decebat maturitatem, ſeueritatemq; ſeruaret, & inferioribus, ſe ſequentibus exempla ſtatueret, docẽs non debere quemquam de ſua puritate vel firmitate præſumere, cum & homo in eodem

em ſtatu non perſeueret, & aduerſarius rugiendo circumiens, quærat quem deuoret. Dauidem & Salomonem dicebat ſemper præ oculis ponendos: quorum alter, quia ſe circa mulieres exhibuit licentius, ex ſumma innocentia in adulterium decidit & homicidium; alter de ſapientiâ qua mortales cunctos exceſſerat, in ſeruitutem vſque deſipuit idolorum.

CAP. IV.

QVOMODO ET ALIOS FRAENARIT ſenſus ſuos.

BASIL. Non autem hunc ſolum, ſcilicet oculorum ſenſum, ſed & cæteros omnes ſimili diligentia cohibebat. Aures namque, & linguam, cùm à cæteris illicitis, tum quam maximè à detractionibus frænabat, dicens: *Sufficere vnicuique peccata propria, nec eſſe neceſſe, vt alienis ſuam vel audiendo conſcientiam, vel loquendo contaminet linguam.* Rumores nec interrogabat, nec facilè referebat. De tactu verò, vel odoratu, ſuperfluum ducimus facere mentionem: quorum alterum, id eſt, odoratum, ad hoc ſolùm curabat, vt odores propter paſsiones cerebri non admitteret: alteri verò, ſcilicet tactui, penitus valeſecerat. Deſideria porrò ventris & gutturis vir beatus inſtantia quanta contempſerit, res ipſa, tacentibus nobis certiori-

Aurium, & linguæ eius continentia.

tioribus probatur indicijs. Capitis namq; dolores & ſtomachi, ijs maximè creati ſtudijs, cum ab huiuſmodi monſtrant abſtinuiſſe delicijs.

CAPVT V.

DE CHARITATE EIVS AD inimicos.

Veritatis ſtudioſiſſimus.

BASIL. Quàm verax, quàm integer in verbis fuerit, quo certius quàm inimici teſtimonio probare poterimus? Guigo illuſtris Comes Gratianopoleos, homo ſatis idoneus ſecundum ſeculum, circa eundem Dei famulum tranquillitatis tẽpore ſatis deuotus, inuictiſsimè pro iuſtitia reſiſtenti Præſuli moleſtias non paruas intulit. Hic Comes ab eo pro ſuis excommunicatus exceſsibus, bis Epiſcopalibus expulit domibus. Itaque cùm grande placitum inter eos haberetur, in præſentia Guidonis Viennenſis Archiepiſcopi, & vir Dei, vt Leo confidens, iuſtitiam aduerſus Comitem aperta contradictione defenderet, indignatus ille, atque iracundiæ facibus inflammatus, paratuſque, ſicut apparuit, quicquid poſſet obijcere, quaſi pro graui crimine intulit, dicens: Audiui aliquando abs te dici, quòd vtique verum non erat. Ad hæc ſacer ille Epiſcopus, coram cunctis, qui aderant, diuerſis ordinis viris, interrogauit, vtrum ſe ſcienter audiſſet

Hic poſtea Papa Calixtus effectus eſt.

Prou. 28.

ſſet mentitum. Tunc ille, quanquam iratus, quanquam omni furore repletus, veritatis tamen pondere preſſus, eum ſe reſpōdit ſcienter nullatenus audiſſe mentum. Et hęc quidem de eius veritate ſermonis. Nunc de charitate ad inimicos ſupereſt vt diſſeramus. Infeſtiſsimus, vt dictum eſt, erat hic Comes huic patri, adeo vt non in ſuis domibus, ſed aut apud Cartuſiam, aut Lugduni demoraretur. In ijs suis tribulationibus magnam illi reuerentiam, magnumque ſubſidium ſua ſemper Eccleſia exhibebat. Cùm igitur die quadam, cùm eſſet Cartuſiæ, & Pater Guigo & ipſe inuicem loquerentur de hoc Comite, *Ego*, inquit, *bonam de huius ſalute ſpem gero, nec aſſecuturum Dei miſericordiam aliquando: quia nunquam delectabilius, aut feruentius, quàm nunc pro eo ſolitus ſum Deum deprecari.* Audiſti charitatem ad inimicos, nunc ſupereſt vt audias, quem ad propinquos & parentes habuerit dilectionis affectum, & hunc ſpiritualem. Hic enim ſua ſaluberrima exhortatione patrem iam ſenio grauem, & feſſum vlteriori æuo, tanto fecit feruore ſæculum deſpicere, vt ſenectutis immemor & delicatæ cōſuetudinis, duras, quas Cartuſia propter verba labiorum Dei cuſtodit, aggredi vias non dubitauit. Illic Monachus effectus, annis ferè decem &

De charitate ipſius etiam erga perſecutores & calumniatores.

octo, in tanta vixit humilitate, vt cunctis ibidem Deo famulantibus charus haberetur, & veneratione digniſsimus. Hic autē cùm ferè centenarius eſſet, & mori inciperet, venerabilis affuit filius Hugo, eumque proprijs & vnxit, & ſacra Cōmunione repleuit manibus: Expletoque, condigna veneratione, tā ſancto funere, obitus diē, ſicut & ſuæ matris, eleemoſynis, quoad vixit, celebrem duxit & ſacrificijs. Non ſolùm ipſe patrem ad ſacrum habitum ſuſcipiendum inſtituit, ſed ipſe quoque à Patre Brunone Cartuſienſis factus, habitum ſumpſit: quem vſque in vitæ terminum, ſanctis moribus decorauit. Nunc de charitate eius ad pauperes pauca dicamus. *Eleemoſynarum ſtudium.* Eleemoſynæ ſanè fuit & per ſe diligens executor, & in alijs etiā feruidus adhortator. Exceptis enim domus ſuæ duntaxat neceſsitatibus, cuncta penè, quæ conſequi poterat, non in theſauris congerebat poſterorum, vel diſsipanda vſibus, vel conſumenda fluxibus, ſed ſciens illud Apoſtoli: *Hilarem datorem diligit Deus.* *2. Cor. 9.* Diſtribuat lætus egentibus. Deniq; annulos aureos & gēmatos, calicem etiā aureum, tempore magnæ famis, vēdidit, & alēdis dedit pauperibus. Adiuuabant eū quoq; ad eleemoſynas faciēdas plurimi potētes, & nobiles; qui ſanctæ conuerſationis eius longè late-

que

ue ſalubriter ſuauiterq; fragrantis odore
llecti, de remotis etiam regionibus, quã-
ſs eum non vidiſſent, ob diuinam tamen
euerentiam, beneficia multa mittebant.
rocul aberant non à menſa tantum eius,
ed à totis acrijs hiſtriones, vaſa perditio-
is, & organa falſitatis, procul militares
lientes, tanquam rapinarum & cædium,
t totius inſtrumenta crudelitatis, procul
tiam equites, niſi rari, & ipſi raro, reſpe-
tuque quàm maximè * ſpiritualis vtilita- *al. ſpecialis
is. Iniuſtiſsimum enim arbitrabatur, Ec-
leſiarum bona (quæ patrimonia ſunt
auperum,) in aliorum expendi, præſer-
im malorum vſibus hominum: immò
nagis ſeipſum ex pauperibus vnum gra-
iter accuſabat, quòd ſibi ac ſocijs de re-
us ſibi commiſsis competentem ſumeret
opiã; & nõ potius cũ pauperibus ſuſtine-
et & ipſe pauper inopiã. Eleemoſynam
gitur libẽter faciebant, ſedulè ſuadebat, &
ro ſatisfactione etiam pœnitentibus in-
ungebat, dicens: *Oratione, ieiunijs, & elee-
moſynis animarum ſordes, & offenſas in Deum
ommiſſas, poſſe deleri.* DIONYS. Magnam
uius optimi viri charitatem, & in hoſtes,
t in parentes, & in pauperes oſtendiſti. V-
inam noſtri temporis Præſules, & Præla-
i hanc ſequerentur: & præſertim eam,
uæ circa pauperes exhibetur. Abundant

D 2 enim

enim & plena ſunt ſolaria, cellaria, promptuaria, ſed nullorum hęc vſibus proſunt, niſi mimis hiſtrionibus, canibus, auibus, meretricibus. Sed comprimo me, ne iniurius videar: tute ſequere.

CAPVT VI.

DE AEQVITATE EIVS IN IVDICIO & de contemptu munerum.

BASIL. Illud ſanè quo pacto præterire poterimus, quin vel breuiter attingamus, quòd cùm frequentiſſimè ſuorum & aliorum cauſas, tum mundanas, tum Eccleſiaſticas audiret, ventilaret, terminaret, cumque in ſubditis ſibi Clericis per quinquaginta annos, toties conſecrationes, degradationes, reconciliationes, prout cauſa videbantur exigere, celebraret, *manus* tamen *ſuas ab omni*, ſecundùm propheticum præconium, *excuſſit munere*. Eo
Iſa. 33. iudice, nulli vnquam perſonæ dignitas, nulli pecuniæ profuit quantitas. Nullum paupertas à ſacris officijs, nullum officiorum ſeu natalium ſecluſit extremitas. Non deargentatam conuictis vel confitétibus impoſuit pœnitentiam, non lucroſum in placitis defendit, ediditué ſententiam. Non mitiorem amicus, non duriorem
Leuit. 19. eum expertus eſt inimicus. Non conſiderabat perſonam pauperis: non honorabat vultum potentis. Quod æquitatis genus

beati

[illegible]ati viri, eò præclarius illi [illegible]
[illegible]m, quò rarius vel in præſentibus, vel in
præteritis habet exemplum. DIONYS.
Quanta nobis hic offertur (Deus bone)
materia, in præſentium temporum fæces
inuehendi, in quibus, cum decore & euer-
ſione honeſtatis, Pecunia, templa pene-
trat, altaria maculat, ſacerdotia venundat,
innocentiam exterminat, & omnia diuina
humanaque contaminat. *Excæcant* nunc, Deut. 36.
heu, *munera oculos ſapientum, & ſubuertunt* Iſa. 1.
verba iuſtorum. *Omnes*, enim, vt Propheta
la[illegible]hrymatur, *diligunt munera, ſequuntur re-
tributiones. A minimo vſq; ad maximum, omnes
auaritiæ ſtudent: à Propheta vſq; ad ſacerdotem
cuncti faciunt dolum.* Poſtremò in capite o-
mnium auaritia, & pecuniæ obediunt om-
nia, BASIL. Sat eſt: non enim iſta tractan-
da ſuſcepimus. Ad Dei igitur hominem
verba vertamus. Hic enim temporalium
negotiorum litigioſas cauſas, æternorum
amore, non diligere, ſed tolerare magi-
ſtram pietate didicerat. Dicebat enim o-
mni ſebre moleſtiora eſſe ſibi placita,
modiſq; omnibus ſe ijs abrenuntiaturum,
ſi non in hoc Deum ſe ſciret offenſurum.
Intererat autem iudicijs, tantummodò
pacis obtentu, maximè pauperum atque
Eccleſiarum: his enim nouerat grauius * *Guerrarum*
[illegible]otus nocere *guerrarum. Sed quis nunc *prolitium.*

 dignè

dignè in hoc opere eius commendet humilitatem? Si enim vbi inexorabiliora in aliquibus odia, & inexplicabiles repperit iras, tunc demum fortiſsimè de Dei filius auxilio, totuſque in charitatis,atq; humilitatis affectum tranſiens, inſtantiſsimè ac deuotiſsimè,offenſus, pro ijs, offenderãt, ſupplicabat. O quoties ſalutis humanæ quaſi cæcatus deſiderio, in cœnoſa ſe pro talibus cauſis loca proiecit? O quoties ad pedes contemptibilem etiam perſonarũ diu proſtratus iacuit? Nec facilè, immò nunquam fruſtrabatur optatis. Nam & ſi qui negaſſent, non ſolum gratis, ſed & cum ſatisfactione petentes offerebant poſtea non roganti, quod negauerant ſupplicanti. Tantam quippe omne hominum genus & reuerentiam deferebat, vt Deum grauiter offendiſſe ſe crederet, quiſquis ei poſtulata negaſſet. DIONYS. Non me capio præ ſuauitate ſermonum horum,dum tantam,tam ſuauem,tam humilem bonitatem huius viri,te referente, cognoſco. Vbi nunc ſunt Præſules noſtri temporis qui hanc talem pietatis induſtriam,nedum agere,ſed vel cogitare dignantur?

CAPVT VII.

DE EFFICACIA PRAEDICATIONIS eius.

BASIL.

BASIL. Fuit præterea Hugo noſter Prędicator egregius. Erat quippe non mediocriter lateratus, ſed & ingenio, & memoria bene præditus erat, in quantum moleſtia capitis non obtundebat. Prædicans autem populo, faciliime cuncta ſuadebat, quia quod verbis docebat, operibus oſtendebat. Inſtruebat igitur ad Confeſſionem, excitabat ad pœnitentiam, & promptam ad commiſerandum diuinam clementiam demonſtrabat. Nec quærebat in quo à literatis, quaſi ſapiens laudaretur, ſed quod auditoribus & melius intelligeretur & vtilius retineretur. Denique tantum auditores eius interdũ prędicatione ipſius mouebatur, vt capitalia etiã aliqui crimina, Deũ magis verentes quã homines, publicè faterentur. Quod ſequens declarabit exemplum. Apud * Iuſnaicum caſtrum populo multo ad dedicationem Eccleſiæ congregato, Sanctus Dei ſermonem fecit, quo in multas lachrymas audientium corda reſoluit. Ibi mulieres duæ cum eius verba profundius aure cordis hauſiſſent, audientibus populis ſcelera ſua confeſſæ ſunt, quæ commiſerant. Et vna quidem quid dixerit, non ſatis habemus compertum; altera autem ſe ſuum prodidit occidiſſe maritum. Cumque vir Dei necis exquireret modum, retulit in

Prædicatio eius efficax.

** al. Vinnacum.*

Nota rem miram.

eſcam illi ſe dediſſe venenum. Poſt hæc iuſsit præſentes recedere, vt ei cæteri, quod volebant, liberius poſſent oſtendere. Fecit igitur ille fructum maximum, & erraticos homines ad viam reſtituit veritatis. DIONYS. Ex ijs patet quàm abundanter illi inerat ad Dei populum charitas ſyncera, & fraterna dilectio; qui & verbis, & operibus populum inſtruebat ad vitam: quem noſtri Antiſtites peruerſis moribus præcipitant in gehennam. BASIL. Multa in laudem huius beatiſsimi Patris hactenus explicuimus, & id breuiter, & multo inferius quàm tanta ſanctitas promeretur. Congeſſerat namq; in illum, vnum, diuina gratia ornamenta comolurium: quæ diſpertita per ſingulos, plurimos illuſtres facere poſſent, & conſpicuos. Si enim laudetur caſtitas, quis illo mundior? Si ſermonis veritas, quis illo cautior? Si Dei charitas, quis feruentior? Si dilectio proximi, quis benignior? Si humilitas, quis deiectior? Si eleemoſynæ, quis largior? Si oratio, quis deuotior? Si lachrymarum gratia, quis profuſior? Si contemplatio, in quo ſublimior? Si tolerantia, quis in tribulatione fortior? Si iuſtitia, quis diſtrictior? Si prudentia, quis circumſpectior? Si temperantia, quis moderatior? Et reuera cùm talis eſſet ac tantus,

Virtutum catalogus.

us, ipſe tamen quaſi ſeruus inutilis ſe inutilis ſe in-
ructuoſum ſemper accuſare ſolebat, qui
piſcopi locum occuparet, Epiſcopi ho-
oris licentiam ſuſciperet, Epiſcopalia bo-
a conſumeret, Epiſcopi verò nec digni-
atem, nec fructus haberet. Et cùm poſſet
bundè gloriari, propter immortales bo-
orum operum fructus, quibus coruſca-
bat, maluit tamen humiliter ſtare infra ſe,
quàm inaniter extolli ſuper ſe. Vt enim
taceamus quæ Clero pariter & plebi per
eum bona prouenerat, hæremus Cartuſiæ
Caleſienſis Abbatis, Excubrarum domus,
Regularium Canonicorum apud Miſere-
num, & apud ſanctum Georgium domus,
ipſo anitente cœperant, ipſo ſpiritaliter &
corporaliter fouente, profecerant. Cùm i-
gitur ſuam ſemper in oculis imperfectio- *Petit obnixè*
nem cerneret, Epiſcopalem ſarcinam, tan- *abſolui ab E-*
quam qui idoneus non eſſet, modis omni- *piſcopatu.*
bus exuere deſiderabat. Hinc factum eſt,
vt Romam legatos & literas in hoc ipſum
ad venerandæ memoriæ Papam mitteret
Honorium. Sed legati nihil impetrare
potuerunt, cùm Summo Preſuli de Hugo-
nis profectione, & vtilitate optimè con-
ſtaret. Acceſſit & ipſe, quamuis multum
ſenex, & multum debilis eſſet, ad Pontifi-
cem pro hac ipſa cauſa, ſed nec quicquam
valuit obtinere: quamuis multas, vt puta-

bat, iuſtas & animæ, & corporis allegaret occaſiones. Dion. Noſtri temporis Prælati longiſsimè ab hac noſtri Hugonis ſententiam diſtare noſcuntur, qui cathedras ſuas dum habent, pertinaciſsimè tenent: & non habent, per indefeſſos labores ambitioſiſsimè extorquent. Basil. Sanctiſsimus Abbas Claræuallenſis Bernardus, cũ à remotis ſenſiſſet dulciſsimam bonæ opinionis huius Patris fragrantiam, ſubijt animum eius, vt Gratianopolim veniret, & Hugonem inuiſeret. Quem aduentantem noſter Præſul tam gratant & reuerenter excepit (intellexit nimirum diuinam in eiuſdem hoſpitis ſui viſitatione præſentiam) vt proſtratus ſolotenus adoraret. Tanta ſemper inerat huic Dei viro ſubmiſſa humilitas, vt vix ſe Præſulem cogitaret. Videns autem ſeruus Chriſti Bernardus, Epiſcopum ętate grandęuum, celebrem opinione, ſanctitate conſpicuum, coram ſe procedentem, vehementer expauit: & ipſe quoque pariter corruens ante eum, ita demum ſuſceptus eſt in oſculo pacis, humilitatem ſuam tanti viri veneratione confuſam, non ſine graui gemitu cauſabatur. In cuius pectore ſingularem obtinuit ex eo tempore locum, vt fierent deinceps duo illi filij ſplendoris, cor vnum & anima vna, & ſeſe inuicem frue-

Vide lib. 3. vita S. Bernard. cap. 1. Tom. 4. Sur.

mererentur in CHRISTO. Sicut enim re-
gina Saba de Salomone teſtatur, vterque
n altero longè amplius quàm fama vul-
aſſet, inueniſſe gratulabatur.

CAPVT VIII.

DE ZELO IVSTITIAE EIVS, ET
de morte illius.

BASIL. Defuncto Honorio, cùm per
tyrannicam & ſchiſmaticam rabiem
non ſuis meritis, ſed cognatorum fultus
præſidijs) Petrus Leonis, aduerſus Papam
Innocentium Romanam Eccleſiam oc-
upaſſet, atque hoc vir Dei certiſſimè
omperiſſet, non morbo, non ætate tar-
atus, ſed zelo domus Dei, cuius ipſe dili-
ebat decorem, perrexit Anicium, vt
undem cum ſancto Bernardo & alijs E-
ſcopis excommunicaret Schiſmaticum.
uæ profectò excommunicatio, propter
thoritaté tanti viri, contulit multum &
ofectũ Catholicis, & detrimentũ ſchiſ-
aticis. Et certè tam idem Petrus, quã Pa-
ciùs, ſancto viro multas olim venera-
nes & obſequia præſtiterant. Sed bea-
s homo in tali negotio, id eſt, vbi peri-
tabatur iuſtitia, nec amicitia flectεba-
, nec potentia terrebatur. Nam & ante
quot annos, cùm Henricus Imperator
pam Paſchalem cum clericis & parte
ium in Eccleſia beati Petri nefanda
pro-

Schiſma Petri Leonis.

proditione cepiſſet, & ad illicita pacta coegiſſet. Hugo præ cunctis, vt apud Viennam excommunicaretur, effecit. Qua excommunicatione Eccleſiæ ſuæ Domino roborante ſententiam, tyranni illius in contrarium eſt mutata proſperitas, & Imperiali dignitate priuata Maieſtas. DION. Zelum huius, de illius pectore video promanare, qui dixit: *Zelus domus tuæ comedit me*. Multa hîc dici poſſent de zelo Prælatorum, qui reuera iam totus intepuit, ſed quod reliquum eſt, id abs te audire deſiderans, obiurgationibus modum facio.
Pſal.68.v.10
BASIL. Nunc ſupereſt, vt quem finem viri ſanctiſſimus habuerit, explicemus. Veniente tempore, quo Deus voluit pro innumeris laboribus, Hugoni mercedem reddere, cœpit indies magis magiſq; deficere, & morti, moleſtijs crebreſcentibus, propinquare. E duobus itaque Sathanæ angelis, quos ad ſe colaphizandum acceperat, tentatione ſcilicet, & infirmitatem, alter angelus, id eſt, tentatio; ita extinctus eſt, vt ne veſtigium eius ſaltem vllum relinqueretur: alter verò, id eſt, infirmitas excreſcere quotidianis non ceſſabat augmentis, donec illo obeunte, ipſa quoq; finiretur. Sed cùm & antea ſemper verbis & operibus in eius anima beata Deum habitare claruerit, tum præcipuè in hac vltima infirmi-

firmitate, quis, vel quanti fuerit meriti, & quàm ſyncero. Deum veneraretur affectu, & quàm vera dilectione ſemper iuſtitiam veritatemque defenſarit, latere non potuit. Tam violenta fuit hæc eius infirmitas, vt omnem illi naturalem deleret memoriam, nec quicquam temporalium aut corporalium rerum poſſet vllatenus recordari; nunquam tamen veritatis, iuſtitiæ, cultuſque diuini potuit obliuiſci: Sed multo amplius quàm prius, hæ virtutes, & conſtantiores & feruentiores innotuere; adeo vt Letanijs, & Pſalmis, & pectoris percuſsionibus die ac nocte benignas Dei aures interpellaret. Seruitoribus ſuis, qui apud illum erant fratres Cartuſienſes, & ſuis neceſsitatibus inſeruiebant, multa ſe ſubmittebat humiliate, humilitate inquá, qua & plurimum abundabat, quanquam etiam ſacris cordis receſsibus iamdudum impreſſerat. Nam quando re aliqua opus habebat, non iubendo, ſed per diuinam humiliter remunerationem imprecando poſcebat. Etiam ſi quiſpiam eum vel modice reprehendiſſet, vel aliquam moleſtiam in eius famulatu ſe pertuliſſe dixiſſet: protinus pugnis grauiter pectus verberãs, ſe reum clamabat, virgarumque diſciplinam imponi ſibi deuotiſsimè flagitabat. Quod quia cuncti propter multam circa

eum reuerentiam recuſabant, flebat vbertim, lachrymis & ſuſpirijs indulgebat. Confeſsiones, Pſalmos Scripturarum ſententias, Letanias, & orationes Eccleſiaſticas diebus ac noctibus incredibili inſtantia frequentabat, ita vt nocte vna, ſicuti nobis veraci narratione relatum eſt, Dominicas orationes trecentas expleuerit. Cumq; à ſeruientibus corriperetur, quòd hæc agendo, augmenta ſuæ præberet infirmitati, ille non ſolùm nullam hinc ſuis incrementa miſerijs, ſed ſemper magna ſibi prouenire remedia prædicabat. Accurrentibus ad viſitandum eum Clericis & laicis compluribus, venerabiliter & deuotè pro perſonarum qualitate, monita ſaluberrima infundebat. Inter quos Guigonē deſiderij, vnum è maioribus poſt Comitem, erga ſe præmultis deuotū, cùm flexis genibus (ita quippe omnes faciebant) ante lectum eius benedictionem flagitaret, ſeuera increpatione corripuit; obiurgans quòd iniuſtas in ſubditos exactiones faceret, quodque animæ ſuæ perpetua tormēta pararet. Ille ſtupefactus, agnouit per diuinum ſpiritum hæc ſibi ab Hugone dici, aſſerens grauem reuera terræ ſuæ recenter multam impoſuiſſe, ſed nondum eam accepiſſe, nec poſt eius monita accepturum eſſe. Quadam autem vice, quidā ex ſocijs, tan-

Trecentas Dominicas orationes vna nocte, ægrotans recitat.

-antis eius fletibus & ſuſpirijs motus, qua-
ſi conſolaturus: Quid, inquit, Pater mitiſ-
ſime tantum plangis, cùm nec homicidiũ,
nec periurium, nec aliud quid criminale
cõmiſeris? Protinus ille: *Et quid hoc,* inquit, *Cupiditas & vanitas quid faciunt.*
*refert, cùm ſola cupiditas, ſola vanitas (ſi diuina
adſit clementia) humanæ poßint perditioni ſuffice-
re* DION. O reſponſionem digniſsimam.
Quid prudentius, quidué compendioſius
ab incolumi & robuſta poterat memoria
reſponderi? Omnia nempe quæ vel boni
pijs ſtudijs aſpernantur, vel mali pernici-
oſis niſibus conſectantur, duobus verbis,
cupiditatis ſcilicet, & vanitatis incluſit.
BASIL. Dienſis etiam Epiſcopus Domi-
nus Odoricus, vnus ex eius alumnis, cùm
Regularis Ordinis habitum per reueren-
das manus ſanctiſsimi ſenis deſideraret ac-
cipere, deuotus Epiſcopum adijt, ipſo iam
multã morbis ingraueſcẽtibus debilitate
grauato. Cuius aduentus cauſam cùm au-
diſſet vir beatus, tanto exultauit in gau-
dio, tantaque eſt lætitia repletus, vt infir-
mitatis oblitus, venienti occurrere ge-
ſtiens, penè de lectulo ſeſe præcipita-
rit. Accedente autem Odolrico, exoſ-
culatus eſt eum, & præ gaudio lachry-
mas fundens, cùm illi habitum impo-
neret dixit: *Exuat te Deus veterem homi-
nem cum actibus ſuis, & induat te nouum
homi-*

hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt, in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Ecce mi Dionyſi, huius viri ad res communes iam deficiente memoria, vides quomodo ad res diuinas & ſpiritales ſolito amplius exuberauerit. Hoc actu celebrato, iuuantibus miniſtris in planum deſcendit ſolum, & proſtratus in faciẽ, magnas Deo (pro eo quod factum fuerat) lachrymans gratias obtulit; ſatis inſinuans, quantum ſalutem deſideraret humanam, etiam cùm iam penè eſſet extinctus. DIONYS. Vbi nunc ſunt, quæſo, qui non niſi inſolita mirari nouerunt? Videant an vnquam vel in Scripturis, vel in humanis relationibus tale aliquid noſſe potuerint? Videant, vtrum nõ omnino impoſsibile, & contra naturam, & ideo incredibile videatur, potuiſſe hominem cerebri paſsionibus corporalia & à puero conſueta de memoria perdere, & diuina ac ſpiritualia non potuiſſe? Cũm id potius vel naturæ, vel conſuetudinis exegat ratio, vt ſpiritualia & diuina tanquã ſubtiliora & minus conſueta & captu difficiliora prius abſcedant: illa verò, vtpote familiaria & humanæ infirmitati ad cogitandum faciliora, diutius maneant. Quod ea, quæ circa ſanctos contingere ſolent, quò rariora, eò ſunt & mirabiliora, quid iſto mirabilius, cuius pro ſui raritate nec

[illegible]

Scripturis vllum, nec in humanis rebus
extat exemplum? Sentiat quiſque quod
vult, mihi autē videtur (credo & idipſum
omnes mecum Phyſicos Medicoſque di-
cturos) non minus ſingulare, immò longè
fuiſſe mirabilius, inter tot tamque diutur-
nas & acerbas cerebri paſsiones, diuinam
cognitionem & inuocationem, & religio-
ſam non perdidiſſe deuotionem, quàm
inter eculeos, ardenteſque laminas, & ſuc-
cenſas craticulas inſuperabili conſtantia
Chriſtianam non negaſſe fidem. Ibi enim
quod infeſtat, exterius totum ingeritur,
hîc autem ipſa rationis inſtrumenta, ipſa
quoque diuinorum & humanorum ſenſu-
um memoria, quaſi cellarium, intrinſecus
impugnantur. Horum alterum in reue-
rendis Martyribus, alterum verò in bea-
tiſsimo admirantur Hugone. BASIL. E-
quidem id ita eſt, vt tu aſſeris. Veruntа-
men iſtud illi nec nouum, nec recens erat.
In ſuis namque mentis exceſsibus, quos v- *Crebros patitur mentis exceſſus.*
tique crebros & ſublimes habebat, relictis
non ſolùm cæteris, ſed ſeipſum quoq; ſub
ſe proſternens, ſupernam dulcedinem de-
lectabiliter guſtare ſolitus fuerat. Vnde
etiam ad id recurrebat afflictus, quod in-
columi fuerat dulcius. Apparet igitur, be-
atiſsimum Hugonem (ſicut & ſanctū Iob)
ideo tantis tribulationum procellis exa-

gitatum, tantiſq; dolorum fornacibus inſtar auri decoctum, vt & ad ſocietatem Sanctorum purior & clarior hinc exiret: & quòd non in cortice, ſed ex totis medullis Deum dilexerit, mundus cognoſceret: dum ab eius inuocatione, nec doloris, nec phreneſis illum vis vlla compeſcuit. Quid plura? In ijs vſque ad vltimum perſeuerauit ſpiritum, erga ſuam Cartuſiam, eiuſq; Priorem, ſpecialem dilectionem in tantis afflictionibus memoria non carendo demonſtrans. Moritur itaq; ætatis ſuæ octogeſimo anno, conſecrationis verò ad minus quinquageſimo ſecundo. Moritur, inquam, Hugo beatiſsimus, Hugo digniſſimus Præſul, inter ſui temporis Epiſcopos operibus & fama ſingularis. Moritur plenus dierum, pacata domo, & cunctis referta bonis, anno Domini 1132. Seruatũ eſt autem corpus eius inhumatum quinque ferè diebus, & his ſerenis & calidis, mirantibus plurimis, quòd nec elemento aeris, nec circumſtantis & conſtipatæ multitudinis æſtu, nec cæreorum calore intabeſceret. Ad cuius venerandas Exequias tres accurrerunt Epiſcopi, Dienſis, Gratianopolitanus, qui illi in Epiſcopatu ſucceſsit, & Carnatinus. Statim verò vt eius obitus fama percrebuit, accurrerunt & ex remotis regionibus innumera-

Fœliciſſimè migrat è corpore.

rabiles populi, cereos ac diuerſi generis oblationes adferentes. Omnis ætas, ſexus, atque conditio deuotiſsimè oſculabantur pedes eius, in tantum, vt ſandalia ipſa, tanquã tincta pellis, ſaliua madeficrent. Nam & lactentes offerebantur paruuli, quò tam ſancti corporis attactu contra omnia munirentur aduerſa. Annuli quoque, & nummi, & res aliæ ſancto applicabantur corpori, vt eo ſepulto, pro Reliquijs haberentur. Quinto igitur die in Eccleſia Diuæ ſemper virginis Mariæ venerandæ Reliquiæ almi Præſulis in pręparato ponuntur ſarcophago, cũ multa reuerentia, populis ac turbis hinc inde plurimũ lachrymantibus: qui circa ſepulchrum eius aſsiduè verſabantur, ob ſpem diuinæ in ſe miſerationis, propter ingentia beati viri merita, quæ & hactenùs perſeuerant. Dionysivs. Superfluum iudico huius viri miracula velle perquirere, cùm tota vita eius vnum noſcatur miraculum extitiſſe. Basilivs. Miraculis tamen (vt noueris) Hvgo celebris fuit, ſed ideo reor ea ſcripta non eſſe, quòd Cartuſienſes nõn magnoperè miraculis, ſed meritis clareſcere cupiant. Scimus nihilominus hunc venerabilem virum, dum adhuc viueret, fontem in rupibus Cartuſiæ precibus eduxiſ-

ſe: cuius vena dulciflua in hodiernum vſq; diem vſquequaq; diffunditur. *a* Innocentius quoque Papa, qui & hunc Catalogo Sanctorũ dignanter inſeruit, in epiſtola, *b* quam ſua manu ſcripſit Guigoni, Maioris Cartuſiæ Priori, aſſerit eum maximis meritis & miraculis claruiſſe: vtpote qui cæcis viſum, claudis greſſum, ſurdis auditum, mutis eloquium (aut id genus infirmitatis pellens) crebris virtutibus reformârit. Hinc exijt ab eo edictum, vt Hugo inter ſanctos Dei & electos, aſſenſu omnium Cardinalium, Epiſcoporum honore & dignitate veneraretur, & in ſua Diœceſi, vt ſpecialis Patronus, cum gaudio ſolenni in die Aſſumptionis eius deuotiſsimè celebraretur. Cernis iam diem ad decliuia vrgeri, & ſolem Heſperias ſe mergere in vndas. Oportet igitur, vt veſpertina ſynaxi ſoluta, & completorijs redditis, cubitum nos conferamus. DION. Ego hinc, ô Baſili, non abeo, niſi ſponſionem dederis, iterum meis te votis cras inſeruiturum. Cupio enim alterius Hugonis noſtri vitam & inſtituta cognoſcere, quod nemo, præter te, mihi poterit largiri. Cras igitur ante ſolis ortum huc me reducem fecero. BASIL. Fac vt dicis: ego, adiutore Deo, adero votis tuis.

a Fuit hic Innocentius Secundus.

b Præfixa eſto vitæ S. Hugon. Tom. 2. Sur.

Finis Libri Secundi.

CHRO-

CHRONICI CARTVSIENSIS LIBER TERTIVS.

PROLOGVS.

N*OLIM mireris, quiſquis huc lector Cartuſianus acceſſeris, cur hos duos Hugones Patres iuxta ſe ſociarim. Id enim ideo feci, vt verſis ſeſe inuicem vultibus reſpiciant, & iuncta meritorum ſuorum luce, clarioribus radijs ſua lumina ſpargant. Hi ſunt, ô Cautuſiana pubes, (ſi dignaris agnoſcere) Patres tui, veriq; Paſtores Hi propagatores ſunt & propugnatores tui, à quibus tibi illuxit pietatis cultus, diſciplinæ rigor, iuſtitiæ norma, abſtinentiæ decus, paupertatis poſſeſſio. frugalitatis inſigne, pudicitia cœlibatus. Ab ijs didiciſti in humilitate gloriari, in charitate feruere, in penurijs cœli diuitias cōputare, & quicquid morū eſt, quicquid virtutu, pacis, pietatis diligenter amplecti. Quòd omnia ſilentio premis, quòd inanes mundi illecebras aſpernaris, quòd nil niſi diuinum aut cogitas, aut agis, habeto gratias, à locupletibus his es Patribus aſſecuta. Hi te docuerunt Deum metuere, Deum diligere, & in Dei lumine obtutum mentis defigere: quem Deum ſpem tibi facias, finem, gaudium, vitam, & præſidium ſalutare. Hos igitur libens amplectere, dilige, venerare; hinc fiet, vt horum patrocinio iuſtorum, vitam merearis æternam. per quos tantarū virtutum gloriā meruiſti.* VITA

CAPVT I.

VITA BEATISSIMI PATRIS HVgonis, Pontificis Lincolnienſis.

Obijt B. Hugo circa annum Domini milleſimum, duceteſimum.

DIONYS. Adſum, mi Baſili, quæ heſterno veſpere pollicitus es, petiturus. Non ſum paſſus ſolem exurgere, ſed ſub ipſa aurora, lectis Dei laudibus, ægrè moram ſuſtinens, te conuenio. Tantus mihi ardor eſt, de diuino Patre noſtro HVGONE te audire loquentem. BASIL. Ardeo & ego, & libens laborem excipio, quem tibi & mihi intelligo profuturum. Scripſit quidem ex noſtris ſtilo ſatis diſerto Hugonis vitam; quam & quinq; libris cópræhendit, hanc nos vna hodierna narratione breuiari curabimus. Noui ego moré tuum, cui ſemper abundantior cibus nauſeam facit. Huius igitur narrationis hoc ſit initium. Hugo noſter inter ſui téporis ſpiritales, vti ſol inter ſydera, clarus effulſit. Hic ex ditiſsima & illuſtri proſapia originem trahens, parentes habuit Deo & hominibus locupletes. Hic cùm primâ vix vitæ ætatem ageret, matrem perdidit. Hinc cùm octennis eſſet, collegio Fratrú Regularium, quod iuxta Gratianopolim ſitum eſt, vna cum genitore ſociatus eſt. Hoc æuum tantillus agebat, cùm militiæ ſpiritualis ſubijt tyrocinia. DION. O parentem vere laudabilem, cuius ſolicitudi-

ne

re factum eſt, vt prius doceretur filius militare Deo, quã mundo viuere didiciſſet. BAS. Hoc etiã duce parente, factum eſt, vt noſter Tyrunculus, laboribus mox natus exerceretur: vt nõ modò ab adoleſceẽtia, verũetiam ab infantia iugũ Domini portare conſueſcẽs, celerius canos attingeret, quò fieret idoneus ſolitarius ſedere & leuare ſe ſuper ſe. Hoc pacto infantile corpuſculum flagella pædagogi attrectant, & diſciplinæ cõpedes, motus in eo pueriles coercent, vt virtutibus vitia præteriret, & tota vita eius ab ortu vſq; ad occaſum vnum eſſet ac iuge martyrium. Hinc ſæpius dicere ſolitus erat: *Ego mundi huius gaudia nunquam attigi, iocos nunquam didici, nunquam ſciui.* DIONYS. O verbum omni acceptione digniſsimum. Quàm rarus eſt, qui id dicere præſumat. BASIL. Inter Canonicos illos Regulares, vnus erat & ſcientia & ſanctitate celebrior, qui huic puero literas ingerebat, & teneram mentem ad amorem ſpiritalis induſtriæ accendere nitebatur, & à iocis ludicriſque remotum animum eius, honeſtis ſerijs cuiuſque rei exercitijs implicabat. Coeuis pueris, vt mos eſt, trocho, vel pila ludentibus, illi hæc leniter paternæ dulcedinis hortamenta inſtillabat: *Non te*, inquit, *dulciſsime fili, ſtulta alliciat leuitas ſociorum. Sorti*

Verba B. Hugonis præclara.

tua iſtorum ſtudia non conueniunt. Ego te, mi Hugo, Chriſto nutrio, iocari non eſt tuum. His monitis puer egregius locum dabat, & docente ſe ſpiritus ſancti vnctione, proficiebat
1. Reg. 2. ſcientia, ætate, & gratia, Deo charus & hominibus. Ardebat mens eius ſciendi deſiderio, magis autem Dei voluntatem ocyus adimplendi. Ardebat, inquam, vt Dei noſceret in omnibus voluntatem, ſciens ignorantem à Domino ignorari. Cu-
1. Cor. 14. 38. piebat tamen, quę noſſe poterat, adimplere; ne ſciens & non faciens, vapularet plagis multis. Hunc etenim ſcientiæ appeti-
Luc. 12. 47. tum, in Dei timore quaſi in baſe fundauerat: vt cum beato Iob dicere poſſet: *Semper*
Iob. 31. 13. *vt tumentes ſuper me fluctus, timui Deum, & pondus eius ferre non potui:* Et illud eiuſdem:
Iob. 9. 28. *Verebar omnia opera mea, ſciens quia non parceres delinquenti.* Ardebat quoque in paruo pectuſculo egregius diuini feruor amoris, quo iam ad cœleſtia ſuſpirabat. DIONYS. Quid hoc tantillo iuuenculo clarius, quid vſquam rarius potuit inueniri? Si talis eius emicuit pueritia, quis rogo eius adoleſcentiam, quis viriles annos ſatis commendet?

CAP. II.

DE LAVDABILI EIVS ADOLESCENTIA.

BASI. Id equidem difficilè, ô Dionyſi, quan-

quantum tamen poſſumus, adnitamur. Adoleſcentiam nactus, tanta in illum virtutum & gratiarum chariſmata Deus miſerator infudit, fons omnis virtutis & gratiæ, vt nulla id mens cogitare, nulla lingua narrare ſufficiat. Plantatus ſiquidem hic vitæ ſurculus ſecus ſalutarium decurſus aquarum, miſerat profunde humilitatis radices deorſum, vt faceret fructum ſurſum: quem etiam in tempore ſuo cunctis tribueret abundanter. Sic pijſsimus adoleſcens ſuis virtutibus ſocios lætificabat, roborabat, imbuebat. Pugnabant in eo dona naturæ & dona gratiæ, vt vix quis diſcerneret, quænam in eo partes agerent potiores. Vincebat tamen naturam gratia, quam & ſuo munere plurimum decorabat. Erat enim Hugo, natura pulcher, procerus, generoſus, mitis, affabilis, acutus, ingenioſus: atque hinc facilè mentes hominum in ſuum attrahebat amorem. Adeo in illo ingenij vigebat acumen, vt velocius, quæcunque vellet, addiſceret. Memoria quoque tam tenax erat, vt nihil abs ſe elabi pateretur, quod ſemel dignata fuiſſet admittere. Sed hæc dona naturæ illuſtria, ſuperueniens Dei gratia multó illuſtriora conſtituit, ſine qua impoſsibile eſt placere Deo. Erat ergo per Dei gratiã Hugo in humilitate ſubmiſſus, fide deuo-

tus, ſpe robuſtus, charitate feruidus. In paupertate opulentus, in opulentia temperatus, in aduerſis intrepidus, in caſtitate ſolicitus, in oratione aſsiduus, in meditatione ſedulus, in contemplatione ſuſpenſus, in fratrũ neceſsitatibus obſequentiſſimus. Adeo nempe in omni opere ſuo, ſiue interno, ſiue externo ſolicitus fuit (vt ſolitus fuit factus Epiſcopus gloriari) ꝙ nunquam illi * negligentia aliqua ſurrepſit. DION. Ego hanc in illo diligentiam, diuinam, non humanam prædico. Eſtque, meo iudicio, cunctis eam agnoſcentibus, miranda magis quã imitanda. BASIL. Erat quoq; in hoc adoleſcente illud mirabile, vt nullus cũ tumultus, nulla importunitas, nulla diſceptationis implicitas, nullus deniq; ex improuiſo caſus emergens impedire potuerit, quin cor ſemper pacatum & paratum haberet, id ad liquidum perficere, quod tempus & hora iuſtè poſcere videbantur. In infirmorum, ſenũ ac pauperum obſequijs adeò delectabatur vt ſuauiora ea duceret ſuper mel & fauum. Factus Diaconus, Altare reuerentiſsimè circuibat, diuinis ſeruiens myſterijs cùm metu & tremore, & feruentiſsima cordis conpunctione. Creſcente itaque dignitate, creuit in eo etiam feruor dilectionis ad proximum, & cœpit verba

* al. morantia. Quid autem morantiam Cartuſiani vocent, vide in animaduerſionibus noſtris

verba flammantia coram omni populo, qui illic conuenerat, prædicare, & corda multorum igne compunctionis ſuccédere. Spargebat namque per vulgus igneos ſermones, arguens, obſecrans, increpans in omni patientia & doctrina. Docebat publicè ſuper tecta, quæ ipſe intus in corde audierat, quæ & opere antea ipſe compleuerat. Dehinc Eccleſiam ſancti Maximini, quæ annexa erat Monaſterio, quæ & animarum habebat curam, iuſſu ſui ſuperioris Hugo regendam ſuſcepit. Huius Eccleſiæ exteriorem curam, huius & agros & vineas ruſticis idoneis commendabat, ipſe autem orationi vacabat & ſtudijs, & exhortationibus crebris ad populum inſiſtebat. Vnde etiam maximos & manſuros animarum manipulos in Chriſti horrea inferebat. Erat vnus ex ſubditis, homo lubricus & immundus, qui adulterij crimen non eſt veritus incurrere, & diu in eo permanere. Quod vbi HVGO ſanctus agnouit, hominem primùm occultè, dehinc admotis teſtibus increpauit. Sed ille nihil motus, crimen inficiari. Paſtorique conuitiari non erubuit. Tum bonus medicus zelo animatus, incorrigibilem pietate auſtera ſtatuit animaduerſione curandum. Hunc igitur palam in ECCLESIA die 2. Tim. 4

die ſolenni arguit ſceleroſum, immanitatem flagitij Dei populo denuntians. *Dico tibi*, inquit, *ô homo, & firmiter aſſeuero, niſi ocyus reſipueris, tradam te Sathanæ corrigendum, vt noueris, cui domino hactenus deſeruiſti.* His ille territus vehementer, ſciens illum facere poſſe, quod minabatur, confuſus in medium proſilijt, & peccatum ſuum cum gemitu & lachrymis renuntians, pœnitentiam egit, & veniam, correptus & reconciliatus, accepit. DION. Si hunc zelum animarum Paſtores in pectus & inopus admitterent, tantas hodie nequitias impium vulgus non perpetraret. Sed nunc vt populus, ſic Sacerdos, ambo cæci, ambo in foueam mortis perpetuæ ruituri.

CAP. III.

QVOMODO SANCTVM INGRESſus eſt ordinem Cartuſienſium.

BASIL. Quanquam iam penè omnem virtutis apicem apprehenderat Hugo, ipſe tamen, vt erit humilis in oculis ſuis, initium vix conuerſationis ſe attigiſſe putabat. Audiens itaque mirabilem, & ſuaue olentem famam Cartuſienſium Monachorum: horum toto animo ambiebat exemplis informari. Venit itaq; hos inuiſere, adoleſcẽs humilis & timoratus: & videns Dei exercitum, tactus dulcore charitatis intrinſecus, flammas ſui deſiderij nõ

Inuiſit maiorem Cartuſiã.

potuit

potuit cohibere. Intuebatur locum ſemotum penitus à ſtrepitu ſeculari, & vacandi Deo vni commodatiſsimum. Attendebat quoque in ipſis loci incolis ſanctis, carnis mortificationem, mentis ſerenitatem, ſpiritus libertatem, hilaritatem frontis, puritatem ſermonis. Inſtituta quidem ſolitudinem, non ſingularitatem commendabant. Segregabant manſiones, ſed animos ſociabant. Vnuſquiſque habitabat ſecum, nec habebat, nec agebat aliquid ſuum. Seorſum quiſq; manebat, ne poſſet ab altero impediri, ſed communiter tamen degebat, vt quiſque poſſet ab altero communiri. Inter hos bonus iuuenis humiliter vt petiuit recipi, libenter & incunctãter admiſſus eſt, probatus & tentatus, fidelis inuentus eſt. Qui mox vt pedem infra cellæ limen poſuit, exurgentem nouam tentationem ſenſit. Nec vniformis illa tentatio fuit, quia fraudis ſuæ inſtrumenta, Zabulus tentator explicuit. Cùm enim ſacer iuuenis in omnium ſtaret arce virtutum, ne magnitudo reuelationum & operum illum extolleret, datus eſt ei, ſicut Paulo Apoſtolo ſtimulus carnis ſuæ angelus Sathanæ, qui ſe colaphizaret. Orabat Hugo, ieiunabat, pectus tundebat, & flammas malè vrentes, lachrymarum imbribus reſtringebat. Aderat pugnanti ſeruo ſuo

Capitur loci dulcedine.

2. Cor. 12.

ſuo Chriſtus Dominus, & de impuro hoſte victoriam tribuebat. Dabat illi Chriſtus guſtare manna abſconditum, quo facilè potuit aſpernari, quicquid illi Diabolus dulce ſuggerere poterat vel amarum.
4. Reg. 4. 39. DION. Quoties Chriſtus miſerator ſuam farinulam permiſcere dignatur, agreſtes citò colloquintidas & amaram coctionem in dulcedinem vertit. BASI. Poſt pugnã, formoſæ Rachelis potitus amplexibus, ſedebat nouus eremicula ſolitarius in cella, ſi tamen ſolitarius: cui Chriſtus aderat, & frequens Angelorum occurſus. Erat Hugo iam Cartuſienſis, ſanctus cum ſanctis, inter humiles humilis, & inter Chriſti milites egregius propugnator. Omnium vna ſententia fratrũ illorum erat, domare carnẽ, impinguare mentẽ, membra ſubigere, animum ſuſtollere, pugnas hoſtis excipere, & victorias egregias reportare. Feruebat ibi ſtudium paupertatis, ſuperfluitatis odium, neceſſariorum parcitas, obliuio temporalium, ambitus æternorum, cõmunis vtilitas, cordis contritio, ſui ipſius ſubiectio, prælatio ſociorũ. Inter hos ſanctus Pater * Baſilius, qui tum Prior erat, & hic Hugo noſter duces & principes habebantur. Citius me dies deficeret, quam noſſem dicere, quantum hic Hugo

* Fuit hic VIII. Generalis Ordinis.

Hugo profecerit, quantos ſpiritualium diuitiarum theſauros congeſſerit. Ibat enim, etſi iam perfectus, proficiens, & ſuccreſcens quotidie, donec magnus & inclytus factus eſt valde. Orabat ſẽper aut meditationi, aut lectioni operam dabat, & omne tempus ſibi præ deſiderio Rachelis & oſculis, breuiſsimum querebatur. Et ſicut Magdalena, nunc caput IESV, nunc corpus, nunc pedes vngere gaudebat; ſic Hugo nunc Prioribus, nunc æqualibus, nunc etiam infimis dulcis obſequij gratiam impendebat, & quadam deuotionis ſuauitate refouebat. Hinc factum eſt, vt cuiuſdam, optimi ſenis & debilis, volente Priore, curam ſuſciperet. Dum hæc ageret, contigit tempore illo, quo ſacri Ordines ſolent conferri, vt ſanctus ille ſenior, quaſi HVGONEM tentans, diceret illi: *Ecce fili, iam intereſt, an velis Sacerdos fieri.* Ille verò cùm vehementer arderet in amorem Chriſti, cuperetq́; dulce eius in Altari contubernium, ita reſpondit: *Quantum in me eſt Pater, nihil magis appeto in hac vita.* Tum ſenex ad eum: O, inquit, *quid eſt quod dicere præſumpſiſti? Legiſtine ſæpe: Ad Sacerdotium qui non accedit inuitus, accedit indignus?* Ad hanc vocem perterritus, ad pedes obiurgantis proſternitur,

nitur,& veniam flens deprecatur. Tum ſenex, hac eius humili deuotione motus, & Spiritu ſancto illuſtratus, iuſsit cum lachrymis vt ſurgeret, ac ſecum parumper ſederet. *Noli*, inquit, *turbari, non iam fili, ſed domine mi. Scio, & verè ſcio, quo ſpiritu, quo affectu verba illa nuper loquebaris, Tibi igitur dico, & verum dico, mox quidem Sacerdos, & poſt etiam Epiſcopus es futurus*. DION. Felix humilitas, quæ quantò plus ſub ſe deſcendit, tantò plus in ſublimiora porrigitur. BASIL. Itaq; in Sacerdotem promotus, creuit Ordine, creuit & deuotione. In Altaris ſiquidem officio ſic ſe gerebat, quaſi viſibilem manibus attrectaret Dominum Saluatorem. Viſibiles pani & vini ſpecies intuitus, ad inuiſibilia mentis aciem intendebat. Omnes, qui eius Sacrificijs aſtabant, videbant cordis oculis, quòd cum dilecto & cum ſponſo ſuo amicus ſponſi loqueretur, quaſi illud Epithalamium canens: *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Et ſecum cogitans Chriſti puritatem, & paſsionem, dicebat: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus*. Quis dignè commendet imbres lachrymarum, quos ſub Sacrificijs profundebat? Dulces illi ab oculis fluebant guttæ, pietatis indices & amoris. Non perfunctoria hæc eius deuotio fuit, & ad horam compunctio, ſed tam ſtabilis, & in animi

Cant. 2. 16.

Cant. 5. 10.

vigo-

vigorem tranſmiſſa, vt vultus eius non ſint amplius in diuerſa mutati. Orabat in Miſsis, & etiam ſæpe in cellis cum Moyſe & Aaron pro toto populo Dei, & diuinam illis clementiã propitiabatur. In auditorio fratrum conſtitutus, quaſi lapſus è cœlo, ſancta & cœleſtia loquebatur, tanquam is, qui irroratus de cœleſtibus venerat apothecis. Omnes illum quaſi diuinum oraculum auſcultabãt. Seculares quoq; qui eum audiebant, in maximam ducebat admirationẽ. Docebat diuites nõ in incerto diuitiarũ, ſed in prece pauperis ſpem omnem ponendam eſſe; inopes autem ad patientiam animabat. Hinc factum eſt, vt omnes Hugonem loquerentur, laudarent & ad ſydera vſque ſuſtollerent. Maximè autem ſanctus Pater Baſilius, Hugonis merita & amabat, & commendabat. DION. Magna ſunt & præclara, quæ hactenus omnia de hoc egregio viro prædicaſti.

CAP. IV.

QVOMODO FACTVS EST PROcurator Cartuſiæ.

BASI. Maiora audies, & hæc cum voluptate. Hic deſiderans in nidulo quietis ſuæ morari & mori, & in Rachelis amplexibus confoueri, repentè, heu dolor lippa illi Lia ſuppoſita eſt, & Procuratoris coactus eſt fungi officio. Quis hic dignè ex-

plicet, quas lachrymas fuderit, quæ ſuſpiria ediderit, quas non excuſationes fecerit, dum hoc moleſtiſsimum illi iugum obedientia mater impoſuit? *Laui*, inquit,
Cant. 5. 2. *pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Horrebat circuire officinas materiales, & res corporales pertractare, qui ſpiritaliter volare aſſueuerat, & guſtare quàm ſuauis eſt Dominus. Regebat tamen per ſuam induſtriam ſibi commiſſum laicum populum, & cunctis ſolicitè miniſtrabat. Erat nempe in ſermone prudens & efficax. Erat illi lingua placabilis, potens, erudita, vt ſciret quando oporteret proferre ſermonem. In prudentia ſermonum ſuorum domeſticis ſatisfaciebat, & exteris. Quis vnquam vacuus ab illo receſsit? Si diues, conſilium; ſi tentatus, ſolatium; ſi egenus quærebat ſubſidium, referebat. Sæpe ex corde poſtulabat abſolui, vt alteri cederet induſtriori: ſed vbi ille inueniretur? Tenebat ergo eum in hoc officio ſola obedientia charitatis, laborabat ſæpe multum, ſed minus omnibus capiebat. Miniſtrabat alijs neceſſaria, ipſe egens durabat in pluribus. Mores eius omnes & ſtudia nõ carnẽ ſapiebant, ſed feruebãt ſpiritu. Erat Hugo Procurator in diſciplinę cuſtodia rigidus, in caſtigatione ſui corporis ſeuerus, in contemplatione ſuſpenſus, in diſponendo

uendo omnia acutiſsimus. Talis erat in magnis. At in minimis qualis fuerit, quis commendet? In ædificijs, in agris, in hortis, & in cunctis ruſticorum operibus, quid vnquam Hugonis ſubterfugit notitiã? Omnium operariorũ facilè magiſter erat: & cùm eſſet omnium iudicio ſapientior, ſolus in ſuis oculis non erat ſapiens. Erat tamen illi ſemper inter hæc negotia ſobria mens, quies grata, oratio pinguis, frequens lectio, feruens affectus. DION. Magna gratiæ Dei commendatio, magna reuera in Hugone noſtro virtutum perfectio, & quæ in valde paucis hactenus eſt inuenta. Ambidexter iſte, in vtraque vita exercitatus, nunc de Lia, nunc de Rachele filios genuit ſalutares. Satis hortatur Hugo ſanctus ſuo exemplo, nullum debere externorum curam ſuſcipere, niſi valeat virtute irrumpere iniquitatem: Sed ad hæc quis tam idoneus?

CAPVT V.

QVOMODO A REGE ANGLIAE Henrico adſcitus Prior VVithamienſis efficitur.

BASIL. Ea tempeſtate Rex Anglorum Hẽricus domũ Ordinis noſtri VVithamiẽſẽ in ſuo regno inſtituerat, ſed fratres

fratres illic varijs perturbationũ ꝓcellis, deficiẽte bono Priore, miſerè fluctuabant. At Rex audita celeberrima diui Hugonis fama, quæ iam per regna volitabat terrarum, miſsis Cartuſiam legatis, petijt ardẽter ſibi donari virum. Tum repentè ingẽs mœror, fletus, & lachrymæ apud omnes fratres, & præſertim apud Patrem Baſilium, qui eum vnicè complexabatur. Et cùm eſſet omnium vna ſententia non annuere petitionibus Regis, vnus ille diuino attactus ſpiritu, ſic reuerenter, Priori & fratribus eſt locutus: *Non eſt*, inquit, *ô Patres chariſsimi, tutũ contradicere regiæ Maieſtati, præſertim cùm diuinum ſit & ſalutiferum quod efflagitat. Cogitate quæſo hanc petitionem à ſuperna prouidentia occultè diſponi, vt ſanctus Ordo noſter per hunc ſanctiſsimum in extremos vſq; mundi limites ſplendidè propagetur. Nam, vt verum fatear, magis mihi ſemper Hugo noſter Epiſcopus viſus eſt, quàm Monachus extitiſſe.* Hoc vita, hoc mores, hoc eius doctrina fatetur. His verbis moti fratres, Hugonem ſtatuunt mittere voto regis, ante tamen intromiſſus, interrogãt eius voluntatem. Tum ille, vt erat humillimus, flens ita reſpondit: *Inter vos, ô ſancti Patres, hactenus conuerſatus, & veſtro exemplo roboratus & adiutorio, nunquam tamen vel ad vnum diem animam meam potui cuſtodire. Vnde miror, quomodo vos, quã*

Verba Baſilij Prioris Maioris Cartuſiæ.

Reſponſum Hugonis, orãtis, ne ad officium promoueatur.

qui ſapientes eſtis, ad regendas animas me procul mittere decernitis. Oro itaque, vt viros hos, datis pijs ſermonibus, faciatis contentos eſſe, vt de altero ſibi prouideant meliori. Sed vrgente Prioris obedientia, licet diu multumque reniteretur, lachrymis, votis, ſuſpirijs, aſſenſum tribuit vel inuitus. Erat plenum omni dolore & anguſtia, videre illud triſte diuortium, quando datis oſculis Hugo receſsit à ſuis. Deus bone quot imbres ibi ſparſi ſunt lachrymarú, quot editi gemitus, quot auditi ſingultus. Quaſi commune excidium omnibus immineret, ita receſſum optimi Hugonis ægrè ducebant. Migrat Hugo cum legatis, & à rege cum ſummo fauore recipitur, & honore. Dehinc fratres, VVithamienſes eum ſibi Priorem præficiunt, nec eum aliter, quàm cælitus miſſum, læti omnes ſuſcepêre. Breui autem tempore, ipſo præſidente, ingens incrementum domus accepit in virtutibus, in perſonis, in ædificijs, in poſſeſsionibus. At Rex Hugoni admodum deuotus, vnicè illum complexabatur: videns in eo ſummam modeſtiam, iuſtitiam, pietatem, grauitatem, religionem, ſanctimoniam. Et crebrò illi dicere ſolebat: *Per ſalutem animæ meæ, nunquam mi Pater à regno meo te patiar abſcedere, ſed tecum partibor conſilia animæ meæ ſalutaria.* Habebat ergo

Eius in Angliam diſceſſus

Verba Regis Angliæ ad Hugonem.

go rex Hugonem, & eo audito, multa faciebat, multa donabat, minas pœnaſque laxabat, & Eccleſijs plurimis munera tribuebat. At nunc audi, quem fructum ſuæ deuotionis Rex reportarit. Accidit eum quodam tempore, cùm per mare nauigaret, tempeſtatibus actum, naufragium ſuſtinere. Tum in ſe reuerſus, & Hugonis ſui memor: *O Deus*, inquit, *ob merita huius famuli tui fidelis, ocyus ſuccurre mihi, & meo populo periclitanti.* Vix verba finierat, & ecce pelagi feruor, & ventorum rabies, extemplò conquieuit. Hoc vno miraculo Rex ſatis edoctus, agnouit Hugonem magni meriti eſſe apud Deum. DIONYSIVS: Videor mihi alterum hîc Nicolaum aſpicere, qui longè poſitus, & votis eorum, qui mergebantur, inclamatus, ratem medijs ſaluauit in vndis. BASIL. Licet illum Rex ſemper inuitaret ad Palatium, magis tamen Hugo cœnobium diligebat, & maluit eſſe cum pannoſis fratribus, quàm cum phaleratis Principibus. Extructis itaque manſionibus Monachorum, conſuetis pietatis exercitijs operam dabat, orando, pſallendo, meditando, & ſanctæ exhortationi indulgendo. Dormiebat, vt Ordo iubet, ſtatuto tempore, ſed tam moderatus illi ſopor inerat, vt nunquam illi mentem præriperet. Quieſcens

Interceſſione B. Hugonis naufragium euadis.

Quàm exigui fuerit ſomni.

eſcens nempe, centies interdum, AMEN, ſonora voce, & aperta pronuntiatione, quaſi concluſionē præmiſſæ orationis, proferebat: vt verè illud Canticorum fateri poſſet: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* *Cant. 5. 2.* Expergefactus, ſæpe quæ illi Dominus per ſomnium reuelârat, humiliter aperiebat. Erant enim ſerena omnia, caſta, ſancta, ſpiritualia. DIONYS. In quem non præualuit, dum vigilabat, externa vanitas, cæca curioſitas, impura voluptas; huic dormienti non deeſſe poterat interna ſerenitas, intima claritas, mera ſuauitas. BASILIVS. Verum id quidem: Cibum corporis dum ſumebat parciſsimè, ſemper magis eſuriebat verbum Dei. Habebat enim (& ſic hortabatur etiam cæteros) dum pranderet, oculos in menſa, manus in ſcutella, aures ad librum, cor ad Deum. *Nota ſ Religioſe.* Solus autem ſi edebat in cella, partiebantur ſibi liber & menſula, oculorum officia, nunc librum reſpiciētes, nunc cibum. Cibus verò, panis, & aqua, & ſal: interdum condiens vtrumque.

CAPVT VI.

QVAM SOLENNITER ET GLORIOSÈ Epiſcopus electus ſit.

BAS. Interea Lincolnienſis Eccleſia Epiſcopo orba erat. Agente aũt Henrico

rege, Hugo eligitur, pari voto Decani, & omnium Canonicorum. Sed ô bone Deus, quantum expugnauit, quanta egit, quas aſtutias non quæſiuit, vt liber dimitteretur in pace? Horrebat nimirum tàm grande pondus innumerabilium animarum. Eſt enim Diœceſis Lincolnienſis ampliſsima; continens octo Archidiaconatus, Comitatus decem, vrbes pergrandes, plebem verò innumeram. At licet vir ſanctus diu multumque repugnaret, victus tamen bonorum precibus, ceſsit tandem vel inuitus. Vnum dicam, quod velim diligenter auſcultes. Celebrato conſecrationis feſto in magna multorum lætitia, in ipſa nocte, cùm poſt lectas Matutinas ſe orationi precibuſque dediſſet, audiuit è cœlo Angelicam congratulationis vocem, his verbis Dominũ collaudantem: *Egreſſus es Domine in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo.* Hugonẽ, Chriſtum Domini appellãs: qui non ſolùm exteriori madebat vnctionis oleo, ſed & interna Spiritusſancti pinguedine fuerat delibutus. Hoc & ipſe, dũ conſecratus eſſet, ijs, qui iuxta ſe ſtabant, teſtatus eſt, dicens: *Nihil ego tam miſerabile duco, quàm Epiſcopum, dum conſecratur, exterius madere Sacramentalis olei pinguedine, interius verò ſqualore arentis conſcientiæ contabeſcere.* DION. Vtinam hanc ſententiam noſtri Præ-

Vide animaduerſiones, ad finẽ libri adiunctas.

Conſecratus Epiſcopus.

Præſules dignentur audire, qui ſummam gloriam ducunt, exterius vngi, interna Spiritusſancti chariſmata non curantes. Hinc fit, vt nec ſibi, nec plebi ꝓſint: quibus vt præeſſent, ambierunt. Sed vlterius progredere. BASIL. Nolo ſilentio præterire rem memorabilem, quæ contigit hoc tempore. Deus ſiquidem omnipotens & clemens, vt oſtenderet populo, quàm dulci pietate ſuum amaret Antiſtitem, miſit illi in ſolatium auem mirabilis gloriæ, decoris & pulchritudinis, cygnum albiſsimi coloris, cuius roſtrum, caput quoque & pars colli ſuperioris, erat inſtar auri rutilantis. Hic olor ſicut erat cæteris præclarior, ita & multò grãdior videbatur. Iuxta vrbem Lincolnienſem ſunt ſtagna per amœna, his inuolãs hic olor, omnes quos illic reperit olores, præter vnam fæmellam, quam ſibi pro vxore retinuit, occidit. Hæc auis regia primo aduentu Præſulis domeſtica facta, ad cameram ſuam perducta eſt. Quę ſtatim de manu eius panem ſumpſit, eique tam perſeueranter adhæſit, vt nec eius attactus, nec accedentium tumultus pertimeſceret. Solebat ſæpè, dum paſceretur, caput & collum, nunc in manicam, nunc in ſinum Epiſcopi extendere, ibique aliquamdiu cum quadam ſolicitudine Domino ſuo congratulans, at-

que præludens, tanquam aliquid quereret, muſsitare. Quando poſt longam breuemué abſentiam erat Epiſcopus Lincolniam reuerſurus, hic olor, neſcio quo inſtinctu, id præſentiens, tribus aut quatuor diebus prius quàm veniret Præſul, ſolito alacrius ſe agebat volitando, alis aquas verberando, crocitando, clamando: & è ſtagno plerumque euolans, nunc ad portam, quaſi ſuo patrono obuiam veniens, deambulabat. Venienti autem Epiſcopo, occurrebat roſtro, aliſq; exporrectis, & voce altiſona dominum ſalutabat. Neminem petebat, præter Epiſcopum, & ſi quãdo ab alijs adludendo teneretur, alis ſe defenſabat, & ſibilis, tanquam ſe propriam Hugoni demonſtrans, cui ſoli à Domino fuerat deſtinata. Nam cùm ſederet penes Epiſcopum, illo vel vigilante, vel dormiente, nec homo, nec canis, nec aliud quodlibet animal, potuit illi propinquare: ita alis pugnabat, & ſibilis. Nec obſequijs poterat aut blanditijs deliniri, quin zelo vnius hominis cęteros hoc modo vniuerſaliter inſequeretur. Abſente Epiſcopo, vnum ſolum, qui ſibi alimoniam præbebat, ſeruulum dignabatur agnoſcere: ſed tantummodò dum cibum ſumeret; quo ſumpto, confeſtim remeabat ad ſtagnum. Præſente aũt Epiſcopo, neq; etiã hunc ſu-
um

um altorē vix agnoſcebat. Venientem aūt
Epiſcopum tā lætis plauſibus & vocibus
excipiebat,omiſsis cæteris, vt eius ſe fati-
gatā deſiderio fuiſſe miris geſtibus indica-
ret. Cū verò introgreſſa, ſpectātiū turmis
cingeretur,notata demū voce introeuntis
patroni, mox & ipſam in clamorē altiſo-
næ vocis inſurgebat. Quem & ſequebatur
vſq; in ſolariū, per gradus ēt ſublimes ꝓ-
gredientē alarum plauſu, & modulamine
vocis, gaudium inſinuans, quo nimiū ge-
ſtiebat. Perueniens aūt ad locū ſeſsioni e-
ius paratū,inde nuſquā recedebat. Annis
fermè quindecim, hanc vniformiter olor
conſuetudinē exhibuit. Porrò anno illo,
quo vir Domini migrauit à ſæculo, auis
mœſtū ac moribundū gerens aſpectū, ni-
hil in geſtu alacritatis oſtendit,ſed perdu-
cta ad Epiſcopū, capite pendulo, ac velut
per omnia geſtibus mœſtā prætendebat i-
maginē,quaſi citò moriturū lugeretEpiſ-
copum.Permanſit aūt olor illic in ſtagnis
poſt mortem Pręſulis ſancti annis multis, a 3.*Reg.*17.6
ſed nulli ſę familiarē præbuit, aut cōmu- b *Hieron.in*
nē.Dio.Mira ſunt,& plurimum iucunda *vita Pauli e-*
quæ narraſti. Deus *a* Heliæ coruū cōmu- *remitæ.*
nem fecit,& *b* Paulo, & Patri *c* Benedicto. c *Gregor. lib.*
Hieronymus Leonem habuit pro ſolatio. 2.*Dialog.c.*8.
d Aegidium cerua ſuo fouebat lacte.Porro d *in vita S.*
Hugo noſter cygnum habebat in delicijs, *Aegidij* 1.
Septemb.

auem

auem nimirum candidam, & viciná mortem cantu prænuntiantem: quæ de neceſſitate virtutem faciens, funebria fata canendo contemnit. Ita & hic Hugo noſter meritis candidatus, lætus ad mortem venit, cupiens diſſolui, & eſſe cum Chriſto.

Vide animad-uerſiones.

BASIL. Rectè tu quidem. At cœptum nunc iter proſequamur. Factus Hugo Epiſcopus, vt alta creuit dignitate, ita & humilitate deſcendit; & eos, qui grandes erant in oculis ſuis, Prælatos Eccleſiarum ſua exterioris cultus abiectione confundens, erubeſcere docebat, & humiliari. Semper Hugo viros ſapientes & timoratos ſecum, quocunque ibat, aut agebat, habere voluit, ſanctitatis & operum ſuorum teſtes, & adiutores. Non eſt facilè dictu, quàm pulchram citò faciem reſumpſit Eccleſia vniuerſa Lincolnienſis hoc duce, hoc Paſtore, hoc prædicatore, hoc prouiſore. Agebat, currebat, hortabatur nunc paruos, nunc magnos; nunc prælatos, nunc ſubditos, nunc nobiles, nunc plebeios; arguens obſecrans, increpans, & in regnum Dei omnes inferre feſtinãs. Quaſi omnium mater eſſet, ſic omnium vtilitati proſpiciebat & ſaluti. Côuiuantibus & ſecum conueſcentibus honeſtiſsima ſe diſpenſat one conformabat. Erat enim in menſa hilaris, ſed modeſtus, & lætus, vt ſcri-

Iudit. 16. 24.

ſcribitur, *ſecundùm faciem ſanctorum.* Si quãdo muſici intereſſent ſolennibus conuiuijs, tunc quàm maximè ſtudebat grauitati, ſeſe ad interiora traducens, ne ſenſus exteriores blandior melodia mulceret. Inter prandendum, Martyrum paſsiones, & geſta Sanctorum, ac Doctorum ſcripta, ſibi iubebat recitari. Diuinum officium die noctuq́ue horis ſtatutis, deuotiſsimè exoluebat: quas nec propter quaſcunque ægritudines, vel occaſiones præterire patiebatur, aut prçuenire. Pſallebat ipſe cum pſallentibus, eos autem, qui vel neglectè vel properanter pſallere cupiebant, voce terribili caſtigabat. Viciſsitudinem quoq; ſtandi ac ſedendi inter pſallendum obſeruabat. Et licet multis corporis paſsionibus laboraret, febre & iliacis doloribus, nunquam tamen officio ſuo defuit: quin vel Eccleſias dedicaret, vel Ordines conferret, vel aliquod opus pietatis impleret. Et hæc operans, ſæpe vſque in ſeram noctem ieiunus remanebat. Cæteri, qui ſecum erant, ſani laſſabantur, ipſe verò ægrotus omnia perferebat. Tantus illi inerat amor Dei, & cura proximi, vt & ſe propter hæc ipſa deſpiceret, DIONYS. O per omnia virum virtutis, qui nihil pro cuiuſcunq; ſalute negligendum putauit: *omnibus omnia factus, vt omnes Chriſto lucrifaceret.* 1. Cor. 9. 19.

QVAM

CAP. VII.

QVAM BENIGNVS FVERIT IN pauperes & leproſos.

BASIL. At nunc quis dignè commendet dulciſsima pietatis viſcera, quæ in pauperes miſeros, ac leproſos, Hugo mitiſsimus exhibebat? Erat enim munificus, & profuſus nimis; in omnes pauperes & miſerabiles perſonas. Inuitabat ſæpenumerò ad prandium leproſos pauperes tredecim, eoſq́; optimis ferculis opiparè ſaginabat. Et facto prandio ad cameram ſuam eos vocans, coram paucis arbitris pedes eorum ſuis manibus ſumma cum deuotione abluens, eoſdem tergebat, & oſculabatur, datiſq́; inſuper nummis, lætos, & à ſe benedictos, ad propria remittebat. Erat reuera videre mirabile, virum ſacratiſsimum ſpargentem ſua viſcera in leproſorum horum obſequium. Nam quos videbat præ cæteris ampliori lepra corroſos, putridos, deſpicabiles, hos ille cum lachrymis complexans, ac reuerenter deoſculans, ſolabatur, & vt ſuas calamitates patienter ferrent, precabatur. *Vos eſtis*, inquit, *roſæ paradiſi, vos eſtis lapides pretioſi, quos in ſuo diademate Chriſtus inſeret in æternū.* Hæc dicens, ac ſi Chriſti Ieſu vulnera contrectaret, putrida eorum membra, & tetrum fœtorem exhalantia, plorans & miſerans

Quibus verbis conſolari leproſos ſit ſolitus.

ſerans

ſerans confouebat. Habebat prætereà in Diœceſi ſuà plurimas manſiones leproſorum, ad quas accedens cum paucis, in medio eorum, qui elephantiaci erant, reſidebat, quos & verbis optimis, & muneribus recreabat. Et quos cernebat atrocius iam tabe confectos, hos diutius ſuauiuſq; ſuis ad ſe vlnis conſtringebat. Quaſi Chriſtum flagris lacerum, in ſuum reciperet ſinum, ſic hos, & aſpiciebat oculis, & manibus attrectabat. His enimuerò, & cæteris pauperibus, præter illa, quæ ſecretius erogabat, tertiam omnium prouentuum ſuorum partem miſerator impendit. DIONYS. Ad lacrymas me mouit hic ſermo tuus. Reuera opus hoc, opus magnæ pietatis, magnæ dulcedinis, & Chriſtum & Chriſti membra plurimum diligentis. O felices Hugonis oculos, quos auerterat Deus, ne viderent vanitatem exteriorem, vt internam plenius caperent veritatem. Non leproſi carnem, ſed Chriſti imaginem cogitabat, atque ideo eos & roſas, & gemmas, & Dei margaritas appellabat.

Quàm benignus fuerit erga leproſos.

CAPVT VIII.

QVAM DEVOTVS FVERIT ERGA Eucharistiam, & omnium ſepulturam.

BASILIVS. Audiſti deuotionem huius viri beatiſsimi erga pauperes & elephantiacos; nunc ſupereſt, vt quàm fuerit

erga Euchariſtiæ Sacramentum, & mortuorum ſepulturam deuotus, libenter auſcultes. Cùm vno dierum hic Præſul noſter vt quotidie ſolebat, Miſsā celebraret, quidam è Clericis, qui tum aderat, cui & cordis oculos aperuit Deus, vidit inter caſtiſſimos Hugonis digitos, ſpecioſum forma præ filijs hominum, in ſpecie paruuli infantis, & ſuo Pontifici arridentis contineri. Erat verò idem puer permodicus; ſed diuino quodam ſplendore atque candore, ſuper ſolem longè ſereniſsimus. Is autem, qui hæc vidit, mira deuotione ſucçenſus, & plurimum compunctus, tempus illud conſummauit in lachrymis. Rurſum autem vbi Hoſtiam Præſul ſuper calicem leuauit, vt frangeret, ſub eadem, qua prius imagine, natum de virgine Iesvm Dei Filium felicibus oculis meruit contueri. Tanta ſemper fuit huic Patri, ſancto erga Dominica Sacramenta cordis deuotio, quod neque maxima iactatio, neq; morbida valetudo ipſum à diuinorum celebratione potuit cohibere. Hinc factum eſt, vt vir ſanctus quotidie ſanctior fieret, & ſemper ſeipſo melior, & apud Deum, & in Deum proficeret, & Deo tandem inſeparabiliter inhæreret. Dion. Hinc quoque (vt credo) ſingularem, qua præditus erat, cordis munditiam, & inſuperabilem con-

Veritas Corporis Chriſti in Euchariſtia

conſtantiæ cæterarumq; firmitatem virtutum obtinere promeruit. BASIL. Optime credis. Nam præter hæc, multa illi reuerenda cœleſtium & ſpiritualium rerum ſecreta, per hoc miniſterium Altaris reuelata noſcuntur.

Nunc qualis fuerit erga ſepulturas mortuorum, operæpretium eſt audire. Ibat enim vir miſericors paſsim ad vniuerſos, qui obierant, humandos. His cum ſumma alacritate, ſi pauperes erãt, & luminaria, & neceſſaria omnia tribuebat. Per oẽm Diœceſim ſuam inhibuit Paſtoribus animarũ, ne ipſo præſente quenquam adultum prę- ſumerent ſepelire, niſi dum ipſe adeſſe omnino non poſſet. Inter equitandum, ſi funus fortè humandũ vſpiã aſpexit, confeſtim ab equo deſilijt, & orans deuotius, ſepelienti ſe iunxit, aut ipſemet ſepeliuit. In magnis plerũq; cõſiſtẽs vrbibus, tã ſedulus ſæpe in ſepeliẽdis mortuis operã impẽdebat, vt potẽtes viri qui cũ eo pranſuri erãt, tædio affecti, quererentur, quòd ipſo hæc agente, ad conſuetam prandij horam non occurreret. Apud Rothomagum conſtitutus Hugo, à Rege Angliæ Richardo, & olim ab eius genitore rogatus ad conueſcendum, noluit ante voluit aut Palatium venire, niſi adeſſent, qui poterãt ſepeliri. Vrgentibus verò miniſtris curiæ, vt accelera- *In ſepeliendis mortuis, quã piè ſolicitus extiterit.*

ret ad Regem, moras ægrè ferentem, ille nil feſtinantius agens, dicebat: *Non opus eſt, ô fili, vt nos Rex ad prandium expectet, veſcatur in nomine Domini.* Et ad ſuos familiares, conuerſus: *Melius eſt*, inquit, *vt Rex terrenus abſq; nobis prandeat, quàm mandatum æterni Regis noſtra humilitas inexpletum relinquat.* DION. Hanc ſepulturæ tam pertinacem inſtantiam non memini me in aliquo vſpiam Sanctorum, præterquam apud To-
Tob. 2. 4. biam reperiſſe. Hic quoq; & prandiũ ſuũ ſæpe relinquebat, & ibat ſpelire, quos in platea iugulatos inuenerat.

CAP. IX.

DE MIRACVLIS SANCTISSIMI *Patris Hugonis in vita.*

BASIL. Nũc reor non me importunum tibi futurum, ſi ſigna & prodigia huius beatiſsimi viri breui fuero compendio proſecutus. Honoremus ergo eum noſtro ſermone, quem Dominus multa miraculorũ claritudine duxit honorandum. Hic dum circa gregis ſui curam vigilans, ſuam ſæpe Diœceſim peragraret, in vna villarũ occurrit mulier mœſta & lachrymoſa, infantulum vlnis complexum tenens. Et procidens ad pedes almi Pontificis, tu, inquit, ille es, quem meus frater, Domino reuelante, in ſomnis vidit huc hodie venturum, & puerum hunc meum ocyus curatu-

rātorū. Nunc igitur miſerere pereūtis paruuli, miſerere & morituræ matris. Cumq; Epiſcopus peteret, quid mali contigiſſet infantulo, illa reſpōdit: Vide Domine mi, quantū guttur omne huius intumuit. Ante hos paucos dies hic meus infantulus partē laminæ candentis cum reperiſſet, neſciens quid eſſet, ori immiſit: quæ in guttur deſcendēs, nulla poteſt arte extrahi. Miſſus igitur huc à Deo tuo, reſtitue matri filium in ſupremo iā funere conſtitutū. Tū ille, vt erat clementiſsimus, manu ſua ſancta guttur leniter attrectauit, & inſufflans ori eius, benedictionē impreſsit, ac ſanum alacrēq; conſtituit. Repēte enim puer ferrū cum ſanguine euomuit, & ſumpto cibo refocillatus eſt. Per aliam viam tranſitum facienti, oblatus eſt homo ferreis nexibus irretitus, qui à dæmone obſeſſus, furorem vocibus atq; oculis intentabat. Erat enim terribilis aſpectu. Rogant cognati Epiſcopum, vt eum vel benedicere dignetur. Ille motus orantium vocibus, ab equo deſcēdit, & aqua benedicta miſerum, qui porrecta è faucibus lingua ſe deridebat, aſperſit: & lecto Euangelio Ioannis, benedixit homini, & abſceſsit. Confeſtim cœpit energumenus dormitare, poſtq; euigilans meritis diuini Patris pleniſsimè eſt liberatus, & multis poſtea annis incolumis vixit.

Puero grauiter periclitāti, opem fert.

Extruxit hic Pater noſter magnis impenſis & opere præclaro matricem ſuam Eccleſiã,& à fundamentis penitus innouauit. Ad hoc opus ipſe, vt erat humillimus, accepto cophino, calcẽ cementarijs in humeris deferebat: idq; frequentius actitabat vir humilis & ſublimis. Vidit iſtud vir vtroq; latere claudus, vidit, & plurimum mirabatur: & cupiens ipſe, licet nõ poſſet, Epiſcopi ſui vices agere, multis precibus egit, vt cophinũ ipſum portare poſſet. Mira res, & hactenus inaudita. Accepit ille geſtatoriũ, & duobus innixus baculis reptans & gemens, ſementa, vt potuit, inferebat. Mox cœperunt merita ſanctis Pontificis operari. Nam poſt breue tempus, bacillos vtroſque reijciens, integer, ſanus, & erectus latomis miniſtrauit: mirantibus vniuerſis, & Præſulis ſui virtutes in ſydera attollentibus. Super aurum hic vir ſuum ſemper cophinum adamauit, quem & penes ſe, quoad vixit, cum honore detinuit. DIONYS. O humilitas virtus Chriſti, quæ dum in Hugone reſplenduiſti, abiectiſsimæ humilitatis hominem erigere meruiſti. BASIL. Cuius quidam Lincolnienſis raptus à dæmone, in tantam furoris amentiam venit, vt ferreis nexibus cõpeditus, vix à bis quaternis hominibus poſſet detineri. Tandem in Eccleſiam ad ſan-

ſanctum præſulem pertractus eſt. Orant lachrymantes, vt dignetur hominis miſerrimi miſereri. Tum ſtatim flexus, iubet dæmonem à Dei plaſmate diſcedere, nec vlterius vexare, quem Chriſtus ſanguine redemit. Hoc dicto, repente æger in terram decidit, ita vt & mortuo ſimilis videretur. Deinde aqua ſancta perfuſus, & Cruce conſignatus à Pontifice, repẽte ſurrexit ſanus, & alacris, & palmas ferro vinctas attollens ad ſydera, in hæc verba prorupit: Tibi mitiſsime Saluator Deus, & tibi Domine Pater Epiſcope, gratias ago, qui me à tam dira peſte ocyus liberaſtis. Et cum ſupplices illi ac vinctas manus porrigeret, ſolutus eſt, liber domum rediens, qui nodatus exierat.

Duos filios vna mater habebat: Horũ primus grandem in dextro latere tumorẽ cum gereret, nõ procul à morte diſtabat. Alter icteritiam paſſus, malè admodum ſe gerebat. Hos mater vnum poſt alterum beato Epiſcopo præſẽtauit. Ille ſacra manu tumorem tangens, ac bendicens, omnẽ citius moleſtiã abegit: ita vt ne veſtigiũ quidem vlceris appareret. Alterum verò puerum cum ſigno ſanctæ Crucis communiſſet, infra triduum ictericiam, reddita ſanitate, procul abegit.

Habuit præterea in ſua Diœceſi muli-

erem, quæ nocturnis congreſsibus ab incubo dæmone incredibili vexabatur libidine. Hunc cùm primùm mulier ſpõte ad turpiſsimos concubitus admiſiſſet, poſtea cũ ab eo cuperet liberari, non potuit. Nulla illi Cõfeſsio, nulla Cõmunio, nulla parſimonia, ab impuro oppreſſore remedia afferebant. Tandem beatiſsimo Patri ſuã miſeriam cum lachrymis pandens, ipſo Deũ deprecãte, à probroſa ſeruitute mulieré eripuit, & caſtitatis munus impetrauit. Tum dęmon, vt ſacra viri ſancti merita obfuſcaret, vt vidit interdictam ſibi coeundi licentiam, venit ad mulieré in forma alterius dæmonis, & dans mulieri herbã, quam Græci ypericon vocitant, Latini auté herbam perforatam: accipe, inquit, ô mulier, hanc herbã, quam cũ penes te habueris, incubus huius virtute pulſus, nõ tibi poterit propinquare. DIO. O fraudes malignas hoſtis tartarei. Habet quidem hæc herba (vt volunt medici) virtuté pellendi dæmones, ſed eam nunquam mulieri dæmon oſtendiſſet, niſi vidiſſet, ſe precibus pij Patris excludi, vt hoc pacto mulierem doceret, non Pontificis ſe meritis, ſed herbæ viribus liberatam. BASIL. Erat quoque non longè ab Lincolnia vrbe mulier, quæ ſpiritum pythonicum geſtabat in ventre. Hęc, accepto pretio, furta & occulta

Vide animaduerſiones.

culta ſcelera ſciſcitantibus reuelabat, eratque admodum procax, & ceruicoſa. Adducta autem ad virum Dei, ſacris eam precibus incantauit, & dicto citius, dæmoniū ab ea compeſcuit. Hæc pauca de pluribus. Ex his, quæ nunc diximus, ſatis potes aduertere, qualis fuerit in reliquis, quæ breuitatis cauſa prxterimus.

CAPVT X.

QVOMODO VVITHAMIAM SVAM *ſolitus fuerit reuiſere.*

Iſtæ operibus intentus, ſæpe ſuæ Rachelis Hugo gemens recordabatur. Hinc factum eſt, vt crebrò ad ſuam VVithamiā ſecederet, gratia quieſcendi. Licet enim ſemper, & omni loco Deo eſſet intentus, (quippe qué interno geſtabat cordis domicilio) liberius tamen apud ſuos Cartuſianos dilecti ſui amplexibus fruebatur. Manebat illic more aliorū in cella ſolitaria: quæ ſemper ei ad hoc ſeruabatur. In qua aſſiduè orabat, pſallebat, ſomno quoque ſe ciboq; reficiens. Inde ad publicum ſubinde, vt ſalutaret, aut fratres, aut aduētantes, egrediens, ex conſortio ſermonum Dei, * cornutā, inſtar Moyſi, faciem gerere videbatur. Sermo quoq; eius, vt ignis ardebat, quo audientium corda ſuccendebat in Deum. Et verba ſua iuxta qualitatē perſonarum cum moderari noſſet, ſa-

Exod. 34. 29.
** Non ſunt hæc literaliter intelligenda.*

pientiam tamen loquebatur inter perfectos. Hoc in eo erat conſideraſſe iucundum, vt quotieſcunque dilectæ ſolitudinis regionem intraret, nitor quidam hilaris, colore rubicundo perfuſus, faciem eius totam ſerenare conſueuerat. Inter fratres exiſtens, nihil geſtabat præter annulum, quo præ cæteris poſſet Epiſcopus æſtimari. Pellica veſte opertus, ibat ad chorum, & ad refectorium cum fratribus, & * panes, Dominicis diebus, ad oſtium refectorij accipiebat, vt cæteri. Celebrabat quotidie deuotiſsimè, Capellano ſuo, & ſacriſta præſentibus. Omni die Sabbati (prçter illas, quas aſsiduè faciebat) puriſsimæ Confeſsionis lauacrum frequentabat. Sic Hugo noſter ſuos alebat VVithamienſes, verbo & exéplo iuſtitiæ, ne in arrepto torpeſcerét propoſito ſanctitatis. Nã fortes exhilarabat, infirmos roboraret, vacillãtes ſtabiliebat, ſtabiles verò ad ſublimiora prouehebat. Hic beatiſsimus, circa terminũ ſuæ vitæ, dulcem ſuã Cartuſiã venit reuiſere per lõga terrarũ & maris ſpatia, æquore iactatus & vndis. Ingrediens itaq; ſanctã domum vir humilis & ſublimis, cũ indicibili honore, gaudio, & amore omnium ſuſceptus eſt. Flebãt omnes vbertim præ lætitia, & ipſe quoq; lachrymans, & cunctis ſe deuotè proſternens, ſuper

Inſignis eius humilitas.

** Viget hæc conſuetudo etiamnum in Ordine Cartuſienſi, vt diebus Dominicis, poſt cœnam & peractas in Eccleſia vſias, tanquam Chriſti mendici, ad Refectorij oſtium, panes ſinguli recipiant.*

pereualla plorabat ſingulorum. Nouus il-lis ſol oriri viſus eſt, in aduentu tam dulcis Patris, tam ſuauis amici, tam amantiſsimi patroni. Ille poſt dulcia colloquia Scripturarum, largiſsimis eos eleemoſynis, & muneribus tanto Præſule dignis, cunctos opprimè recreauit. At vbi ſatis ſuam eis præſentiam indulſit, non ſine ſuo, omniumque mœrore, ad ſuam ſponſam regreſſus Lincolniam, ſumma ab omnibus expectatione & honore ſuſceptus eſt. DIONYS. Magnifica ſunt & præclara omnia, quæ in huius viri laudem proſequeris. Sed perge vlterius, nam libenter tibi aures accommodo.

CAP. XI.

DE PRVDENTIBVS RESPONSIS *eius, & quædam eius opera mirifica.*

BASIL. Sicuti Hugo noſter fuit ſublimis miraculorum ſignis, ita in verbis, & reſponſis eius gratia magnæ prudentiæ ac ſapientiæ refulgebat. Ex quibus pauca commemorare, operæ pretium duxi. Cū fratribus prandens in refectorio, hortabatur, vt oculos haberent in menſa, manus in ſcutella, aures ad librum, cor ad Deum. Monachos, & conuerſos fugitiuos ab ordine, admodum inuitus recipiebat, dicebatque; Cauendum eſt ſemper noſtro Ordini ab leuium inſtabilitate palearum;

inſtabiles & vagos, paleis ſimiles aſsignans. Vno dierum, cum Epiſcopus ſederet inter fratres vir quidam in ſeculo quodam ſublimis, & iam Monachus, quæſiuit ab Hugone conditiones pacis initas inter Angliæ & Franciæ Regem: Tum ille leniter illum corripiens, *& ſi*, inquit, *ad Epiſcopum pertineat forſan rumores dicere, ad Monachos tamen eos non ſpectat audire.* Et vertens ſermonem, de Deo cœpit magnificè loqui. Libros diuinos ſummo dicebat opere acquirendos, cuſtodiendoſque: *His*, inquit, *pro delicijs vtimur ac diuitijs tranquillo tempore, his bellico in procinctu pro telis & armis; His in fame pro alimenta, his in languore pro medela, his religioſis omnibus, maximè autem ſolitarijs viris vtendum reor.* Incathedratus autem in Eccleſia ſua, & Cantuarienſi Archidiacono ſolenne ex more donatiuum poſtulanti, ita reſpondit: *Quantum pro mitra dedi, tantundem & pro cathedra dabo.* Vno hoc verbo ſimoniacos feriens, qui mitras & cathedras aut vendere pecunia, aut emere non pertimeſcunt. Tanta ſemper reuerentia & amore eſt habitus, apud matricis ſuæ Canonicos, vt ſemper illi deferrent, quicquid eis aut diceret aut opere exequeretur. Sum, inquit, reuera p pere aſperior atque mordacior, qui fratrum meorum præſidés capitulo

Monachorum non eſt, ſeculi audire rumores.

pitulo,ex re facili frequenter noſſ amor ad uos. Illi aũt ſcientes, quia oportet qualem me ſuſceperunt, talẽ & ſuſtinere,faciũt de neceſsitate virtutẽ,& libenter deferũt mihi. Gratias illis habeo, nunquã vel in vno ſermone reſtiterunt mihi, ſed finito capitulo licet aſper illis fuerim, nullus de noſtra ſibi exiſtimat dilectione diffidendũ: nec æſtimo me à quouis eorũ non amari. Talẽ ſemper ſe Hugo per amorẽ geſsit ad ſuos, vſq; ad mortem: vt illud merito huic adaptari poſsit: *cum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finẽ dilexit eos.* Quorũ etiã tuitioni, ſi quẽ moleſtijs viderat prægrauari, ita ſe opponebat, vt & verbo & facto diceret: *Qui tangit vos, tangit pupillã oculi mei.* DION. *Ioan. 13.1.*
O egregium per omnia paſtorẽ, qui amat *Zach. 2.8.*
tam feruenter cũ Petro oues Chriſti. Non eſt iſte mercenarius, non fugit accurrente lupo, ſed ſtat robuſtus præliator in die Domini. BAS. Hinc factũ eſt, vt gregi ſuo timere nõ norit, nec ẽt ſibiipſi. Audi quid ſuper hoc de ſe ipſo teſtetur: Noui, inquit, me cũ filijs meis bonũ vnitatis, & pacis tẽtatius obſeruare: ideo nec regẽ timeo, nec quenquã mihi mortalẽ timendum exiſtimo: Alioquin internam ſecuritatem perdo, quæ ſempiternę imitatrix exiſtit tranquillitatis. Mulctam pecuniariam, à delinquẽtibus ſuos officiales vetabat accipere.

Nolo,

Nolo, inquit, *pro peccatis hominum munera capiatis, ne occaſio vobis detur auaritiæ, aut ne pro munere opprimatis inſontem, aut ſontem in ſuis ſceleribus foueatis. Munera enim excœcant oculos ſapientum, & ſubuertunt verba iuſtorum.* Cumq; ſui reſponderent, plus terrere improbos pecuniæ diſpendium, quam excommunicationis probrum, ille reſpondit; *Veſtra, id eſt, negligentia tribuendum, qui remiſſius vos geritis in coercendis delinquentibus.* Nam (heu dolor) multo eſtis ſtudioſiores ad petendam pollicitam pecuniæ taxationem, quam vt iniunctam impleant ſatiſfactionem. Illi autem cùm dicerent, ſanctum Thomam Cantuarienſem Epiſcopum à delinquentibus ſumpſiſſe mulctas. *Credite*, inquit, *mihi, non ideo ille ſanctus fuit. Alia eum virtutum merita ſanctum exhibuerunt, alio certè titulo emeruit palmam martyrij.*

Deut. 16. 19.

Priuilegia Eccleſiæ ſuæ, vt S. Thomas, pertinaciſſimo ſemper defendit obiecta. *Abſit* inquit, *vt patiar à quacunque ſublimi perſona eccleſiaſtica libertatis priuilegium infringi.* Non ſinã ius Eccleſiæ dominæ meæ MARIAE Virginis, quãtum in me eſt, aliquatenus deperire. Obſeruabat quoq; inuiolabiliter ne his qui ad ſua beneficia nõ reſidebant, aliqua abundãtia largiretur; *Sicut* inquit, *ſcriptum eſt*, a *non alligabis os boui triturantis, ita qui* b *altario non deſeruit de altario*

Immunitatẽ Eccleſiaſticã acriter propugnat.

a Deut. 25. 4.
b 1. Cor. 9. 13.

non participabit. Et ſicut oportet laborantē c *agricolā de ſuis fructibus percipere,ita qui non* d *laborat,non manducet.* Hic cùm eſſet Pariſijs, venit ad eum quidam magnæ ſcientiæ Theologus,dicens illi,Glorioſam, domine Epiſcope præcunctis totius orbis Eccleſijs,veſtrā exhibuiſtisEccleſiam,inſignium multitudine clericorū. Eſſet mihi quoq; delectabile, eorū numero vel qualicunq; titulo ſociari:Cui ſtatim S.Epiſc.; *Et nos*,inquit, *te libenter illorū numero iungere curabimus, ſi inter eos volueris reſidere, & ſi ſis ipſe deinceps viuere decreueris, ſicuti hactenus docere curaſti.Volo*,inquit,*vt ſcientiæ tuæ æquis paßibus mores tui reſpondeant.* His auditis, Doctor erubuit, & abiens,vitam in reliquum inſtituit meliorem. Libenter cōferebat ſanctus Præſul beneficia modeſtis, pijs & doctis hominibus.Eos verò qui tales non erant, nec præce, nec nobilitate, nec paupertate aliquatenus admittebat. DION.Vtinam noſtri temporis Præſules ad eā mentē inducerent: Nunc autem virtute,ſcientiaq; reiecta, eos etiam ignauiſſimos promouent; qui blanditijs, qui pecunijs,qui nobilitate generis vim faciunt. BASIL.Tantæ quoq; erat humilitatis, vt nunquam de bono ſe opere, vel modicè attolleret:ſemper iſtud verbum corde & ore ſonans. Bona, ſi quæ ex dono Dei in me

c 2.Tim.1.6.
d 2.Theſſ.3.8

me ſunt, meo reatu fit, quod pura ſatis nô procedunt. Mala vero mea, non alia quam pura eſſe mala noſcuntur. Cùm aliquãdo diceretur ſibi, ſanctum Hugonem Gratianopolitanum Præſulem, nullam vnquam ſuæ Diœceſis fœminam, præter vnam in facie coſpexiſſe, ille reſpondit: *Ego certè fæminas omnes indifferenter aſpicio, ſed mox vniuerſas excorio.* Quod quidem ideo dicebat, quia exteriorem pulchritudinem non curabat, ſed intrinſecus latentem attendebat corruptionis fœditatem. Quidam cùm nimium de ſua morte anxius eſſet, & ſanctũ ſuper hoc Præſulem conſuleret, ita reſpõdit: *Da operam vt benè viuas, & cura vſq; ad mortem, pietatis inſiſtere operibus, mortis autem tuæ curam Deo relinque. Illi enim cura eſt de nobis*; Erat hic primum vir admodum liberalis, & ideo vbicunque hoſpitio ſe recepiſſet, presbiterum parochialem, & ſuos etiam miniſtros, ad ſuam ſemper menſam inuitari iubebat. Et dicebat iucundo vultu ad ſuum dapiferum. Scriptum eſt, *ô, fili, non deſeres Leuitas, qui intra portas ciuitatis tuæ ſunt.* Quodam tempore cum veniſſet in villam quandam, *Ioy*, nuncupatam, fecit ſacerdotem vocari, vt ſecum cænaret. Ille veritus cum tanto Pontifice epulari, non quidem tunc venit, ſed poſt cenam occurrit ſalutare eum, & vt ſan-

Deut. 12. 12. & ibid. v. 19.

ſanctis eius precibus ſe commendaret: dixitq́; adeum multa verecundia. (Erat enim vir grandęuus, & corpore marcidus, ſed reuerendus aſpectu) *Cum eſſem* (inquit) *iuuenis ordinatus inſidiante Sacerdos, Diabolo, in grauiſsimum crimen collapſus ſum.* Corde itaque & corpore pollutus, non ſum veritus ſine pœnitentia, viuifica tremenda altaris Sacramenta conſecrare, contingere, miniſtrare. Et ecce die quadam, cum in altari hoſtiam, verbis, ore Chriſti prolatis, conſecrarem; cœpi mecum tacitus cogitare, & perfida mente reuoluere, an ego tanti criminis reus, etiam veraciter conſecraſſem. Credebam namque, infelix & amens, Chriſtum in altari non eſſe, nec candorem lucis æternæ ad me tenebroſum deſcendere voluiſſe. His cogitationibus teteris occupatus, veni ad id, vbi erat hoſtia trifariè partienda, quam vt per medium fregi, mox cruor liquidiſsimus effluere cœpit. Dehinc pars vna in carnis ſpeciem ſubitò eſt conuerſa, altera autem ita cruore maduit, vt primam partem, quæ caro videbatur, rubore ſanguineo perfunderet. His viſis, totus diriegui præ timore, & perdito mentis conſilio, quicquid de ipſis Sacramentis manibus tenebam, in ſacrum mox calicem decidere permiſi. Erat tunc videre

Habet etiam hoc exemplũ auctor vitæ apud Surium, cap. 27.

dere ibi, quod & in præſenti tempore cernitur, cunctis ſæculis ſtupēdum nimis miraculū, vinū ſcilicet in ſanguinem, & panem in carnem media ſui parte conuerſum, rem pariter Sacramenti, & formam, ſignificans, & ſignificatum, ſub gemma ſpecie manifeſtè præſerre. Ad hæc magnalia videnda accurrunt vndique homines, qui procul, & qui circum nos habitant. Cumque hortaretur, Epiſcopum Hugonem, vt hæc veniens, dignaretur aſpicere, omninò contempſit. Cumque ſui rogarent, vt cum ipſis vna accederet, non acquieuit, dicens; *Quid ad vos iſta pertinet? Habeat ipſe ſecum in nomine Domini ſigna infidelitatis ſuæ.* Non miramur particulares imagines huius diuini mundi, qui totum integrumque hoc cœleſte beneficium quotidie intuemur fideliſsimo aſpectu mentis. Quid neceſſe eſt illius Sacramenti exiguas portiunculas attingere viſu corporeo, qui totum interioribus oculi obtutibus, luce clarius intuemur? Hæc dicens curioſitatem ſuorum redarguit, & in fidei ſoliditate roborauit, dicens; Multò certiora ſunt quæ fides ſancta præſcribit, quam ea quæ lux iſta viſibilis oſtendit. DION. O verbum omni veritate ſubnixum. Eis hic liquet palam aduertere, huic beato primò conceſſum eſſe, reuelata hominis interio-

Vtinam & hoc noſtro ſeculo, ſola fide contenti, ſenſibus renuntiaremus.

ris facie, illa ſingulariter de hoc Sacramẽto viſu quodam interno perſpicere, quæ nos inuiſibilia docemur omnes fide puriſriſsima credenda tenere. BASIL. Præter cæteras authoritates eius præclaras, hanc vnam ſeriò dicere ſolebat; Authoritas, inquit, & ratio certa præſcribunt, nunquam debere per obedientiam malum fieri, cum debeat interdum propter obedientiam, bonum omitti; Cum tempore quodam territorium ſancti Albani eſſet ingreſſus, ecce occurrit ei cum apparitorum in turba quidam, ob furta damnatus ad ſuſpendium. Cumque omnes accurrerent ad benedictionem Pontificis, ingeſsit ſe etiam vi qua potuit & reus ille. Ruenſq; ad ceruicem caballi eius, ac ſtatim ſub pedibus eius percidens, miſericordiam flebilibus vocibus inclamabat. Tunc Epiſcopus agnoſcens qualis homo eſſet, & quid peteteret, alacri voce dixit. Eia benedictus Deus. Tunc ait apparitoribus. Redite nobiſcum in villam, & mihi iſtum ſceleroſum dimittite, & iudicibus veſtris dicite, me hunc abſtuliſſe vobis. Ego ſecuros vos faciam. Illi preſsi reuerentia almi Præſulis, dimiſerunt eum. Quem mox ſolutum vinculis, & lætabundum ſuo eleemoſynario commendauit. Ingreſſus hoſpitium, rogãt eum miniſtri ſui ac clerici, vt reum

iudicibus damnandum dimitteret, timentes ne Rex, qui iam Hugoni infenſus erat, ex hoc facto grauiores irarum cauſas aſſumeret. Quibus HVGO ſubridens, ô, inquit, præclaram veſtræ magnanimitatis conſtantiam. Et vocans ad ſe iudices, noſtis, ait, ô viri prudentes ſanctæ matris Eccleſiæ generalem prærogatiuam, vt omnem reum qui ad ſe confugerit immunem præſtet? Nouimus, inquiunt, Domine Pater. Tum ille. Si id, inquit, noſtis etiam ſcire debetis, quod vbicunque fuerit Epiſcopus cum ſuis Chriſtifidelibus, illic & Eccleſiam eſſe. Qui enim materiales Eccleſiæ lapides, qui & lapides viuos, vt CHRISTI templa fiant, ſanctificare habet, iure debet, vbicunque fuerit, Eccleſiæ dignitatis priuilegio gaudere, & periclitantibus iuxta illius formulam ſubuenire. Aſſentiunt iudices, & veriſsima eſſe quæ dicit, vltrò profitentur. Orant tamen, vt ſuo interuentu agat, ne ipſi apud regem periclitentur. Rectè, inquit, locuti eſtis. Ego iſtum de manibus veſtris tollo, pro qualibet violentia vbilibet reſpondebo. Et concito gradu pergens Londinum, vt ſuper hac re regem conueniret, reum liberum illic abire permiſit, gratias maximas Præſuli agentem, & vitam iam in melius ſe acturum ex animo pol-

pollicentem. Veniens autem ſanctus Pator in Palatium, locuturus Regi, qui tunc illic non erat, inuenit principes ac proceres regis ſedentes ad ſtatarium, & pariter colludentes. Tum orat eos Præſul, vt ſuper hoc facto, alijſque, pro quibus illi rex eſſet infenſus, Regem placarent, & indemnem ſe ac ſuam Eccleſiam conſeruarent. Qui omnes reuerenter ei aſſurgentes, & quod petierat obtemperanter ſe facturos pollicentes, compulerunt eum multis precibus, vt ſecum vel ad momentum reſideret. Quibus ille vix acquieſcens, tandem ſedit. Vnde illi exhilarati iam, inquiunt, triumphanter gaudere valebimus qui diem vidimus, quo ad Regis ſcacharium Lincolnienſis ſedit Epiſcopus. Ad hæc ille ſecum erubeſcens, continuò ſurrexit: & vt erat animo prudens, oſculum perrexit vniuerſis dicens: Iam & ego de vobis triumphabo, ſi poſt libatum pacis oſculum, in Eccleſiam meam quicquam admiſeritis minus pacificum. Quod illius factum & dictum illi nimium admirati mutuo loquebantur, dicentes: O admirabilem prudentiam huius viri. Ecce quam de facili præſcripſit nobis, vt etiam iuſsi à rege, non ſine magno noſtro dedecore, ei poſsimus moleſtias vllas inferre. Quibus ille

Forid ſcacharium, ſicuti libro 4. ca. 10 ad marginem.

Gloriantur aulici, quod B. Hugo ad breue momentum ſe illorũ ſcacbario luſui præſentem exhibuerit.

benedictione data receſsit,& regem adire diſponens, poſt eũ in Normanniam tranſfretauit. In hoc itinere cõſtitutus,contigit vt cum Archiepiſcopo Cantuarienſi, qui ſibi etiam erat infenſus,loqueretur. Qui volens Hugonem terrere,ita dixit; Tu, ô Epiſcope, regem offendiſti, hinc neceſſe eſt tibi ingentem pecuniæ ſummam colligere,qua furor poſsit regis extingui. An ignoras,quod vti hydropicus aquam, ita Dominus Rex ſitit pecuniam?Cui ſanctus ſubridens,ait: Planè etſi Rex multum hydropicus ſit, ego tamen aquam illi non tribuo,quam deglutiat. Venit itaque conſtanter ad regem iratum, & inuenit eum ſedentem in aula ſugentem ſibiipſi digitum, quem panniculo inuolutum læſum habebat. Tum Hugo(vt erat acerrimi ingenij)volens regem à mentis ſuperbia prorumper deducere, quaſi iocatus, dixit ad eum. Quàm ſimilis es iam cognatis tuis de Faleſia: Quo audito, Rex miratus Hugonis conſtantiam, cœpit plurimum ridere, ita vt ſui proceres mirarentur. Præuentus namque tam vrbanę inuectionis nouitate, medullitus mouebatur, & conuerſus ad ſuos ait: Num intelligitis qualẽ nobis cõtumeliam vir iſte intulerit? Genitrix proaui noſtri VVilhelmi de ſtirpe humili & abiecta traxit originem: Fuit enim de Fale-

ſa, oppido Normanniç orta, & pelliparis. Atque hic Præſul me ſuere digitum irriſor aſpexit, ideo Faleſienſibus ſimilem, & eorum me cognatum eſſe improperauit. Hæc cum lætus diceret, & omnes hic ſermo mouiſſet ad riſum, tum in pace ſuſcepit Hugonem, & nedum iniuriam, ſi qua erat, donauit, ſed & auctum honore & gratia ſecum communem habuit. DIONYS. Præclara omnia, ac laude digna ſunt tum dicta, tum facta Pontificis huius, quæ & ſapientiam, & iuſtitiam, & pietatem ſapiunt.

CAP. XII.

DE DECESSV BEATI PATRIS.

BASIL. Nunc ſupereſt, vt qualiter ex hoc ſeculo ad Dominum migrarit ſanctus Pater noſter, diſſeramus. In vltima ſiquidem ægritudine conſtitutus, ſicut ſæpè ante fecerat, ita tunc maximè impendit operam purè atque integrè cõfiteri, quicquid vnquam, etiam à puero in Dominum commiſiſſet. Et non vno confeſſore contentus, iuſsit adeſſe quatuor præſtantiſsimos ſuæ Eccleſiæ viros: nempe Decanum, Succentorem, qui ei in Epiſcopatu ſucceſsit, & Archidiaconos duos. Coram his cum ſumma cordis contritione, cum lachrymarum multarum effuſione, & acutiſsima ſuæ conſcientiæ diſcuſsione, et-

iam vſque ad minimum ſuorum delictorum quadrantem, confeſsionem explicuit. Mirabantur hi viri tantam in Dei ſancto copiam fletuum, gemituumq́; nec tam exactam confeſsionem ſe vnquam audiſſe, teſtabantur. DION. Parumper expecta. Non ſufficio mirari, tam altam, tamq; ſtupendam in hoc patre noſtro humilitatem. Nunquam antea auditum, nunquam lectum puto, quempiam Sanctorum palàm fuiſſe confeſſum in pręſentia teſtium plurimorum. Omnes vno confeſſore contenti, clàm, non palàm ſua peccata Domino reuelarunt. Hic auté patronus noſter, quò melius Deo ſatisfaceret, quò profundius erubeſceret, quatuor delictorum ſuorum voluit teſtes adhiberi nouum humilitatis genus condens in ſemetipſo. At nunc cœptum iter magis ingredere. BASIL. Celebrata igitur toto biduo confeſsione; Euchariſtiam ſibi obſecrat exhiberi. Venienti autem Sacramento ſaluifico, ille ſurgens è lecto, obuiam vadit, cilicio indutus, tunica & cuculla. Vadit, inquam, obuiam nudis pedibus, lachrymoſis oculis, iunctis manibus, ſupplici vultu, compuncto corde, alta ab imo pectoris ſuſpiria ducēs. Ac tum genua flectens, & ſuppliciter adorans, coram tremendo ſacro cor ſuum in oratione profudit. Dehinc cœpit com-

Munitur Eccleſiæ Sacramentis.

commemorare immenſa beneficia ſibi, & generi humano, ab Saluatore impenſa, ita inquiens; *Tu mitiſſime rerum conditor Deus, tu me cū non eſſem ad imaginem tuam condidiſti, tu me cum perditum eſſem reformaſti, tu roſeo tuo ſanguine me lauiſti, tuis vulneribus me ſanaſti, tua me morte viuificaſti & ſæpenumero tuo corpore delectabiliter refeciſti. Hinc te laudo, te benedico, tibi gratias ago Deus meus, & culpabilem me profiteor, qui tam magnificis beneficiis tuis nunquam, vti oportuit, me gratum exhibuerim. Tu tamen ne me deſeras, auxiliator meus, ſed in finem dilige, quem dilexiſti.* Hæc dicens amoris illi ab oculis lachrymæ decurrebāt. *Vltima eius precatio ad modum pia, & deuota.*

Refectus denique æternæ vitæ dapibus, & extrema vnctione delibutus, gratias egit vberrimas Domino Saluatori: & conuerſus ad ſuos, ſerena facie & vultu placidiſſimo, dixit; Iam ex hac hora paruam de his morbis meis curam in pectore geram: Ei me commiſi, illum ſuſcepi, ipſum tenebo, ipſi adhærebo, *cui adhærere bonum eſt:* *Pſal. 72. 28.* quem qui ſuſcipit, cui qui ſe commiſit, validus, tutus, & ſecurus eſt; DIONYSIUS: O verba ignem ſpirantia charitatis; Satis oſtendit, in ſuo pectore, DEVM amoris inhabitare: cuius tam ſuauia præconia eructuat oris oratio; BASILIUS; Admonitus vt teſtamentum conderet, reſpondit; *Tadet*

Sic etiam auctor vitæ Hugonis, apud Surium, c. 28. Tom. 6.

me ſanè, huius conſuetudinis, iam paßim in Eccleſiam introductæ: Nam quo ad animam meam, nihil vnquam poſſedi, aut poßideo quod ſentirem meum, ſed Eccleſiæ quam regendam accepi; Ne tamen fiſcus ſuo more ad ſe rapiat? ſi quid bonorum temporalium poſt obitum meum in Epiſcopatu fuerit derelictum: ea omnia indigentibus diſtribuenda cōſtituo: Et executoribus aſsignatis, orarium ſuum ceruici appendens, anathematizauit omnes qui de rebus ſuis aliquid fraudulenter ſupprimere, aut violenter auferre molirentur. In hac tanta ægritudine conſtitutus, intentiſsimè ſemper orabat, pſallebat, collaudabat: & ſtatutis temporibus tum diei tum noctis, cum miniſtris horas ſuas deuotiſsimè perſonabat: Hunc ſic ægrotantem Archiepiſcopus Cantuarienſis venit deuotus inuiſere; Dehinc poſt conſolationem exhibitam, ita dixit; *Tu noſti, mi Pater Hugo, quod ſæpenumero me, qui ſpiritalis tibi pater ſum, & Primas, offenderis: hinc ſuadeo tibi, nūc à me veniam expetere, & offenſum ocyus tibi reconciliare;* Cui ſanctus; *Dum conſcientiæ meæ ſecreta perquiro, quod te ſæpe ô Præſul prouocarim inuenio: non puto tamen inde mihi magnoperè dolendum; Nam & crebrius ſolito, ſi vita comes aſtaret, ſub cunctacernentis Dei oculis idipſum me facturum firmiſſimè propono; Sæpe namq́, vt tibi morem gererem, quæ dicenda, carpendaq́, erant, ſubticui: verum*

Verba Archiepiſc. Cantuarienſ. ad B. Hugonem.

Reſponſum B. Hugonis.

ne-

ne tu ea indignantur admitteres: Hinc Deum offendi, hinc in te deliqui, hinc ſupplex indulgentiam peto. DION. Quis hunc iuſtitiæ zelum non admiretur? Carpit ſuum Metropolitanum, amore omnium Chriſti, & dolet non ſe id oportunius importuniuſque actitaſſe. Satis conſtat hunc Archipræſulem reprehenſibilem fuiſſe, cui oportuit hanc correptionis cenſuram adhibere. BASIL. Reuera reprehenſibilis, ſed hunc dimittamus. Creſcente ægritudine volebāt, qui illi aderant, amici, vt melius pauſaret, ablato cilicio. Quibus ille, Nolit (ait) Deus, abſit vt iſtud fiat. Non enim lædit, ſed lenit nos veſtis hæc, nec tam vlcerat, quam iuuat. Incipiente iam illo propinquare ad exitum, circumſtabant ſui, triſtes, gementes mœſti, lachrymoſi. Horum fletibus motus mitiſsimus Pater, his eos verbis conſolatus eſt. *Nolite tantopere meam mortē lachrymari. Non enim iudicij ſed gratiæ & miſericordiæ dies erit, qua ego defungar.* DION. Ambroſij Epiſcopi vocem me hic audire profiteor. *Ego* inquit, *illo mori non timeo, quia bonum habemus Dominum, præſtabilem, mitem, miſericordem.* At noſter ſanctus pari ſpiritu de Chriſto ſentiens, non ſeuerum iudicem, ſed miſericordem ſe Dominum habiturum pollicetur. BASIL. Dehinc ab amico hortatus, vt (quæ multo tempore

Non vult ſibi agonizanti auferri cilicium

Conſolatur ſuos, dolentes de ſua emigratione.

ordinarius fuerat & delegatus iudex plurimorum) debitè confiteretur, ſi in his officijs aut negotijs quid minus rectè feciſſet, reſpondit verbum auditu digniſsimū, dicens: *Odio, ſeu amore, ſed nec ſpe quidem, vel timore perſonæ, aut rei cuiuſquam, nunquam à veritate induciū me ſcienter exorbitaſſe recordor. Si autem iudicando deuiaui à recto, hoc propriæ ignorantiæ crimen fuit.* Ingraueſcente iam ægritudine, iuſsit parari quæ funeri erant oportuna. Et circumſpiciens filios ſuos lachrymantes, ſupplici voto eos Domino commendauit. Et recordatus ſponſæ ſuæ Eccleſiæ, *Dominus*, inquit, *Paſtorem ei prouideat commodè profuturum.* Dehinc nudato pauimento, in modum crucis benedictos cineres aſperſerunt. Quos ille digitis econtra benedicens, demiſſo capite, cineribus impreſſam crucem adorauit. Illo ſuper cineres iam iacente, & cæteris completorium pſallentibus: cùm verò ventum eſſet ad illos pſalmi verſiculos, *clamauit ad me exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum,* vultu placidiſsimo ſpiritum ſenſim colligebat: quem tūc in manus conditoris ſui tradidit, cùm pſallentium chorus canticum Simeonis recitare cepit. Videns enim beatis oculis ſalutare Dei, in pace dimiſſus, abijt ad pacem; & intrauit fidelis ſeruus in gaudium Domi-

Quòd in iudicijs ſyncerum exhibueris. — *Pſalm. 90.* — *Luc. 9.* — *Feliciſsimè obdormit in Domino.*

Domini Domini ſui. DION. O obitum fœlicisſimum, quo de morte tranſijt ad vitam. Nunc veriſsimè illud probatum eſt, nempe, diem mortis ſuæ, non illi fuiſſe iudicij diem, ſed gratiæ, & miſericordiæ inuentricem. Præſtante Domino IESV Chriſto, cui eſt cum patre & ſpiritu ſancto gloria & imperium, Amen.

CAP. XIII.

DE SEPVLTVRA BEATI PATRIS, ET miraculis eius atq; prodigijs.

BASIL. Hoc ſacro Pontifice iam tranſlato ad Patrem luminum, incredibile eſt, quantus per totam Londoniarum vrbem) illic enim mortem ſubijt) luctus auditus ſit, vlulatus & fletus. Diuites conſultorem, pauperes ſe Patronum perdidiſſe querebantur. Defunctus aũt reuerendiſſimus Præſul, vitro purior, lacte candidior, roſis vernantior, multis hominũ millibus eſt palã demonſtratus. Conditũ autem aromatibus ſacrum corpus, à Londonijs ad Lincolniam cœptum eſt transferri. Clerus vero & populus omnis Londoniarum crucibus, cereis atque carminibus ſacris venerandas exuuias proſecuti ſunt. Per oppida, agros & villas vterque ſexus obuiam proruit, & feretrum tetigiſſe, palma ſuprema fuit. Sed audi, quæſo, quod nunc dicturus ſum. Toto ſextiduo

boc

hoc iter confectum eſt. In quo temporis atque itineris ſpatio, licet ventorum impetus aſſurgeret, & pluuiarum, cerei tamen quatuor, qui circa feretrum ſemper ardebant, nulla vnquam cœli inclementia hos quiuit extinguere. DION. Hinc dubium non eſt, Dominum Hugoni paraſſe lucem perpetuam, qui temporalem illi lucem extingui non pertulit. BASIL. Sub hoc itinere apparuit ſanctus Hugo per viſum, cuidam miſero, cui in geminas partes brachium fractum erat. Quod cum ille leniſsima attrectatione tetigiſſet, continuò priſtinum robur recepit. At ille non ingratus accepti muneris, ad feretrum reuerenter aduenit, & gratificans ſuo medico, his qui aderant, mirè lætātibus, quis eum ſanauerit, palàm aperuit. Poſt hæc ventum eſt Lincolniam. Et ecce, mirabile dictu, accurrunt ſancto funeri Scotorum & Anglorum reges, Archipræſules tres, Epiſcopi quatuordecim, Abbates plus centum, Comites, Barones, milites quamplurimi, præter Anglos, Normannos, Francos, etiam Burgundi, Scoti, Hyberni. Porrò reges & Archipræſules, tanquam à Domino miſsi, corpus ſacrum, in humeros reuerenter accipiunt, & cum ſummo honore & laudum canticis ad diuæ Mariæ Eccleſiam deferũt. Dehinc defunctorum offici-

Inſigne miraculum.

Vide cap. 33. vita apud Surium.

officium tam ſolenniter pro eo perſolutum eſt, vt ſoli Epiſcopi & Archiepiſcopi Lectiones legerent, & Reſponſoria cantarent. DIONYS. Meritò his exequijs attribui poteſt, quod Iſaias ante præcinuit, dicens: *Et erit ſepulchrum eius glorioſum.* Et ſatis credo, ideo Deum hunc famulum ſuum tam magnifica, & glorioſa voluiſſe ſepultura honorare: quòd præ cæteris ſanctis inuenitur in ſepulturis mortuorũ deuotiſsimus extitiſſe. BASIL. Credo equdem & ego. Sed dum hæc agerentur, accurrit miles quidam, vir admodum egregius, & multis notiſsimus, cuius brachium cancer ita corroſerat, vt oſſa, conſumptis carnibus, nuda paterent. Erat enim videre miſeria. Tum ille, fide plena aggreſſus feretrum, orans, brachium applicuit ad os iacentis Epiſcopi. Et ecce ſub oculis omnium ita repentè brachium ipſum conualuit, vt ne veſtigium læſuræ poſſet deprehendi. Ingens clamor attollitur, & in Dei laudes voces perſonant populorum. Erat tum temporis Lincolniæ mulier, cuius filius iam grandiuſculus, poſt longas ægrotationes, peruenit ad mortem. Quo mortuo, imò iam frigido & rigente, mater anxia, ſancti cœpit Hugonis ſuffragia prę-ſtolari. *Scio*, inquiens, tanta eſſe beatiſsimi Patris apud Deum merita, vt mortuum Iſa. 11. 10.

mihi

mihi poſsit filium redonare. Et accipiens lychnum, vt ad menſuram pueri candelam cercam Sancto accenderet, cœpit cor puſculo commenſurare. Mirum dictu, puer ocyus oculos aperuit, matrem agnoſcit, ſurgit à funere, & vitæ redditur, & ſoſpitati. Viſitat infans cum matre Sancti ſepulchrum, & in Dei laudes omnium ora laxantur. Affuit poſt hæc adoleſcens, cui paralyſis ab vmbilico deorſum, corpus emortuum reddiderat, & ambulandi priuauerat officio. Hic cùm pauper eſſet, totos quatuor annos in Hoſpitali lecto decubuit. Tandem ad tumulum beatiſsimi Patris noſtri delatus, cùm illic pernoctaret, vidit in ſomnis quendam admirabilem virum, multa luce circumdatum, & Epiſcopalibus infulis adornatum; qui propius accedens, dixit ei: Surge, & ſta rectus ſuper pedes tuos. Qui mox euigilans ſurrexit ſanus, & ambulauit exiliens, gaudens, & laudans Deum. Cœperunt autem plaudere, & iubilare præ gaudio vniuerſi. Paralytica quoque mulier à renibus deorſum emortua, ad Sancti ſepulchrum flens plurimum, & orans, ſalutem precabatur. Et ecce, auditur à circumſtantibus in muliere oſsium fragor, & ſtridor coſtarum & crurium. Illa verò tanquam violentiam paſſa, dentes mordebat, & immutabat

Puer mortuus à B. Hugone reſuſcitatur.

bat faciem præ dolore. Et continuò ſana ſurrexit, collaudás cum omnibus, qui aderant, Deum in ſancto Antiſtite ſuo. His auditis, accurrunt votis calentibus quatuor alij paralytici. Ex ijs vna mulier, quæ lotos in Sabbato panniculos, die Dominico ſiccandos obiecit ad ſolem. Hinc vltio diuina hanc tetigit, & manum illiaridam vſque ad cubitum tabefecit. Admonita eſt in ſomnis ab Angelo, vt tumbam viſitet, ſananda, magni Pontificis. Venit illa, veniunt & tres paralytici reliqui. Hi omnes, fuſis precibus, continuò ab HVGONE ſanantur, cunctis præ lætitia gloriam in ſublimia attollentibus. Dehinc adducuntur cæci tres: quorum erat in tenebris mœſta confuſio. Hi filium perpetuæ lucis, HVGONEM, implorantes, lucem tum cordis, tum corporis ocyus receperunt, & in laudes lucis ſempiternæ voces aſtantium promouerunt. Aduolant his viſis muti duo. Et vota quæ ore non poterant, corde promebant, & lachrymis. Hinc DEI munere factum eſt, & meritis ſancti, vt linguis reſolutis, vocales Dei laudes palàm concinerent, & linguas multorum in HVGONIS præconia concitarent. Erat apud Lincolniam mulier, quæ

quæ abortum faciens, fœtus ſemper mortuos effundebat. Hinc triſtis nimium & deſolata cùm eſſet, ancilla huius in ſomnis à quodam nuper defuncto Canonico, ter admonita eſt, vt diceret dominæ ſuæ, poſſe eam viuos in reliquum fœtus parere, ſi ceream imaginem ad inſtar pueri fecerit, & ſancto Hugoni obtulerit ad ſepulcrum. Credidit mulier, ad ſepulchrum venit, ceream obtulit, preces fudit, & vitalem deinceps ſobolem generauit. Dignum profectò, vt qui ſemper erat fœcundis meritis, fœcundus etiam fieret munere viuificæ generationis. Deferuntur poſt hanc duæ contractæ mulieres, miſerabiles viſu, plus tamen miſerabiles ſibi. Adorant, plorant, deprecantur, & ſub oculis omnium eriguntur laudes Pontificis cum cæteris perſonantes. His mulieribus tres viri ſuccedunt, ſimili incommodo miſerè laborantes, & opem ſimilem cum ingenti omnium plauſu, gaudio, & tripudio ferentes. Charitas Hugonis, quæ ſemper latiſsima fuerat, contractos iuxta ſe homines ſuſtinere non potuit. Adducuntur ad ſanctum ſepulchrum poſt quinque hydropici, tumentes nimium, qui ſuo aſpectu cunctorum aſtantium commiſerationem prouocabant. Sed liberalis Pater noſter, qui hydropiſim ſpiritalem (auaritiam dico) ſem-

per fuerat execratus, hos aqua tumidos, diu ferre non potuit, ſed auditis eorum vocibus, ita eos repentè ſanos reddidit, vt nec prioris quidem morbi veſtigium vllum potuerit apparere. Mirantur vniuerſi, & ſe non capiunt præ ſtupore. Dehinc voces ad ſydera efferentes, magnificis laudibus, Hugonis merita collaudarunt. Poſt hæc attrahuntur decem viri, vinculis & cathenis impliciti: quos omnes à Diabolo poſſeſſos, almo Pontifici offerunt, liberandos. Horum vnus, vir nobilis, è manibus tenentium violenter erupit, & agente ſe dæmone, tectum ſublimis Baſilicæ velox aſcendit. Dehinc multis blanditijs à ſuis delinitus, tandem deſcendens, cathenis aſtringitur: & ad Præſulis tumbam reuocatur. Illic obdormiens, vidit ſanctiſsimum Epiſcopum in albiſsimis veſtibus aſtantem ſibi, atque dicentem: Surge fili, & recede, iam enim ſanus effectus es. Qui ſurgens, gratias egit, cibum petijt, & mente ſanus eſcam ſumpſit, & in reliquum à dæmone tutiſsimus manſit. Dehinc reliqui nouem à dæmonibus ocyus repurgati, omnium corda & ora in laudum cantica promouerunt. Non paſſus eſt Hugo noſter dæmonem in hominum graſſari corporibus, qui illum dum viueret, de hominum cordibus conſueuerat exturbare. In-

ſuper & Matrona quædam, cùm orationibus intenta, ad ſepulchrum viri Dei procumberet, affuit fur clandeſtinus, qui illi à zona dependentem, cum aliquot ſolidis, crumenam incidit. Qui mox ſubita cæcitate percuſſus, quò ſe verteret neſciebat. Nam nimio terrore agitatus, quaſi amens, aut ebrius nutans, cùm abire tentaret, nec poſſet, oculos omnium in ſe conuertit, & qui neminem videbat, videbatur ab omnibus. Tenetur, diſcutitur, coarctatur. Tū manum cum burſa, nihil dicens, tetendit in altum; quid opere egiſſet manifeſtans, & quid ſubitò pertuliſſet, voce lugubri palàm ſubinferens. Inſpicit, agnoſcit loculum ſuum mulier in manu ſacrilegi inciſoris. Cui ille reſtituit, quod abſtulit, & lumen mox recepit, quod amiſit. His viſis, attollunt omnes in communi ad cœlum digna præconia, & altiſonis vocibus pium patronum magnificant: qui & nouit delinquentes benignè corripere, & ſibi deuotos indemnes conſeruare. Sunt pleraque alia, & hæc quoque præclara, ſed vicernis, tempus nos & alia vocat. DION. Sat habeo. In ſtuporem mihi animum induxiſti, & in amorem quoque tam magnifici Præſulis. Verè nunc clarè liquet, quàm ſit ſepulchrum eius glorioſum. Quis non videat, in quanto honore Deus animam

animā Hugonis ſecum habeat in cœlis, cuius exangues Reliquias ſic honorat in terris? Quis non videat eum illic mirificè viuere, vbi perpetuo viuit, qui hic ſic viuit, vbi mortuus decumbit? BASIL. Rectè tu quidem. At nunc ſupereſt, vt huius Patris noſtri trāſlationem breui ſermonis compendio recenſeamus.

CAP. XIV.

DE TRANSLATIONE SANCTISSIMI *Patris Hugonis Epiſcopi.*

BASIL. Anno poſt dormitionem eius, octogeſimo circiter ſexto per Reuerendiſsimum Archiepiſcopum Cantuarienſem, & per Dominum Oliuerum Lincolnienſem Epiſcopum, magnæ probitatis & ſapientiæ virum, perque vniuerſum totius ſuæ Diœceſis venerabilem clerum rege Angliæ & regina præſentibus ſacratiſsimum almi Præſulis corpus à primo ſuo ſarcophago leuatum eſt, & in capſa argentea auro gemmiſque decora, reuerenter impoſitum: & in nobiliori Eccleſiæ parte, conſtructo illic habitaculo, tabulatu marmoreo illatum. Antequam verò id facerent, omnes dederunt operam, ieiunijs, Confeſsionibus, Miſſarū Sacrificijs, ſua expiare peccata: vt purgati, contactu tam ſacri corporis digni

Tranſlatio B. Hugon. de qua auctor vitæ eius apud Surium, §. vltimo: facta eſt autem anno Domini 1280. 6. octo. Canonizatus eſt autem ab Honorio III. Rom. Pontifice.

vtcunque redderentur. Aperto itaq; manſoleo, odor ſuaue fragrans erupit, vnde tota aſperſa eſt ampliſsimi templi latitudo. Oleum quoque puriſsimi liquoris in tumba Pontificis, abundè confluere compertum eſt. Cumq; ſanctiſsimū eius caput (quod à corpore ſeparatum, poſtea auro, argento, & pretioſis lapidibus incluſum eſt) Oliuerius Lincolnienſis Epiſcopus in manibus reuerenter teneret, ex eius maxilla non parum olei effluxit. Eleuantes autem ſanctas exuuias, inuenerūt eas quaſi adhuc integras: & veſtimenta eius penitus illibata conſpiciunt. Interfuit, vt dixi, huic ſolenni tranſlationi, Edvvaldus Anglorum rex, cum Allanora conſorte ſua, multiſque alijs regnis proceribus & magnatibus. Affuit quoque Magiſter Thomas Electus Epiſcopus Meneuenſis, & Archiepiſcopus Ragenſis, & ſeptem Epiſcopi inſulati, Abbates plurimi diuerſi ordinis, & Priores Nauarræ, regina quoq; Nauarræ, cum quatuor Comitibus; etiam Lincolnienſis Comitiſſa, Barones & Milites in multitudine graui. Hi omnes virtutibus & miraculis, quibus ſanctus Præſul Hugo clarebat, attracti, ſuam his ſolennijs exhibuére præſentiam, & Chriſtum Dominum, qui ita Sanctum ſuum mirificauit, magnificis laudibus collaudarunt. Celebria

Nota de corpore & habitu eius penitus incorrupto.

lebris quoque, ſicut eius depoſitionis dies hæc tranſlatio per totam habetur Diœceſin pridie nonarum Octobrium. En, vt cernis, tempus nos hortatur ad ſolennia Miſſarum celebranda. Hoc dum factum fuerit, & prandium ſumpſeris, tum poteris, ſi placet, iſtuc reuerti, reliqua auditurus, quæ ipſe popoſceris. DION. Probè admones, benigneque ſpondes, hinc igitur recedamus.

Finis Libri Tertij.

CHRONICI CARTVSIENSIS LIBER QVARTVS.

DE ALIIS QVIBVSDAM PRAEclaris Patribus, qui poſt S. BRVNONEM in Maiori Cartuſia floruêre.

CAPVT I.

DE B. LAVDVINO, SECVNDO Ordinis Generali.

DIONYS. Sumpſi iam prandium, ô Baſili, ſatis aridum exiguumque, faciente id coquinario, qui parca manu, præ cæteris diebus, hodie nobis pitantiam miniſtrauit. Sed ego hanc iacturam non magnipendo, ſciens melio-

ri me apud te cibo paſcendum: non quo ventrem, ſed quo mentem abundè reficiam. Tu tantùm ſta promiſsis, & quod ſpopondiſti, adimplere curato. BASIL. Curabo pro viribus, tu dicito, quibus ferculis te paſci deſideres. DIONYS. Primus ſermo tuus, ſi meminiſti, à Diui Brunonis conuerſione exordium ſumpſit. Dixiſti illic quoq; quo ſtupendo terribiliq; prodigio Ordo noſter Cartuſianus exordium habuit. Cuperem nunc noſſe, quis poſt Brunonem, Calabriæ terras tunc incolentem, Cartuſiæ ſacram domum ſuſceperit regendam. Attamen poſtea omnium Patrum huius domus, qui præ cæteris clariori emicuêre virtute, * ſpiritalem lineam atque Ordinem intexueris, velim. BASIL. Grandem rem poſtulas, ô Dionyſi, & quæ vires meas longiſsimè ſuperet. Syluam tamen Patrum ſacrorum, tuo iuſſu, ingrediens, aliquos nitar contingere ramos, & eos præſertim, quibus fructus ineſt copioſior ſuauiorque. Hinc fiet, vt famem tuam non meis, ſed aliorum ferculis copioſè ſaginauero. BRVNONE itaque Calabriam ingreſſo, ſanctus * Landuinus domum Cartuſiæ regendam accepit. Hic eſt ille Landuinus, præclarum iuſtitiæ ſydus, vnus de

*al. ſpecialem

*al. Landuinum.

priori ſeptenario, & præ cæteris multa virtutum gloria celeberrimus, literis diuinis & humanis apprimè eruditus, clarus ingenio, & Tulliana facundia. Hic dum ſuum gregem verbo paſceret, & exemplo, contigit, Diabolo agitante, & tantæ ſanctitatis gloriam inuidente, vt plurimi ex ijs, qui conuenerant, & locum deſerere, & mitiorem Ordinem intrare, diſponerent. Mouebat eos non mediocriter aſperitas & horror ſolitudinis, aſperrimum frigus, niues continuæ, rerumque neceſſariarum grandis penuria. His igitur ſic vacillantibus, Pater LANDVINVS occurrit, & his verbis eos aggreditur. *Quid in geminas partes, ô fratres, hactenus claudicatis? Quid fumigantem Sodomam retro conuerſi, reſpicitis? Veniat quæſo vobis vxor Lot in memoriam, quæ ideo in ſtatuam ſalis conuerſa eſt, quod auſa ſit, vetante Angelo, retrorſum oculos intorquere. Pudeat, rogo vos, non in hoc mente, ſed in Segor velle Saluari. Pudeat quoque manum miſiſſe ad aratrum, & ad poſteriora reſpicere. Pudeat inter canes vos æſtimari ſordidiſſimos, qui ad ſuum vomitum reuertuntur. Currebatis bene, quis dæmon vos faſcinauit, ſacram religionem calce velle reijcere? Si meminiſtis, olim vos ſimiles ſideribus, Pontifici * ſancto Deus*

De hoc in vita S. Brunon. 6 Octobr. §. Verùm non defuit.

Parænesis Lauduini ad vacillantes ſuos fratres.

** Hugoni nimirum, cui ſecundùm quietem, ſeptem lucidiſſimæ apparuêre, eodem in loco, ſeptẽ ſtellæ*

Deus oſtendit, olim vos hîc manſuros, conſtructor cellarum, Chriſtus miraculosè prænuntiauit; quibus tamen & vos præſagijs ingrati, retrorſum pedem reducitis, ab illo qui vos conuocat in admirabile lumen ſuum? Perſuaſio hæc non eſt ex eo, qui vocat vos. Hæc dicens almus Pater, iubet omnes in loco, vbi erant congregati, genua flectere ad orationem. Illo autem pro ſuis ouibus Dominum cum lachrymis deprecante, ecce (mirabile dictu) apparuit repẽte ſub oculis omniũ vir mirabilis glorię, vir plurimum honorabilis, reuerendus aſpectu: cuius caput omne canebat, barba criſpa & aſperſa. Qui hoc modo exorſus eſt fari: *Video vos, fratres inſtabiles eſſe, & ab hoc, Deo dilecto monte, velle recedere. Sed mandat vobis per me omnipotens conditor Deus, hîc manere, hîc requieſcere, hîc mercedem operis veſtri præſtolari. Vnum noueritis, ſacratiſſimam Dei Matrem* MARIAM, *vos hic ab incommodis omnibus ſeruaturam, & patronam veſtri Ordinis futuram*: tantum Horas eius, vt nuper in Romana Eccleſia inſtitutum eſt, decantetis, ſic tamen, vt Horas Canonicas præueniant, ſed Completorium ſubſequatur. His dictis, euanuit. Tunc illi omnes ſummo gaudio repleti, nuſquam recedere, ſed perpetuò illic manere decernunt, ſuauiſſimam Virginem & Matrem Christi in patronam Ordinis eligentes. Dehinc cognitum

Cæleſti viſione confirmantur.

De hoc in vita S. Brunonis §. Verum.

Horæ de qua ratione in Ordinem Cartuſienſi inſtitutæ.

nitum eſt, hunc virum, qui apparuit, Apoſtolici ſenatus principem Petrum extitiſſe. DION. Lætabundus & laudans ex tuo hæc ore meritò ſuſcipio. En iam tertiò Ordo noſter approbatur à Deo. Solet nẽpe miſerator omnipotens, quoties magnæ dignitatis ordinem aliquem inſtituere diſponit, præclaris illum prodigijs præmonſtrare. Nam & Cluniacenſis Ordo tali quoque miraculo ſuum ſumpſit exordium. Erant ſimul nonnulli fratres, qui collapſum iam & penitus ruinoſum ſancti Benedicti, Ordinem erigere ac reparare tentabant. Ac proinde voluptatibus omnibus abdicatis, in magna rerum penuria vitam Monaſticam tranſigebant. Mortuus eſt autem poſt tempora vnus ex eis, vir incomparabilis ſanctitatis, Euticius nomine. Hic poſt mortem rediens, & palàm ſuis ſe offerens, dixit: Deo gratias. Noueritis fratres mei, quia in ijs quadraginta annis, quibus vobiſcum vixi, ne vnum quidẽ diẽ memini me præteriſſe, quin ante cibi ſumptionẽ, defleuerim ſemper peccata mea. Hodie autem, omni mœrore ſublato, conſolatus eſt me Dominus, & inter Angelorum choros requietionis mihi tribuit locum. Hęc dicens, cùm caput iterum in feretrum declinaſſet (ſtabat autem humandus in medio fratrum) perpetua quie-

Petrus Apoſtolus, poſt Dicam Virginem, Maximus Cartuſ. Ordinis Patronus.

Tertia Ordinis approbatio.

uit in pace. Ordo quoque Ciſtercienſis non diſsimili meruit oraculo roborari. De Moliſmenſi enim cœnobio cùm nonnulli timorati fratres exiſſent, & Ciſtercienſem ſolitudinem incolerent, auſterioris vitæ deſiderio, & plurimum triſtarentur, quòd nulli è ſeculo, conuerſionis gratia, ad ſe venirent, vno dierum cùm labori manuum fratres cum Abbate Stephano operam impenderent, Abbas ſanctus paululum ſe, vt Deo orationem funderet, à Conuentu remouit in partem, & intentiſsima prece, vt gregem ſuum augere dignaretur, Dominum deprecabatur. Repente vnus ſuorum, qui nuper vita exceſſerat, è cœlo veniens, ante illum multa circumdatus luce ſe poſuit, atque ita Patrem conſolatus eſt, dicens: Ne verere Abba Pater, nec nimio dolore te confeceris: gratum enim habet Altiſsimus obſequium ſeruitutis omniū veſtrum, & complacet ſibi hæc ſacri Ordinis noua plantatio. Hinc noueris, vt ſtellas cœli futurum ſemen tuum, & dilataberis vſq; in fines orbis terrarum. Hæc vbi dixiſſet, & ſanctū virū apprimè eſſet conſolatus, reuolauit ad aſtra. Ordo interea Diui Dominici, & Ordo ſanctiſſimi Patris Franciſci, Deo præmonſtrante, originem ſumpſit. Vidit nempe ſanctus

Vide vitam S. Roberti Moliſmenſis Abbatis, Tom. 2. Surij, 29. Aprilis.

In[illegible]rum rebus geſtis apud Surium.

ctus quidam, raptus in ſpiritu, CHRIſtum iudicem igneo ſubnixum tribunali, perpetuæ damnationis exitia mūdo comminantem: & irato vultu voceque terribili præcipientem Angelo, qui tum aſtabat, vt tuba caneret. Cecinit ille, & tam horrendo ſonitu omnia concuſsit, vt cœlum, terra, ac maria tremefacta quaterentur. Rurſum iuſſum eſt illi, vt caneret, & omne genus hominum vocaret ad iudicium. Ille vt cœpit aptare tubam, procedit in medium ſuauiſsima miſericordiæ mater MARIA, & aduoluta ſuæ ſobolis genibus, precatur, vt vindictā differat, vltionemq; ſuſpēdat. Tū ille: Tu (inquit) vides mea Mater, quia mundus totus in maligno poſitus eſt, & ſuis me ſceleribus irritare non deſinit. Sine ergo me, vt reddam vltionē hoſtibus meis. At illa miſeratrix generis humani, inſtantius orat Filiū, vt fuſi pro mundo ſanguinis recordetur. Permitte me (inquit) primū ſacris adhortationibus populū commouere ad pœnitentiā. Habeo enim duos, qui me diligūt, fideliſsimos ſeruos: hos mittā prędicare in omnem terrā. Vellem (ait Chriſtus) hos amicos tuos videre. Tunc vbi Frāciſcum & Dominicū Chriſti obtutib. prçſētaſſet, ait ad Matrē. Optimos mihi homines oſtēdiſti, idoneos valde in opus, ꝙ ipſa moliris. Eant,

Vide vitam S. Dominici apud Surium lib. 1. cap. 12.

Eant, & ad me corda hominum conuertant, ne veniens percutiam terram anathemate. Hæc vbi dixit, viſio ipſa ab oculis cernentis extincta eſt. Statim poſt breue tempus, vterque Ordo in multa luce conſurgens, innumeras plebes attraxit ad gratiam. Alius quoque vidit in ſpiritu ab ore Seraphici Franciſci crucem igneam & multo rutilantem lumine procedentem, cuius cornua vſq; in fines orbis terrarum protendebantur. Hoc ſignificante Deo, de cunctis mundi finibus, ſub Franciſco, ad Crucis Chriſti victoriam homines conuocandos. Quod & olim factum cernimus, & nunc quoque videre gaudemus. Sed oro, ne hic ſermo meus te fatiget. Viſus enim eſt mihi peroportunus. Tu verò iam Lauduinum tuum, vt cœpiſti, proſequere.

In vita S. Franciſci à D. Bonauentura conſcripta.

CAPVT II.

QVOMODO LAVDVINVS IN Calabriam, ad Diuum Brunonem inuiſendum, properans, in itinere interceptus, carceri mancipatus ſit, in quo & obijt.

BASIL. Non me tæduit ſermonis tui: nam & in tempore illum protuliſti. De Lauduino hoc reliquum eſt. Hic cùm toto decennio mira induſtria Ordinem nouellum gubernaſſet, amore viſendi almũ BRVNONEM, quem ſuum adhuc Prælatum nouerat, iter Calabriam verſus arripuit,

Capitur in itinere.

puit, vt vitæ verba inuicem transfunderent. In itinere verò conſtitutus, in manus incidit Giberti ſchiſmatici Præſulis, à quo & vinctus, & cum ſuis in carcerem eſt truſus. Egit autem Gibertus nunc promiſsionibus, nunc minis, nunc blanditijs, nunc violentijs, vt hominem Dei abſtractum à vero Pontifice, ad ſua ſchiſmata retorqueret. Sed fundatũ ſacrum pectus Lauduini ſupra petram Chriſtum, nec blanditijs, nec minis ceſsit, blandientem atquè vt ſæuientem aſpernatus eſt. Hunc miſerum in ſuo poſt errore defunctum (non enim potuit diu viuere, qui amicum Dei neci dare tentabat) multo lachrymarum imbre ſanctus Pater proſecutus eſt, nec minorem ſuo hoſti, quàm Dauid Abſoloni curam pietatis impendit. Mirabantur plurimi, quòd illum ſic ipſe fleret, à cuius perfidia ſuam Chriſtus eruiſſet Eccleſiam. Sed Samuelis in eo ſpiritum, Saulis reprobi illachrymantis interitum, non agnoſcebant. Cumq; hunc iam ſatis defleuiſſet, ipſe vir Dei, vinculis preſſus, & maceratus inedia, de tenebris obſtruſi carceris, functus morte, ad perpetuæ lucis palatia cõmigrauit. Hinc, cum ingenti omniũ mœrore ac lachrymis, in Monaſterio ſancti Andreæ, ad pedem montis (quem Serapin vocant) ſepultus eſt. DIONYS. Ego hunc *Vide notã.*

virum

virum mitiſsiumm, qui ſub tam dira ca-
thenarum cuſtodia, & in tanta rerum pe-
nuria afflictus occubuit, & pro ſuo in pœ-
nis deprecatus eſt inimico, inter cohortes
ſanctorum Martyrum cenſeo iure opti-
mo numerandum. Legimus plurimos, qui
nihil præter tetri carceris inediam paſſi,
triumphatricibus ſanctorum Martyrum
choris aſſumpti ſunt. Hic autem poſt mul-
tà documenta virtutum, poſt longos le-
Impropriè tales interdum Martyres nũcupantur.
ueri Ordinis labores, poſt diram pro Ca-
tholica vnione cuſtodiam, *Martyrij glo-
ria donandus non eſt?

CAP. III.

DE MAGNO PATRE GVIGONE, quinto Ordinis Generali.

BASIL. Immò verò donandus, & in
Martyrum Catalogo recenſendus eſt.
Landuino itaque inter Martyres tranſla-
to, paucis intermedijs, reuerendiſsimus
** alias Guido* *Guigo, rector Maioris Cartuſiæ electus
eſt. Qui clarus quidem fuit genere, clarus
ingenio, clarus eloquio, ſed longè clari-
or ſcientia & ſanctitate. Hic cùm eſſet
diuinis literis pariter & humanis pluri-
mum illuſtratus, Romana tamen in eo
facundia præeminebat. Huius memo-
ria tenax, ſermo dulcis, efficax adhorta-

tio erat. Nullum ante ſe habuit æqualem ſibi, qui fama illum, aut ſcientia, vel authoritate præcelleret. Hic primùm noſtri Ordinis inſtituta, rhetorico ſatis ſtylo digeſsit, exemplo ipſe monſtrauit, & gratia duce, ſequaces multos habere promeruit. Sub hoc Patre domus Portarum, Excubiarum, Durbonis, Syluæ benedictæ, Maioreui, Aruerię, Montis Dei ortum & profectum ſumpſere conſpicuum. *Quænam Carthuſiæ ſub hoc Patre fundatæ ſint.*

Hic poſt magnũ, in temporalibus, fructũ, libris perquirendis, deſcribẽdis emẽdandiſque operam multam adhibuit. Hic beatiſsimi Hieronymi epiſtolas, ſcriptorum vitio coruptas, ad primam veritatis lineam reuocauit. * Vitam etiam ſancti HVGONIS Gratianopolitani Epiſcopi, iubente Innocentio Papa, nobili ſtylo deſcripſit, ſicut heſterno ex me alloquio didiciſti. Nam inter narrandum, dum vitam tibi HVGONIS explicui, quantum pro viribus potui, ſtyli eius elegantiam cuſtodiui. Hic fratres ſuos, cùm eſſet ipſe ſanctiſsimus, per omnes ſanctitatis & iuſtitiæ tramites deducere ſtuduit, vt longè lateque bonus vitæ odor horum fratrum ſeſe diffunderet, & vſque ad beatiſsimi Patris BERNARDI, Clareuallenſis Abbatis tempus, ſuam aſper-

† Extat To. 1. Surij, 1. Aprilis.

aſpergeret redolentiam. Quam ille dum naribus hauſit, ſupra quàm credi poteſt exhilaratus ſpiritu, in hęc verba ad eos dictauit epiſtolam: *Inter Patres reuerendiſſimis, & inter amicos chariſſimis, Guigoni Priori Cartuſiæ, cæteriſq́ꝫ ſanctis, qui cũ eo ſunt, Frater Bernardus de Claraualle ſalutem æternam. Sanctitatis veſtræ literas tam lætus accepi, quàm auidè & olim deſideraui. Legi eas, & quas voluebam in ore literas, ſcintillas ſentiebam in pectore: quibus concaluit cor meum intra me, tanquam ex illo igne, quem Dominus miſit in terram. O quantus in illis meditationibus exardeſcit ignis, è quibus eiuſmodi euolant ſcintillæ? Et paulo poſt; Benedicti vos à Domino, qui me in benedictionibus tantæ dulcedinis præuenire curaſtis, vt daretis puero veſtro, vobis primùm ſcribentibus, fiduciam reſcribendi. Volebam ad vos iampridem ſcribere, ſed non præſumebam. Verebar enim ſanctam veſtram ſcribendo infeſtare quietem, iuge illud veſtrum ſacrumq́ꝫ ſilentium à ſeculo, ac pium cum Deo ſuſurrium interrumpere, & auribus ſecretis ac ſupernis eulogijs occupatis noſtra ingerere formidabam. Timebam omnino moleſtus fieri, vel Moyſi in monte, vel Heliæ in deſerto, aut certe excubanti in templo Samueli; ſi vos diuinis intentiſſimos confabulationibus, aliquatenus auocare tentaſſem. Egoné tam temerarius eſſem, vt inter ſponſi brachia ſuauiter quieſcentem auderem ſuſcitare dilectam, antequam vellet ipſa? Putarem illud me aude-*

Extat in operibus Bernardi, eſtque numero vndecima.

Can. 8. 4.

auditurum ab illa: Noli mihi moleſtus eſſe. Ego *Cant. 2. 16.* *dilecto meo, & dilectus meus mihi: qui paſcitur inter lilia. Verùm quod non audeo ego, audet charitas. Vnde libenter veſtram amplector benignitatem, dignationem admiror, laudo & veneror puritatem, qua de noſtris, vt putatis profectibus tanta exultatione gloriamini. Glorior & ego plurimum tanto teſtimonio, & ſeruorum Dei tam grata, quàm gratuita admodum familiaritate delector* Hactenus D. Bernardus. DIONYS. Ex ijs verbis facilè quis poteſt aduertere, quanta tunc ſub Patre Guigone in Cartuſia ſanctitas, & puritas floruerit. BASIL. Ob horum ſanctitatem eximiam, ſemper habuit beatus Bernardus ſummum deſiderium viſendi eos: ſicut vna ſuarum epiſtolarum ipſe teſtatur: *Accedens*, inquit, *ad partes illas, non potui venire ad vos, & videre facies veſtras, & rememorari iniquitates & neceſſitates meas. Iraſcor occupationibus meis, quibus factum eſt, non vt neglexerim, ſed vt nequiuerim. Felices vos, quos abſcondit Deus in tabernaculo ſuo in die malorum, in vmbra alarum ſuarum ſperantes, donec tranſeat iniquitas. Caeterùm ego infelix, pauper, & nudus: homo natus ad laborem, implumis auicula, penè omni tempore nidulo exulans, vento expoſita & turbini, turbatus ſum & motus ſum ſicut ebrius, & omnis ſcientia mea deuorata eſt. Miſeremini igitur mei, etſi nil meriti, certè ſit affecti.* Sic igitur æſtuans ſa-

Eſt in principio Epiſtolæ duodecimæ ad eundem Guigonem ſcripta.

cer BERNARDVS, nec quieſcere valens, niſi Cartuſienſes ipſe vidiſſet, ſtatuit maturare iter, & primū quo potuit, illos inuiſere. Illi autem Spirenſem trāſeunti ciuitatem, occurrit clerus omnis cum luminibus & hymnis, & introducentes eum in Eccleſiam: *Salue regina* altiſsimis vocibus concinebant. At BERNARDVS vnà cum clero chorum ingreſſus, cùm genua ad Diuæ Virginis imaginem, orans ac ſalutans eam, inflecteret; illa dilectiſsimi amici ſui aduentui gratulata, tanquam Sacellanum ſuum hoſpitio læta ſuſcipiens, palàm cunctis audientibus Gallica eum ſalutauit voce, dicens: *Optatus adueneris, mi Bernarde.* Ad hanc vocem dulciſsimæ Virginis ille plurimum exhilaratus, inſiliente in eum Spiritu Domini, cantico, quod clerus inchoârat, hanc clauſulam ſuperaddidit, dicens: *O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria, hactenus non aſſuetam.* Hinc factum eſt, vt ſiquis illic ingrediatur ECCLESIAM, inueniat adhuc pro memoria huius rei, tabulam ad partem ſiniſtram altaris, Virginis effigiem ac ſermonis huius titulum continentem. Poſt hæc ad Maiorem contendit Cartuſiam. Sed quis dignè commendet, qua reuerentia, quo honore, qua lætitia

Spiram veniſſe D. Bernardum, author vitæ eius teſtatur, lib. 4. cap. 4. vide notas.

Videatur Ioannes Nauclerus, anno Domini 1140. Generat. 39. in princip.

titia & exultatione vir tantus, & tam Sanctus ab vniuerſis fratribus exceptus ſit? Erat videre mirabile, virum humilem & ſublimem, cunctorum ſe brachijs immittentem, procumbentem genibus, oſcula reddentem, & accipientem. Omnes de tanto hoſpite lætabantur, gaudebantque quòd qualem ipſum per famam prius & Epiſtolam nouerant, talem inuenirent & præſentem. Ipſe quoque de tanta omnium ſanctitate mirabiliter exultabat in Domino. Vnum tamen fuit quod GVIGONEM noſtrum aliquatenus mouit: ſtratura ſcilicet animalis cui vir DOMINI BERNARDVS inſidebat, minus neglecta, minus præferens paupertatem. Nec ſilentio preſsit GVIGO, æmulator virtutis, quod mente concepit: dixitque vni ex fratribus Abbati: Moueor, & miror aliquatenus, ſanctum Abbatem, tam ſplendidum animal equitare voluiſſe.

Inſpiciatur vita S. Bernardi, lib. 3. cap. vnde hæc deſumpta ſunt.

Cumque hic ſermo Patri ſancto innotuiſſet, non minus ipſe miratus eſt; & cœpit vehementer inquirere, qualis illa equi ſtratura eſſet, quam à Claraualle Cartuſiam vſq; veniens, nullatenus attendiſſet, cui tamen ſemper inſiderat.

Quod verbum venerandus Guigo audiés, hoc potiſsimum mirabatur, quod ſic Bernardus foris oculos circumcidiſſet, intus animum occupâſſet, vt quod ipſe primò offenderat obtutu, hoc ille tanti itineris ſpatio non notâſſet. DION. O vtinam nos ſic oculos clauderemus noſtros, nunquam certè ad animum mors ſubintraret, nec plangeremus quod in Threnis ſcriptum eſt: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.* Proſequere. BASIL. Vno, ſi placet, probemus exemplo, quàm ſancti, quàm timorati ſub hoc Guigone fratres fuerint. Fuit illic conuerſus, moribus generoſus, & vitæ ſanctitate conſpicuus. Hic ſummo ſtudio obedientiæ, humilitati, & carnis mortificationi operam omnem impendebat. Hinc amore diuino compunctus, Diuam Dei genitricem totis animi medullis adamabat, hanc ſedulò cogitabat, hanc votis, hanc laudibus efferebat. Verùm quantò ſtudioſius diuino ſe cultui mancipabat, tantò duriores antiqui hoſtis inſultus atque illius occultas inſidias perferebat. Nam nunc clam, nunc palam ſeſe viro Dei obiectabat ſerpens aſtutus, vt quoquo modo eum extorrem redderet ab obſequio pietatis. Vna noctium cum poſt diurnos labores, poſt ſacras preces ſeſe in lectulo, vt quieſceret, collocâſſet, & tacens ſecum

Thren. 3.51.

Refert hoc exemplum etiam, Petrus Cluniac. cog nomento Venerabilis, lib. 2. mirac. cap. 29. qui iſta vixit ætate.

ſecum diuinũ quid ruminaret, ecce eo adhuc vigilãti dæmonũ turba in ſpecie porcorum agreſtium palàm ſe aperit. Hi furentes per cellam omnem curſitabant, & rictu inſano atque horrenti longiſsimis dentibus, quaſi in necem eius exacutis, mortem illi proximam intentabant. Pauefactum autem & trementem hominem circumſtabant apri cruentiſsimi, illo ſudante & orante, & necem vltimam præſtolante. Et ecce grauiora ſuccedunt. Nam repente vidit quendam enormis magnitudinis hominem, omni fuligine nigriorem, cui & de naribus & oculis vorax flãma euaporabat. Quem eſſe dæmonum principem ratus, audaci ac furenti greſſu cellam ſubingredi. Qui ingreſſus, ſe conuertit ad apros, dicens; Quid vos ſegnes hîc facitis? Cur hunc iam non rapuiſtis? Cur eum dentibus non laceraſtis? Cui illi: Nos, inquiunt, magna conati ſumus, ſed nihil valent ad prælia vires. Fortior nobis eſt, qui cum illo eſt. Tum Sathan; Abite (inquit) ô imbelles, ô deſides, ego faciam quod vos hactenus non potuiſtis. Quo dicto, vncum ferreum recuruis vngulis terribilem, minaci manu prætendens ſtabat contra hominem Dei, quaſi illum continuò diſcerpturus. Incredibile quãtus tum illum timor ac tremor peruaſerat: orabat

tamen, & pijſsimæ MARIAE patrocinia flagitabat. Nam mox vbi ſpiritus nequam vncum, vt eum raperet, extendit, repente miſerorum & miſericordiarum Mater, viſibiliter adfuit, ac virga leui manu protenſa, dixit; Quomodo hûc, ô funeſti, ô deteſtandi, aduenire auſi fuiſtis? Non eſt hic veſter, nec iam in aliquo contra eum præualere poteritis. Dixit, & dicto velocius ſpurcum illud collegium, velut fumus, euanuit. Perſtitit illa ſuauiſsima Parens cum homine adhuc pauefacto, eumq́ue his conſolata ſermonibus, ait; Placet mihi, ô fili, dulce tuum obſequium ad me, tuamq́ue animi in me pietatem gratam habeo. Age ergo quod agis, & ad meliora proficiſcere ſemper, & à me hæc accipito mandata. *Stude vilibus eſcis, veſtes amplectere abiectiores, operi manuum deuotus inſiſte, ſubmiſſus & humilis eſto.* Hæc vbi dixit, ingenti cum luminis gloria poſt conſolatum ſeruulum, in cœleſtia ſe recepit.

Hæc totidem verbis Petrus Cluniacenſis; horum nimirum temporum æqualis.

DIONYS. O iucundum miſericordiæ opus, ô viſcera miſerentis Virginis Matris. Quam bonum eſt obſequi tam ſolicitæ ſedulæque Parenti, ſuper nos aſsiduè vigilanti. BASIL. Iuuenem quendam ſecularem cùm Pater Guigo ad Ordinem recepiſſet, huic eum Conuerſo tradidit imbuen-

buendum. Quem ille Magiſter bonus recipiens, vti filium docuit, & virtutibus, quibus ipſe erat apprimè illuſtratus, rude pectus tyrunculi, copiosè ditauit. Humilitas, obedientia, charitas, quæ erant in Magiſtro, in diſcipulo luce clarius effulgebant.

Verùm cùm Deo placida eſſet anima eius, morte præuia ad ſe eripuit, ne malitia immutaret cor eius. Hoc igitur defuncto, Magiſter pius animam eius, quam vnicè diligebat, precibus & lachrymis ſedulus Domino commendabat. At miſericors Dominus, volens pium hominem à labore quieſcere, & cuius apud ſe meriti eſſet oſtendere, cœleſti eum viſione dignum ducens, puero iam glorificato præcepit, vt doctorem & amatorem ſuum inuiſere, & conſolari pergat. Illo itaque vna noctium ſub dio excubante & orante, & cœlum intentis occulis reſpectante, ecce ſubitò velut per medium diſciſsi aeris lux longè, ſole ipſo præclarior, de ſupernis effulſit, eumq́ue ac loca circumiacentia immenſo ſplendore perfudit.

Et ecce vidit de ſupernis, quem amabat, ſuum filium vieniẽtẽ, & immenſo lumine circũdatum coram ſe aſsiſtentem. Stabat ille mirã gloriam ac lætitiã præferens:

hic autem ſtupore, gaudio, & timore replebatur. Tum is, qui apparuit, quid, inquit, turbaris Pater? Agnoſcis ne filium tuum, quem diligis? Redi ad teipſum, & vt ſolitus es, loquere mecum. Agnoſce mecum omnia proſperè agi: At noueris preces & vota amoris in me tui, mihi plurimum profuiſſe. Me, fateor, iuuerunt orationes tuæ, lachrymæ tuæ, & pij pectoris tui ſuſpiria. His factum eſt, vt ſumma nunc ſim donatus beatitudine, & tali nunc apud Deum poteſtate perfruar, qua & te quoq; in reliquum iuuare poſsim. Cumq; inter ſe dulcia vitæ verba conſererent, tempus affuit, quo illum oportuit reuiſere cœlum. Solitus eſt autem huius viſionis inſpector narrare cũ lachrymis, quòd dũ à ſe diſcederet, cœleſtia petens, non auerſa facie, non huc illucque conuerſa, ſed vultu ſemper oculiſque ad ſe demiſsis, æthera penetraret, & tam diu placitam illam faciem ſuo dilectori exhibuit, quouſque patenti cœlo refuſus, vltra videri non potuit. DION. Hæc viſio illa videtur fuiſſe præclarior, quàm ſuo de ſe Sulpitio Martinus exhibuit, cùm illa facta fuerit Sulpitio dormienti, hæc fratri in orationibus vigilanti. Sed tu ad cœpta regredere. BASIL. Anno viceſimo ſexto hoc reuerendo Patre Guigone * Priorante, rem multis

* *Prioris officium exercente.*

multis tunc deploratam lachrymis bonorum operum inimicus in Cartuſia machinatus eſt. Ipſe enim non ferens tam ſplendidam Sanctorum vitam, & quæ iam lumen ſuum vndequaque diffuderat, niues de altiſsimis rupibus, quæ ſuper cœnobium pendebant, ingenti mole deorſum impulit inuidiſsimus latro, & cellas omnes pręter vnam cum ſuis incolis(quorum vnus nouitius erat) ſubruit,& præfocauit. Sed quos ſæuiſsimus prædo exemit mundo, Chriſtus inſeruit cœlo, & Martyrum gloria coronauit. Verùm ne ſuperſtites nimia triſtitia abſorberentur, in teſtimonium beatitudinis oppreſſorum, die ab ipſo caſu duodecima, vnus ex eis,natione Lotharingus, de profundo tantæ voraginis erutus, viuus, & integer ſenſu memoriaq́; repertus eſt. Stupebant ergo omnes, hominem poſt tam longam niuium & aquarum immerſionem, poſt tanta frigora, & rerum omnium penuriam viuere potuiſſe. Leuatur dein ſanctorum manibus,& in clauſtrum deportatur. Ille verò pauca quidem verba, ſed miræ dulcedinis & ſuauiſsimi affectus, ſciſcitantibus, reſpondit. Dehinc confeſſus, inunctus, & poſt longam inediam, Dominico corpore, quod auidiſsimè requirebat, ſaginatus;poſt oſculatos dulciter omnes fratres,

Vide notas.

placidiſsimo fine quieuit in pace. Hic moriens ita cæteros ſuperſtites animauit ad diſciplinæ rigorem, & ad perferendas antiqui hoſtis inſidias, vt toti mundo miraculo fieret & ſtupori. DION. Sunt qui arbitrentur, hunc Lotharingum fratrem, tanto tempore ſub niualibus vndis viuere potuiſſe, & extremis meruiſſe Sacramentis præmuniri, eo quòd diuæ Barbaræ virginis* cultor extiterit. Huic enim ſacræ virgini ſuus ſponſus dedit in munere, vt eam colentibus nunquam extrema & lachrymoſa Confeſsio defutura ſit. BASIL. Tu videris, vnde hunc noueris beatæ Barbaræ virginis fuiſſe cultorē; ego, quod neſcio, non adfirmo.

** vide notas.*

CAPVT III.

QVOMODO SVMMI PONTIFICES Ordinem noſtrum Priuilegijs roborauerint.

CIrca hæc tempora Ordo noſter non ſolùm à Regibus, Ducibus, Epiſcopis, & Prælatis; verùm etiam à Summis Pontificibus, maximo cœpit in honore haberi. Odorem enim huius ſacræ Religionis cùm Alexander Papa quartus hauſiſſet, plurima affectus delectatione, inſtitutiones à ſancto GVIGONE conſcriptas, vltroneus confirmauit, cum ſubſcriptione omnium Cardinalium, ſuſcipiens

Alexander Papa IV. approbat Cartuſianorum conſtitutiones.

ſanctum Ordinem, & perſonas omnes tam præſentes quam futuras ſub ſua & beatiſsimi Petri perpetua protectione, datis inſuper priuilegijs, quæ & auxit Lucius Papa tertius, & Cæleſtinus ſimiliter huius nominis tertius. Horum autem ſinguli hanc in calce clauſulam addiderunt. *Decernimus igitur, vt nulli omnino hominum liceat vos ſuper poſſeſsionibus veſtris, vel paſcuis temere perturbare, aut ſuper ijs moleſtiam, aut grauamen inferre: vel ea ablata retinere, imminuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare; ſed illibata omnia & integra conſeruentur, pro quorum gubernatione ſeu ſuſtentatione conceſſa ſunt vſibus omnino profutura, ſalua Sedis Apoſtolicæ authoritate. Si qua igitur Eccleſiaſtica in futuro, ſecularisue perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentauerit., ſecundò, tertioue commonita, niſi præſumptionem ſuam digna ſatiſfactione correxerit, poteſtatis, honoriſq́; ſui dignitate careat, reamq́; ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſsimo Corpore & Sanguine* CHRISTI IESV, *Dei, Domini, & Redemptoris noſtri aliena fiat, atq́; in extremi iudicij examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco ſua iura ſeruantibus, fiat benedictio Domini noſtri* IESV CHRISTI, *quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant,*

Etiam alij Pontifices Romani Ordinem eundem approbarunt.

&

& apud diſtrictum iudicem præmia æterna pacis inueniant. Amen. Papa quoque Honorius tertius valde ſupplici ſcripto Cartuſienſes omnes precatur, dicens: *Obſecramus vos per Dominum* IESVM CHRISTVM, *& per charitatem ſpiritus ſancti, quatenus immolantes Domino pro nobis veſtrorum vitulos labiorum, pias manus eleuetis ad Deum, vt de ſua abundantia pietatis cuſtodiat Eccleſiam ſuam propitiatione perpetua. Nos enim æmulantes Dei æmulatione, veſtri Ordinis honeſtatem, & nouiſſima noſtra veſtrorum ſimilia fieri cupientes, vos, & vniuerſum Ordinem veſtrum tueri præſidijs, fauoribus attollere, ac beneficijs imēdimus cōfouere.* Scripſit præterea Cartuſienſibus & Clemens Papa quartus, cuius Pater carnalis Cōuerſus Cartuſiæ effectus, atque illic ſepultus eſt. Scripſit hoc pulchro nimis exordio: *Chriſti ſponſam ſanctam Eccleſiam, nullam rugam habentem, aut maculam.* Et infra: *Nos verò, qui vos & veſtrum Ordinē dileximus, & diligimus ex affectu, in quo bonæ memoriæ, qui ſecundū carnē nos genuit, Pater noſter, & religioſè vixiſſe noſcitur, & agonē ſuum feliciter creditur conſummaſſe,* &c. Sed tēpus ante ſuccūberet, quam explicem multorum Apoſtolicorū Patrum exemptiones, gratias, libertates, & priuilegia quibus noſtrum Ordinem illuſtrarunt. De his etiam fit mentio in decretalibus, vt extra de homicidio, ca. *Si-*

Honorij III. Iudicium de Ordine Cartuſienſi.

Item Clemēs, Papa IV. cuius parens in maiori Cartuſia, laicus, ſeu Conuerſus effectus eſt: quem Petrus Sutor vocat Petrum Frecoldi.

autex literarum veſtrarum.& ca. *Per tuas*.Et in ſexto Decretaliũ,de decimis, Cap.*Statuto perpetuo.* DIO. Lætor plurimũ ex his,quæ enarraſti.Vbi nunc ſe abſcondent, qui audent mentiendo aſſerere,noſtrũ huncOrdiné nulla Apoſtolica autoritate roboratũ, nullis fultũ præſidijs, nullis priuilegijs auctũ? At nũc ſileat lingua, falſa loquétiũ. Tu verò quæ cœpiſti,oro,proſequere.

CAPVT IV.

DE S. ANTHELMO EPISCOPO. * *+ Vixit circa annum Domini 1160. tempore Alexandri III. Roman. Pontif. teſte Baronio in Notis ad Martyrolog. Roman. fuit verò ſeptimus Cartuſienſis Ordinis Præfectus Generalis. Vide notas.*

BASIL.Defuncto,& ad ſuperos tranſlato Patre Guigone, ſanctus ille ſucceſsit ANTHELMVS, vir ſupra modum memorabilis, ac venerandus. Hic de caſtro Sabaudiæ quod Signinum dicitur, oriundus,claris admodum parentibus, ſereniſſima proles effulſit. Ego tibi huius vitam,& quæ poſt mortem geſsit miracula, breui ſermone deſcribam, te ad eius res geſtas tranſmittens,quæ longa ſerie,huius viri & prima & poſteriora facta commemorant. Hic Anthelmus cùm eſſet in domo Portarum Ordinis noſtri nouitius, rogatu Sancti * Hugonis, Epiſcopi Gratianopolitani, (eo quòd multarum virtutum ſpecimen daret) ad domum Cartuſiæ * tranſmiſſus eſt. Vbi receptus, & profeſſus, regulam ſacri Ordinis indeclinabili feruoris inſtantia proſecutus, plures Deo de ſe

Exſtant Tom. 3. Surij, 26. Iunij.
+ vide notas.
+ Primariæ ſcilicet.

de ſe victimas offerre curabat: adeo vt vita eius cunctis præberet pietatis exemplũ tã ſublimia tamen virtutum veſtigia ipſis cernentibus demonſtrabat, vt non ſuper ſolũ, ſed ſuper cælum videretur incedere. Hinc factum eſt, vt non tam imitandus eſſet, quàm admirãdus. Supra humanam virtutem ieiunabat, ſumens panem ar-
Iſa.30.20. ctum, & aquam breuem. Orationes, meditationes, lectiones illi erat aſsiduæ, niſi quãdo ad ſuperna raptus, ſponſi amplexibus inhærebat. Ab ijs dimiſſus, laudum oſcula Chriſto Domino deuotè libabat. Tanta, & tam frequens illi inerat copia lachrymarum, vt oculi eius viderentur
Cant.7.11. eſſe vt piſcinæ in Eſebon. Quoties itaque vel oraret vel pſalleret, vel aliorum, vel ſuorum memor eſſet delictorum, vel deſiderio ſuſpiraret fontis ſuperni, toties ex nimio pietatis affectu ab eius oculis, quaſi è duobus fontibus, lachrymæ profluebãt. In choro quoque, inter pſallendum, per genas eius hæc pluuiarum flumina decurrebant. Miſſas verò vel dum celebraret, vel audiret, totum ſe Deo mactans in holocauſtum, quaſi Deum præſentem vlnis complexans, cerebrum omne, & ipſas oſſium medullas, per nimios fletus effundere putabatur. Erat enim pectus huius ſacratiſsimi Patris adeo dulce, ſuaue, pacificum,

ſicum, & ſic amore diuino transfuſum, vt compunctionis ſuæ gratiam capere non poſſet. Erat videre mirabile, quomodo ſæpiſsimè præ nimia vbertate gemituum & lachrymarum, diem cum nocte iungeret, pectus tundens, genua flectens, & terram madefaciens pluuijs oculorum. Tam crebrò virgarum ac flagellorum ictibus ſuum lacerabat dorſum, renes, & latera, vt caro eius nunquam niſi ſaucia, & plena vulneribus cerneretur. Cellam, ſilentium, diſciplinam, obedientiam, infatigabili pertinacia obſeruabat. Succeſſu verò temporis neceſsitatem rei familiaris, licet plurimum lachrymans reſiſteret, Procurator Cartuſiæ factus, mirum in modum illi ſe operi impendebat. Sic etenim Marthæ bonum quidem, ſed laborioſum implebat officium, vt Mariæ partem, quam elegerat optimam, non deſereret. Sic ſolicitus erga plurima, vt vni, quod eſt neceſſarium, inhæreret, ambidexter, indeficiens vtrobique.

Fit Procurator Maioris Cartuſiæ.

DIONYS. Mira ſunt quæ dicis, & nulli per ſe homini poſsibilia. Sed largitor bonorum omnium Deus, cùm velle præſtiterit, iungit & poſſe.

BASILIVS. Poſt hæc Prior Cartuſiæ factus, quantum creuit honore, tantum

Deſignatur ibidem Prior.

tantum & ſanctitate coaluit. Diligebat enim mitiſsimus Paſtor oues ſuas, & maternis vberibus eas confouebat. Gaudebat nempe cum gaudentibus, & cum lugentibus lugebat; damnaque ſuorum, non ſecus æſtimabat, quàm ſua. Erat enim eloquio ſuauiſsimus, charitate profuſus, & ad fratrum neceſſaria paratiſsimus. Si quando opus erat correptione, hanc cum tanta pietate moderabatur, vt delinquentes potius ſe emendarent viri illius nimia bonitate, quàm auſteritate diſciplinæ. Sciebat enim optimum correptionis inſtrumentũ, clementiam eſſe charitatis. Et ipſe cùm eſſet ſibi admodũ ſeuerus, alijs tamen indulgentiſsimum ſe præbebat, offenſas remittens, & ingratos beneficijs & amoribus circumdans. Habebat enim pectus mitiſſimum, & gemina charitate perfuſum, hinc facilè in bonum, omni ſe homini coaptabat. Zelus quoque eius tam feruidus erat, vt diuina charitate peruſtus, etiam ſæuiens amaretur. Hoc ſemper ſummopere curabat, nequid fratribus aliquando deeſſet. Nullæ res vnquam caræ videbantur, ſed quantocunque conſtarent pretio, omnia in vſus fratrum voluit præparari, bonus & ſuauiſsimus diſpenſator. Sciebat enim, ob defectum rerum temporalium, res ſpiritales pati ſolere defectum. Erat quoq; in pau-

pauperes tam beneficus, & tam dulcis, vt nihil illis regandum arbitraretur. Hinc factum eſt, vt tempore magnæ famis, immenſos frumenti & hordei aceruos, ſimul & mille florenos aureos in pauperes diſtribueret. Ardebat enim pijſsimus fœnerator, vt ſacras vſuras ageret, & lucra ſpiritalia quæreret. Hoſpitalem quoque ſeſe & lætum hoſpitem exhibebat; ſciens hilarem datorem à Deo plurimum diligi. Detrimentum ſibi maximum arbitrabatur, quidquã pro aliorũ aut vtilitate, aut ſalute negligere. DION. Magnum reuera, pium, & beneficum virum deſcribis: cuius velim modernos Prælatos noſtros imitatores fieri. BASIL. Sed quia impoſsibile eſt, ciuitatem in montis vertice conſtitutam, poſſe ab hominum abſcondi oculis, aut lucernam latere ſub modio; hinc factũ eſt, vt Epiſcopus Bellicenſis electus ſit. Sed labor ipſis ingens electoribus fuit, hunc induci, vt electioni aliquatenus aſſentiret. Nam illis Cartuſiam venientibus, vt electum ſuum ad Sedem Pontificalem, cum honore deducerent, ille clam fugiens, ſe ſtuduit occultare. Chriſtum Dominũ imitatus, qui ad regnum quæſitus, montis latibulo ſe tutauit. Verũ quòd Apoſtolicæ literæ vim illi, ni obediret intentare videbantur, ſolicitè a fratribus

Matt. 5.14.

Fit Epiſcopus Bellicenſis.

Ioan. 6. 15.

quæſitus, flens & eiulans ad medium eſt pertractus. Referunt legati Pontificis mãdatum, fratres quoque ne hoc ægrè ferat, adhortantur. Sed mens Sãcti immota manet, preces funduntur inanes. Ad quem legati: Vnum tibi Pater è duobus faciendum eſt, aut iuſsis magni obedire Pontificis, aut adire illum, & ſupplicare dimitti. Hæc dicebant viri induſtrij, vt illum ab heremo remotum, ſuis deſiderijs coaptarent. Paruit ille, putans apud Pontificem precibus ſuam poſſe ſolitudinem retinere. Venit itaque cum ipſis legatis ad Alexandum Papam, qui in Gallijs tunc erat, à quo & ſummo honore, & fauore ſuſceptus eſt. Tum cadens, & Summi Pontificis veſtigia lambens, lachrymis & gemitibus agebat, dicens: *Quid ſanctitati tuæ viſum eſt, beatiſsime Pater, hominem me idiotam, & qui nullam talium rerum experientiam habeo, huic oneri mancipare voluiſſe? Tu noſti vouiſſe me, nunquam me heremum deſerturum. Huc accedit quòd inuitum & renitentem, tua clementia cogere non debet. Tu igitur diſſolue miſerum, remitte captiuum, & quos idoneos huic operi magis agnoſcis, his iube, Cathedram aſcendant, pedum ſumant, oues nutriant.* Hæc dicens, lachrymis pedes Pontificis inundabat. Tum ſanctus Papa ad ſe leuatum, ita allocutus eſt. *Ego, dulciſsime fili, huic te operi*

Immunitatē ab Epiſcopatu impetrare apud Pontificem conatur, licet fruſtra.

præ

præ cæteris idoneum iudicaui, hinc quæſo omitte occaſiones prætendere inſufficientiæ tuæ, & eſto apud te quidem humilis, ſed mihi, vt obediens ſis, para. Scis enim meliorem ſemper eſſe obedientiam quàm victimam, & auſcultare melius, quàm adipes adolere. Quòd ſi putas hunc adminiſtrationis calicem amarum tibi futurum, ſcito quia & illum CHRISTVS *bibit, vt non ſuam, ſed Patris perficeret voluntatem.* Hiſauditis, vir Dei lachrimas preſsit, & acquieſcens conſecrari manu Pontificis, Epiſcopij ſui Sedem, cunctis gaudentibus, ocyus inuiſit. Tum videres Dei hominem nouis florere virtutibus, nouis meritorum titulis decorari. *Matth. 26.*

Tanta namque in eo enituit grauitas morum, tanta in humilitate authoritas, & tanta in autoritate ſerenitas, in ſerenitate conſtantia, in conſtantia autem inflexibilis perſeuerantia, vt vita eius omnis, pro ſummo miraculo duceretur. Cartuſianam parſimoniam non minuit, ſed auxit, multò quàm ante in vigilijs, ieiunijs, orationibus pertinatior, multò ad opus omne pietatis ipſe profuſior. Concinebat palá in choro cũ ſuis Canonicis Horas diurnas pariter & nocturnas, & viuificam ſacri Altaris Hoſtiá aſsiduè deuotiſsimus offerebat, cũ multis ſuauib. lachymis. Sacerdotes, qui meretricib. ſe ſociabãt, aut turpiũ *Inſignes Anthelmi virtutes.*

mulierum contubernijs lætabantur, acri animaduerſione carpebat. Qui verò duriores reddebãtur, vt ſe corrigerent, hos excommunicatos à ſacris Ordinibus reiectos, reddebat extorres. His autem qui iniuriam aliquam, aut violentiam ſuæ facere Eccleſiæ præſumebant, etiam quantumlibet potentes eſſent, aut nobiles, terribili ſe obiectabat audacia. DION. Non erat igitur iſte mercenarius, fugere ſuetus ad luporum occurſum.

CAPVT V.

DE ZELO IVSTITIAE BEATI *Anthelmi.*

BASIL. Hoc melius diſces, vnum ſi poſuero exemplum. Comes * Hupertus, Amedei filius, iuſſit & coegit vnum è villicis ſuis potentioribus, vt quendam, qui illi odioſus erat, Sacerdotem in vincula conijceret. Captus & innodatus eſt. At vbi audiuit Anthelmus Epiſcopus, villicum repente excommunicationis vinculo irretiuit, & ipſo cernente, Sacerdotem, fractis carceribus, violenter eiecit. At Sacercerdos, pauco poſt tempore, à villici pueris, gladio percuſſus, interijt. Comes verò Hupertus indignatus Antiſtiti, quòd Sacerdotem tentaſſet eruere, cœpit calumniari ſuper poſeſsionibus Eccleſiæ, dicens eas ad regalem pertinere cenſuram: vt hoc pacto

* *al. Hubertus.*

pacto Anthelmo iniuriam ſtrueret. Tum Præſul, vt leo confidens, hortatur principem pro occiſo ſacerdote pœnitentiam agere, & ab iniuſtis exactionibus manuum retrahere. At Comes ſeculari potentia tumidus, hortamenta eius aſpernanter accepit. Cui Præſul: *Nos tibi*, inquit, *ô Comes, quæ ſalutis tuæ ſunt, benigno duximus ſermone intimanda. At nunc, quia video te pertinacem, operæpretium erit, te cum tuo villico ſpiritali gladio ferire.* His verbis acriori furore ſuccenſus Princeps: *Tu*, inquit, *me excommunicare non potes, cùm omnia hæc agam Summi Pontificis priuilegio. Hinc tuum gladium non magnipendo.* Tunc conſtantiſsimus Preſul, non veritus præcellentiſsimi Principis magnitudiné, eo præſente excommunicationis ſuper eum ſententiam denotauit. *Ecce*, inquit, *data ſunt, ô Comes, vincula ſuper te, & eris ligatus in eis, & ſcito te ex hac hora ab Eccleſiæ filijs ſeparatum, & à ſalutifera Communione Sanctorum.* Cumque ille vnà cum ſuis nobilibus acerba indignatione excandeſceret, & grauia minaretur, vnus cæteris truculentior, dixit ad Epiſcopum: Dignum, inquit, te fecit hodie tua temeritas, ô frontoſe, vt per latera tua traiectus Principis noſtri gladius, te fûneſtam, quam meruiſti, proſternat in mortem. Ille his verbis conſtâtior factus: (optabat ſiquidem pro iuſtitia

Excommunicat Comitem.

defungi:) *At nunc*, inquit, *ego latam in eũ ſententiam confirmo, & à Chriſti benedicto corpore ſeparatum, trado Sathanæ fatigandũ.* Stupebãt mirũ in modum qui aderant, tam inuictã animi fortitudiné; & cùm illi morté omnes pertimeſcerét prope affuturam, ſolus ipſe trãquillus, & imperterritus perdurabat. DIO. Non erat iſte è numero Paſtorũ illorũ, quos per Prophetam Dominus reprehendit, dicens: *Non aſcendiſtis ex aduerſo. vt ſtaretis in prælio in die Domini, nec oppoſuiſtis vos murum pro domo Iſrael.* BAS. Sẽper huic maxima cura fuit, arcere lupos tũ ſpirirales, tum temporales ab ouilibus Chriſti. At nunc vtile eſt audire quàm conſtãti iuſtitiæ authoritate, latam in Comité ſentẽtiã obfirmauerit. Ligatus enim Comes, fecit ſummo Pontifici querimoniã. Tũ Papa miſit à latere Archiepiſcopũ Tarentaſiũ Petrũ, & alium quendã Epiſcopũ, orãs vt Hupertũ Comité abſòluere dignaretur. Quibus ille reſpondit: *Qui iuſtè ligatus eſt, ſolui non debet, niſi pro læſa charitate læſor pœniteat & ſatisfaciat; &, ſi non dignè pro meritis, miſericordia tamen occurrente, veritate parcente, Catholicæ reddi mereatur Eccleſiæ. Nam neq; ipſe beatiſsimus Petrus non pœnitentes abſoluere poteſt. Primũ .n. oportuit à Domino Lazarũ ſuſcitari, quã iubere eum ab Apoſtolis ſolui.* Doleat *Comes, ploret, pœniteat, ſatisfaciat: ego illius o-*

Ezech. 13. 5.

Ab anathemate quis abſoluendus non ſit.

cyus

cyus miſerebor. Alioquin nec à me, etiam ſi velim, nec ab ipſo magno Pontifice, iuſtè poterit nexibus ſuis liberari. Hanc ſententiã cũ Sũmus Pontifex audiſſet, miratus eſt Anthelmi prudenté conſtantiã: abſoluit tamé Comité, ſignificans Epiſc. Comité abſolutũ. Quod vbi audiuit vir fortiſsimus, intelligés Põtificé plus perſonæ fauiſſe, quã cauſæ, motus animo, relicta Cathedra, cellã ſuã Cartuſianã repetijt, vt ſe ſibi redderet, qui hominib. nõ poſſet. Sed huius abſentiã, Bellicenſis Eccleſia deſtituta, non perferens, multis eũ precibus & Apoſtolicis epiſtolis vix tandé è ſolitudine amica rapuerunt, & cũ ſũmo honore & plauſu omniũ ſuæ Cathedræ reddiderũt. Comes tamen, licet eũ Papa ſoluiſſet, nõ ſe * tenuit abſolutũ, ſciens, cõſciétia teſte, ſe ſuis demeritis iuſtiſſimè innodatũ. Vno dierũ, cũ eũ Epiſcopus appellaſſet in ius, ad cõmiſſa facinora reſpondere, & vt deliquerat ſatisfacere, Comes reſpõdit: *Ego tibi nõ tuo, ſed fori iure reſpõdere paratus sũ.* Cui Epiſc. *Tu me, ait, iure fori, ego te iure poli cõuenio, diẽq; determino, ad diem nouiſsimum ante iuſtiſſima tribunalia Chriſti.* His verbis tremefactus Princeps, mitioré ſeſe de cætero exhibuit, ab omni iniuria retrahés manũ. Nunc ſupereſt, vt duas huius viri virtutes pręcipuas attollamus; humilitaté nimirũ, & charitaté humilitas in eo tã

Relinquit Bellicenſem Epiſcopatum.

** Hoc eſt, non ſe reputauit legitimè ab anathemate abſolutum.*

ſingularis emicuit, vt cùm ſignis & prodigijs clarus eſſet, nollet tamen ea in populo vllatenus prædicari. Odio enim vehementiſsimo, ſuam per vulgi ora gloriam, proſequebatur, optans ſemper pauper, paruus, vilis, & modicus æſtimari. Nam die quadam cùm iter ageret, vidit in via, qua tranſibat, quendam virum miſerrimum, humi iacentem, à ſerpente percuſſum: cuius omne corpus ſic veneno intumuerat, vt inſtar veſicæ turgidæ diſtenderetur. Inerat illi etiam vehemens cruciatus, vnde & vicinam ſibi mortem nouerat imminere. Tum qui vnà aderant, rogant pium & miſerentem Antiſtitem, vt ſolitam clementiam pereunti impertiatur miſero. Stetit ille, & intuitus moribundum, lachrymas compaſsionis impendit, & breuem pro eo orationem effudit. Et à longè ſignum crucis iaculatus in tumidum, venenum protinus omne fugauit, atq; omni tumore ac dolore propulſo, hominem priſtinæ reddidit ſoſpitati. Mirabantur omnes, plus tamen obſtupuit, ſe rurſum viuere, quem vicina mors penè rapuerat emigrantem. Tum ſanctiſsimus Pater, veritus ne ſe proderent, acri animaduerſione indixit cunctis ſilentium, aſſerens ſuis meritis nil geſsiſſe, ſed Dei bonitatem eſſe miſertam viro pereunti. Nunquam ſuraliquis

liquis tantum in ſua metuit rapina deprehendi, quantum hic vir verecundus laudibus timebat attolli: qui nihil ſe præter peccatorem eſſe arbitrabatur, & hunc viliſsimum. Anno vltimo vitæ ſuæ tanta fuit panis inopia, & tam valida fames, vt plurimi grauiſsima inopia laborarent. Tum ſanctus Pater, apud quem ab infãtia creuerat miſeratio, modicum quod habebat frumenti, liberalis impertijt: præſertim inopum ſanctorum Conuentibus, & pauperum neceſsitatibus. Videres vndiq; quaſi ad ſinum matris famelicos confluere: quos ille, etiam cùm pauper eſſet, abunde conſolatus eſt. Stupebant omnes, & intẽtiſsimè mirabantur, quomodo & tam pauper eſſet, & tam multis affluerct. Erat enim illi ſementis modicum, ſed charitas illud aſsiduè cumulabat; non extrinſeca aliqua adiectione, ſed occulta diuini muneris ſuggeſtione. Nã Dominus Chriſtus, qui quinque panes in paſtum extendit multorum milium, hic frumentum Anthelmi pauxillum, in vſus innumerabilium pauperum iuſsit excreſcere: vt cui fides non deerat, nec pietatis affectio; opus quoque nec fidei, nec pietatis poſſet abeſſe. Hac fide animatus, ſuis dicere ſolebat domeſticis, qui ſibi penuriam verebãtur; *Confidite*, inquit, ô filij, non deficiet

Eius liberalitas in pauperes.

nobis omnibus frumẽtum, & ad vſum noſtrum & ad vſum pauperum, donec eleemoſynã ad mea perfecero vota. Et aſsignauit eis diem, in quem vſq; ſuæ eleemoſynæ tenderent, factũq;eſt ita. Nam aſsignato die, ab hoc exilio migrauit in patriã, & miſericordiæ opus in pauperes cõpleuit, vſq; in conſortium diuitũ Beatorum.

CAP. VI.

DE EIVS INSIGNI CHARITATE erga ſalutem proximorum.

DION. Hæc eſt Anthelmi charitas in corpora pauperum; nunc eius audi charitatem in animas peccatorum. Non eſt facilè, mi Dionyſi, depromere, quàm pius, miſericors, ſuauis, quamq́; verè dulcis fuerit ad eos, qui pœnitentes ſua illi peccata confitebantur. Totis enim viribus compatiebatur illis, & ſuis eos lachrymis & gemitibus flere, atque ingemiſcere compellebat. Et quidem cũm ille lachrymaretur præ gaudio, quòd ſciret Angelos in pœnitentia peccatoris gratulari, pœnitentes tamen cogebat in ſordibus ſuorum vulnerum triſtes fletuum imbres permanare. Hos autem imbres ſuadebant de ſpe

Ezech. 18. 32.

veniæ erumpere, eò quòd noluit Deus mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat. Tali Præſul vſus induſtria, innumeras Domino animas conciliabat.

Gau-

Gaudebat quoq; plurimum contubernio leproſorum,& viſitans horum domicilia, inter hos, quaſi inter roſas Paradiſi purpureas, medius reſidebat, lachrymaňs & conſolans eos: quos & diuini verbi dapibus & largiſsimis eleemoſynis recreabat. DIO. Sublmem nimis, & admodum ſuauem virum dulci ſermone deſcribis. Sublimem humilitate,charitate ſuauem. BAS. Vnum noſſe te velim, hunc Pontificem noſtrum, prophetiæ Spiritu muneratum fuiſſe ab Altiſsimo: quippe, qui plurima prædixerit, quæ poſt vidimus adimpleta: Vno nempe dierum, cùm negotij aliquid acturus Gebennas veniſſet, Buyamundus amicus eius, vir genere clarus & probitate, hunc meruit hoſpitem lætus excipere. Cumque Sanctus ſediſſet, dixit Buyamundo: *Vbi eſt vxor tua? Iube hanc aduenire,quia deſidero videre.* Venit illa,verecunda quidem, ſed admodum deuota. Tum cœpit eis ANTHELMVS prædicare de coniugij fide, de mutuo inter ſe & ſuaui amore, de pietatis operibus, & timore Dei. His expletis, dixit Buyamundus: Nos Dei munere, ſanctiſsime Pater, cuncta quæ nunc adhortatus es, & hactenus fecimus, & deinceps faciemus. Sed noueris nos triſtes, eò quòd nullam nobis vnquam ſobolem indulſerit DEVS.

Tu

Exſtat hoc miraculum apud Surium in vita S. Anthelmi.

Tu Dominum deprecare pro nobis. Tūc vir beatus aduocans ad ſe mulierem, vexillum crucis in eius fronte depinxit, & quaſi ludens, & adiocans mulieri, dixit: *In nomine Domini fac mihi vnum filium.* Mira res. Mandatum fides, fidem verò ocyus ſubſecutus eſt effectus. Nam vt ingreſſus eſt ad eam vir ſuus, ſtatim, quæ erat ſterilis, concepit, & nouem poſt euolutis menſibus, de promiſſo, & nato filio, gratulati ſunt non minimè. Hic cùm Dei voluntati adminiſtraſſet, inſtaretque bonorum ſuorum operum remuneratio, lecto decubuit, migraturus ad ſuperos. Quod vbi Comes Hupertus agnouit, veritus, vt credo, ne ſe vir Dei, vti fuerat comminatus, ad Chriſti iudicis citaret tribunalia, mentem formauit ad lachrymas, & veniens ad cubile hominis Dei, genibus in terram flexis, & comploſis manibus eiulans, flens, ſuſpiranſque, veniam commiſſorum in ſe facinorum precabatur: Scito (inquit ille) ô Huperte, fruſtra te veniam deprecari, niſi paratus ſis calumnias, quas feciſti, dimittere, & nullam in Epiſcopi aut Eccleſiæ poſſeſsionibus vltra exactionem ſtruere. Inſuper & ſuper ſacerdotis nece præſto ſis pœnitentiam agere. Tum ille infuſus lachrymis, culpam omnem humiliter fatetur, & iure iurando ſpondet, ſe perpe-

tuò

tuò Eccleſiam defenſurum, inſuper & ad arbitrium eius ſe pro morte ſacerdotis ocyus ſatisfacturum. His auditis, piiſsimus Pater exhilaratus eſt ſpiritu, & pœnitentem in oſculo pacis ſuſcipiens, ad veniam illum, & ad gratiam benignus excepit. Et impoſitis illi manibus, benedixit, dicens: Deus omnipotens Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus ſanctus, benedictionis & gratiæ ſuæ tibi conferat largitatem: creſcere quoque te faciat, & multiplicari pariter cum tuo filio. Cumque circumſtantes putarent errare Præſulem, dicerentq́; Comitem filium non habere, ſed filiam, reſpondit: non filiam, ſed Comitis ſe filium benedicere. Et iterum atque iterum repetens, filium benedixit. Quam prophetiam conſtat eſſe impletam, cùm ſtatim poſt, cognita vxore, filium genuit: quem ſanctus Propheta & promiſit, & benedixit. DION. Video hunc virum Heliſei meritis coequalem, niſi quòd Heliſeus vnum; hic duos filios cecinit naſcituros. 4. Reg. 4. 16.
BASIL. Proximante itaque hora exitus eius, flebant qui aderant vniuerſi, & irremediabilibus lachrymis ora rigabant. Quos ille dulciſsimis alloquijs ſolabatur, aſſerens ſe non morte defungi, ſed ad vitam tráſmigrare ſempiternam, nec oportere illum triſtitiæ fletibus comitari, qué

ſcirent

ſcirent perpetuò gauiſurum. Dehinc cœpit eos de pietate, de religione, de charitate, & bonorum operum fructu ſedulus adhortari. Ac tunc iuſsit Sanctorum Letaniam ſuper ſe legi. Quod dum fieret, ſancta illa anima, carnis ſoluta nexibus, cælo infuſa, cũ Sanctis, qui inuocabantur, ad Chriſti gloriam peruenit. Obijt ſexto Kalendas Iulij, anno ætatis ſuæ plus ſeptuageſimo, Epiſcopatus verò ſui quintodecimo, regnãte magno Saluatore noſtro, Domino Ieſu Chriſto, cui eſt poteſtas & imperium in ſecula ſeculorum. Dion. Amen

Capvt VII.

De miracvlis beati Anthelmi, poſt obitum eius.

NVnc ſupereſſe arbitror, vt ſi vir Deo acceptiſsimus, miraculis vita functus claruerit, paucis ediſſeras. Basil. Claruit reuera prodigijs admodum multis, & honorandis: ſed pauca de innumeris perſtringere attentabo. Nam, vt omittam, quòd ad ſepulchrum eius cæcis lumen, claudis greſſus, mutis eloquium reformauit (hæc enim quotidiana ſunt) nonnulla dicam alia, quæ etſi non maiora, tamen magis inſolita ſunt. Ipſo die, quo ſacrum corpus eius traditum eſt ſepulturæ, ſub aſpectu plebis innumeræ, ecce repente, dum exequiæ celebrantur, tres, quæ illic lampàdes

pades dependebant, & quas ſolis diebus ſolennibus conſueuit cuſtos accendere, ſub oculis omnium, diuino lumine cœlitus illuſtrantur; & tam claro lucis iubare reſplendebant, vt nulli eſſet dubium, Deum hoc voluiſſe lumine declarare, ANTHELMVM in cõſortium cæleſtium luminum fuiſſe tranſlatum. Vincentius Belluacenſis, in ſuo Speculo Hiſtoriali, ſcribit in die exequiarum huius Patris noſtri cereos quaternos, funeri adſtantes, non humano opere, ſed cæleſti illuſtratione, fuiſſe afflatos, & miram exultationem ſpectantibus præbuiſſe. Nam reuera tanta fuit lætantium omnium vociferatio, vt ſolum tremere videretur. Affuit huic iucundo ſpectaculo Hupertus Comes, & Gerardus Viennenſis, ſocer eius, & illuſtres viri non pauci. Inſuper & in territorio Gratianopolitano, vir quidam nobilis, ſummo optabat affectu, vnam è ſua cõiuge prolem ſuſcipere: quam multis apud ſe annis ſterilem ingemuerat. At vbi audiebat, fama promulgante, magnis Anthelmum clarere miraculis, dixit mulier viro ſuo: Ibo, ſi iuſſeris, ad ſanctũ Anthelmum, dominum & Patrem noſtrũ: credo quòd mihi fructũ impetrabit à Domino. Venit illa, plena fide, orans & fiẽs apud fœcundum meritis Præſulem pietatis.

Metaphoricos.

tis. Exaudita eſt, redijt, fructumq; concepit, ac peperit. Non potuit diu ſterilis permanere, quæ fœcundum meritis Præſulem flagitabat. Adoleſcens quidam nobilis oderat ſanctum virum, quòd eum aliquoties de ſuis moribus increpâſſet. Hic die quadam tranſiens per Eccleſiam, vt vidit infirmos complures ad ſepulchrum Anthelmi remedia præſtolantes, irriſit, & ſtultos eos, amenteſque fatebatur; quòd à mortuo, & iam putenti, ſanitatis remedia precarentur. Vix verba finierat, & ecce tam valida febrium vis repente illum inuaſit, vt ardore fatigatus, ocyus ſe moriturum pertimeſceret. Nam robur omne membrorum emarcuit, & inter manus collapſus ſeruulorum, ſupremum ſpiritum attrahere videbatur. Hinc cœpit ab amentia deduci, eo quòd vexatio dederit intellectum. Tum ſe orat ad Sancti ſepulchrum, quem irriſerat, deportari. Fundit lachrymas, pectus tundit, veniam petit, & orat ſibi pro iniurijs gratiam refundi, Nec mora, pijſsimus Præſul iuuenem, quem ideo corporaliter ſtrauerat, vt ſpiritaliter mederetur, in oculis omnium citius erexit, & ſanitate reddita, contulit vt abiret. Tum qui paulò ante blaſphemus fuerat, vnà cùm adſtante populo Anthelmi præconia reſonabat. Alius quoque adoleſcens nobi-

nobilis, quem quotidiana ſimul ac tertiana febris, & caduca inſuper paſsio fatigabant, vino potatus, quo ſacrum corpus Præſulis ablutum fuerat, ſub multorum oculis & gaudijs, repente conualuit. Hoc vini poculo plurimos nouimus fuiſſe ſanatos. Mercator quidam, vnus ex ijs, qui per mare, per ſaxa, per ignes pauperiem fugităt, cùm merces omnes ſuas in nundinis vendidiſſet, grandem auri & argenti maſſam conflauit. Ex his pannos ſericos comparans, patriam repedauit. Cùm autem Rhodanum haberet fluuium prætetire, ingreſſus nauem omnem ſubſtantiam ſuam, quam in auro habebat & ſerico, equo ſuſpendit. Inter nauigandum equus caſu territus, ex ſcafa in aquas inſilijt cum ſuo onere, & vndarum vorticibus interceptus, longeque protractus, medijs hauſtus fluctibus interijt. At mercator hæc videns, vehementer indoluit, ſeque pauperem, ac miſerum perpetuò futurum vociferabatur. Tum naui egreſſus, per margines, perque ora Rhodani ſedulus requirebat, ſi fortè, & ſi non animal ipſum, ſaltem res ſuas poſſet vſpiam conſpicere. Sed caſſo labore ſe fatigabat. Tum audiens nouum Antiſtitem Anthelmum magnis clarere prodigijs, ſepulchrum eius adijt, lachrymas fudit, vota obtulit, & munera

grandiora promiſit. Facto mane, Anthelmi patrocinio ſecurus, ad locum illum, vnde triſtis abierat, rediјt. Et ecce omni ſpe inanis (mirabilè dictu) quem profundiſsima aquarum altitudo abſorbuerat, equum in ripa fluminis iacentem repperit, extinctum quidem, ſed res omnes domini ſui ſecum in dorſo retinentem. Tum ille paruipendens mortẽ ſui animalis, cum immenſo gaudio gratia agens, reſq; ſuas recipiens, vbi munera ſoluit Pontifici, lętus & alacer ad propria remeauit. Et id equidẽ mirum erat, quòd ſericum ipſum, licet aquis fuiſſet immerſum, ſiccum tamen atq; incorruptum omne repertum ſit. Fiſciliacum rus eſt ſex à Bellicenſi oppido miliaribus diſtans. Hic mulier quædam, cùm rebus aliјs diſtenta eſſet, puerulum iam trimum, negligentius agens, miſeranda repperit morte peremptum. Nam cùm infantulus ad ripam præterlabentis fluminis incautus luderet, caſu lapſus, ab aquis voracibus interceptus & præfocatus eſt. Tum mater ſerò ſui nati ſolicita, cùm vndique illum anxia quæreret, repperit immerſum fluctibus & extinctum. Quem vt rigidum aquis extraxit: *Sancte*, inquit, *Anthelme, redde mihi filium, quem rapuiſti. Illum enim noſceris occidiſſe, quem cuſtodiſſe potueras.* Et hæc dicens, magnis clamoribus omnia com-

complebat, pectora tundens, & genas vnguibus lacerans. Accurrit mœſtiſsimus genitor, & vicinia tota, perſtrepens & plorans. Tunc ſuaſum eſt matri, ad tumbam ſancti Præſulis deferre puerulum. Iungit ſe plurima multitudo. Illis cum vlulatu ciuitatem intrantibus, magna vtriuſq; ſexus turba matrem ad feretrum comitatur. At illa non minoris fidei, quàm mulier fuerat Chananæa, lachrymis egit, precibuſq; & votis apud benigniſsimum Patrẽ; & quem mortuum detulit ad Sãcti ſepulchrum, viuum meruit ad hoſpitium reportare. Iacens nempe humi emortuum cadauer infantuli, repente ſurrexit;& arripiens bacellũ, qui iuxta ſe erat, vertit ſe ad ſancti Præſulis tumbã,& illic ſanus, lætus, floriduſq; reſedit. Tum accurrenti, & plurimum lætanti matri, arridens infans, &, vt potuit, alloquens, medium ſeſe amplexantis vlnis & oſculis parentis iniecit. Tunc clamor omnium ingẽs, gaudio mixtus & lachrymis, in ſublime attollitur, & in ſancto ſuo Deus magnificè collaudatur. Puto nunc votis tuis, mi Dionyſi, ſatisfactũ. Nempe, ſi non fallor, mirabilem virũ, ſublimem, ſingularem, ſermo noſter explicuit. DION. Explicuit planè, & habeo non mediocres gratias tibi. At nunc teipſum ad alia confer.

CAP. VIII.

DE HVGONE I. MAIORIS CARtuſiæ Præfecto, ac ſexto Ordinis totius Generali.

BASIL. Florente hoc Patre Anthelmo, magnarum virtutum HVGO claruit Cartuſienſis, qui ſancto Hugoni Gratianopolitano Epiſcopo in regimine ſucceſſit. Electus ab eo, & præelectus, ob ſingularem piæ religionis ſanctimoniam. Erat nempe Hugo iſte durus ſibi & rigidus, & inexorabilis corporis ſui caſtigator. Aridus quidem carne, ſed mente pinguiſſimus: cuius etiam adeps dulcedinis ab oculis ſtillabat: tanta inerat ei gratia lachrymarum. Pectus huius optimi viri diuinus Spiritus incolebat: hinc erga omnes pius, dulcis, affabilis reddebatur. Et, cùm ob meritorum ſuorum gratiam, ab omnibus mirabilis haberetur, ipſe tamen ſolus ſe non videbat: imò nil de ſe, niſi quæ contemptibilia erant & vilia, æſtimabat. Nec tantum potuit illum mundus erigere, quantum ſolus ipſe ſe deprimebat. Itaque ab omnibus pro pietate amabilis, pro ſanctitate venerabilis, pro autoritate terribilis habebatur. Hic dum magnis virtutibus clareret & ſignis, coactus eſt Cathedram permutare, & iubente Summo Pontifice, factus eſt Archiepiſcopus Viennenſis.

Creuit

Creuit equidem dignitate, ſed ſanctitate longè ſemper præcelluit. Habuit tunc Chriſtus in magno grege magnum valde egregiumq́ue Paſtorem: qui vita, exemplis, & ſermonibus anteibat, & ducem ſe ſtrenuum demonſtrabat. Longiſsimum ſermonis mei obſequium huius vitæ mirabilis non immeritò efflagitat, ſed ad alia feſtinantem, me retineri non patior: veritus, ne temporis excludar anguſtijs. Nam huius almi Patris ſigna prodigiaq́ue non breuis temporis ſermonem efflagitant.

CAPVT IX.

DE BERNARDO, PRIORE CARtuſiæ Portarum.

BAs. Accedo ergo iam nūc, ad reuerendiſsimum Bernardum, Priorem domus Portarum: quem cùm breuiter ſalutauero, ocyus abſcedam. Hic quaſi oliua fructifera in domo Dei, copioſiſsimos pietatis & miſericordiæ fructus attulit ſuo tempore. Hic ſanctum Anthelmum, de quo ſupra hic beatum Stephanum, de quo infra dicemus, recepit ad Ordinem, & ſanctimoniæ tramitem, vitæque ſemitas demonſtrauit. Hunc magnus ille Bernardus Clareuallenſis Abbas, ob ſingularé vitæ ſanctimoniā, quam in eo repperit, ſingulari amicitia complexus eſt. Erat nempe in-

pe inter hos duos Bernardos, dulcis nimis & indiſſolubilis amor, germana ſocietas, & vinculũ ſuauiſsimæ charitatis. Hãc autẽ amicitiã cũ noſtro Bernardo, S. Abbas tam charã habuit, vt gratulabundus ad fratres Cartuſiẽſes ſcriberet in hũc modũ: *Feſtiuus mihi erit dies ille ducẽd⁹, & memoriale ſempiternũ, in quo virum illũ* (Bernardũ intelligit) *videre ac ſuſcipere merui. Per quẽ factum eſt, vt in cordibus veſtris ego reciperer. Retulit .n. ille vobis de me quædã, quæ etſi non probauerit, putauit tamen Fidelis quippe & religioſus, abſit vt aliter loqueretur, quàm credidit.* Deinde in fine eiuſdem epiſtolæ, etiam hæc de eodẽ ſubiungit: *Vidit fortaßis aliqua parua, & de paruis grãdia æſtimauit. Veſtra autem ſynceritas facile credidit, quod libenter audiuit. Gratulor quidem de charitate, quæ omnia credidit, ſed confundor pro veritate, quæ omnia nouit.* Hic Bernardus noſter, ob incõparabilem, quã habebat cum S. Bernardo familiaritatẽ, petijt ab eo, vt ſuper Cãtica Canticorum, pro ſuo ſtudio, ſcribere aliquid dignaretur. Cui ita ille reſpõdit: *O vtinam tuo ſtudio ingenioq; dignũ ipſe aliquid elaborare poſſem. Lumen oculorũ meorũ, & ipſam quoq; animã, ſi fieri poſſet, partirer tibi, amice dulcißime, & in Chriſti viſceribus mihi potißimũ in omni plenitudine dilectionis ſpecialiter amplectende frater.* Cæterum vbi ingenium, *aut quando otiũ mihi ſufficiens, ad id quod petis? Nam voluntatẽ tuã & curam in hoc ſatis produũt*

Eſt inter epiſtolas Diui Bernardi vndecima.

Eſt epiſt. 153.

crebra epiſtola tua,& vehemētior ſpiritus eas animās. Verū quantò curioſius id velle te ſentio, tantò ſcrupuloſius acquieſco. Cur hoc? Ne magna videlicet expectāti, ridiculū producā murē. Et quid mirū, ſi vereor dare, quod edere verecūdor? Grādia enim ſperāti, modica minus grata venire ſolēt. Tibi ſtudij eſt, vtpote otioſo & vacanti, vndecunq; perquirere incētiua igni, quo ardes vt ardeas magis, & impleas voluntatē Domini tui, dicentis: Et quid volo, niſi vt ardeat? Laudo, ſed ſi illic ea quæras, vbi te fruſtratū poſtmodū nō queraris. Erras, ſi apud nos quæris, cū illa potius abs te mēdicare debuerim. Sed quid? Num tu ipſe melius nos apud te excuſabis? Cedo importunitati tuæ, vt vel exhibitio tollat ſuſpicionē. Huc vſq; mellifluus ille Bernard. Ex qua quidē epiſtola ſatis patēter aduertis, quā hic noſter charus ſancto fuerit Abbati, quā bonus, quàm pretioſus, quā ēt ingenio præſtans, & in Dei amore flagrās. DIO. Aduerto equidē, & Dei hominē toto corde complector. Legi & alias magni Bernardi epiſtolas, quib. hunc Parē affectuoſè magnificeq; cōmendat. BASI. Claruit verò hic venerandus homo ſublimib. poſt mortē miraculis. Nam ad ſepulchrū eius (qꝫ magno illic accolę honore venerabile ducūt) cæci, aridi, ſurdi, paralytici, demoniaci ocyꝰ liberātur; nec vlla tā maligna vis eſt, aut tā incurabilis ęgritudo quæ illic (ſi fides exigat) mederi nō poſſit.

Luc. 12.

Nempe, 154. & 155.

CAPVT X.

DE S. STEPHANO, DIENSI EPIſcopo, Ordinis Cartuſienſium.

BASIL. Nunc paulò, quàm ſolitus es, peto, vt attentior ſias. Sum enim mirabilem quendam, & ſublimem Ordinis noſtri virum enarraturus: cuius præcellentem ſanctitudinis gloriam, ſicut nec dignè concipere, ita nec enarrare ſufficiam. Eſt enim beatiſsimus Stephanus Lugdunẽſis, cuius pater vir illuſtris & genere & dignitate, Caſtellionis dominum ſe gerebat. Hic piam conſortem nactus eſt, & titulis claram, & moribus. Ab hac ſtirpe, tam illuſtri, ſanctus Stephanus procreatur. Qui recens natus, in ipſis iam cunabulis cruci Chriſti configi cœpit, & ante didicit crucem ferre, quàm aut ſe ſentire, aut Chriſtum poſſet per ætatem agnoſcere. Rem penè incredibilem loquar. Hic nempe ad nutricis ſuæ vbera pendens infantulus, nunquam ſexris ferijs cogi potuit vt mammas ſugeret, immò vel parũper attingeret, ſic diem ſemper eſuriens tranſigebat. Hoc vnum opus tam rarum, & penè hactenus inauditum, plurimos magno ſtupore confecit, ita vt dicerent: Quis putas puer eſt iſte erit. DIO. Reuera rem magnificam enarraſti, & quam nunquam prius, niſi in ſancto Nicolao noui-

mus

mus effulſiſſe. Hinc ſatis conijcimus, hunc ab vtero matris, Spiritus ſancti munere conſecratum: cuius vnctione, crucem didicit adhuc infantulus baiulare. Quòd autem lacte ſextis ferijs paſci noluit, ſatis portendebat Cartuſianum ſe futurum, qui ſemper iſtis ferijs à lacticinijs ſolent abſtinere. BASIL. Puer autem factus, cùm poſt rudimenta, ſacris imbuendus literis à parentibus traderetur, gratia plenus, & claro pollens ingenio, ſupra ætatem, & præ coëtaneis ſuis proficiebat, & mirum in modum docilem ſe humilem, & amabilem omnibus præbebat. Erat verò corpore paruus, ætate iuuenculus, ſed magnus ſanctitate, & animo canus. Potabat nempe aſsiduè aquas ſapientiæ ſalutaris, & ſeipſo quotidie prudentior reddebatur. Morum diſciplina, & ingens virtutum profectus, vnctione Spiritus magiſtra, hunc ſuper omnes ſe docentes longiſsimè efferebant. Vbi verò iam adoleſcere cœpit, ne caro illum ad opera ſpurcæ Veneris præcipitem raperet, ab omni ſtatuit eſu carnis abſtinere. Stupebant omnes, adoleſcentem delicatum & nobilem, ipſis voluptatibus impoſturam facere, & lubricum iuuentutis tramitem aſpernari. At pius Stephanus, ſciens bonum eſſe viro ab adoleſcentia ferre jugum Domini, carnem domabat,

Vide notas.

Eccleſ. 15.3.

Thren. 3.27.

bat, & pectus ſacrum vallabat ieiunijs, ne bláda pudoris naufragia pateretur. Combiberat enim iamdudum caſtitatis amorem, vt pectus virtutibus inſtructum, nulla poſſet turpi cogitatione turbari.
Iob. 31. 1. Pepigerat itaque fœdus cum oculis ſuis, vt ne cogitaret quidem de virgine. Orabat præterea crebrò adoleſcens, & vigilans pſallenſque manebat, & cùm bene viuendi formam cunctis oſtenderet in ſemetipſo, nullatenus tamen ſeipſum oſtentabat.

Morum grauitatem præferebat in vultu, modeſtiam mentis inceſſu & habitu fatebatur, & opus omne pietatis in pauperes exercebat. Verũ cũ contemplationis amore flagraret, nactus iam annos ſex & viginti, ſpretis ampliſsimis Eccleſiarum beneficijs, & paternis rebus abdicatis. Cartuſianum Ordinem ſtatuit profiteri. Venit itaque pijſsimus iuuenis, magno deuotionis igne peruſtus, & à ſancto Bernardo Priore Portarum, cuius ſupra iam memini, ſumma cum veneratione & amore ſuſceptus eſt. Sacro autem habitu aſſumpto, in maximo illic feruore conuerſari cœpit, ita vt ſeipſum imitandi ſpecimen cunctis exhiberet.
VIDE NOTAS.

Erant enim tunc plurimi magnæ ſanctitatis & pœnitentiæ viri: ſed hos noſter

Ste-

Stephanus, vt ſol ſydera, vincebat. Aſsiduè nempe ſe holocauſti hoſtiã Domino offerebat, carnem macerans, & mentem igneis charitatis ſcintillis inflammaus. Nunquam in eius menſa, niſi panem vidiſſes & aquam, librum quoque apertum, quo ſibi viciſsim lumina diſtrahebat, vt vtrique homini alimoniam miniſtraret,

Erat præterea erga diuinum Altaris Sacramentum deuotiſsimus; & communicans, aut celebrans, tam copioſis lachrymis perfundebatur, vt totus cruci CHRISTI confixus videretur. Fluebant ab oculis lachrymæ, indices amoris, & adeps pectoris è pijs luminibus decurrebat. In pſalmodijs tam alacrẽ ſe alaudtorem offerebat, vt putaretur angelicis intereſſe cõcentibus. Et reuera ſic erat. Laudabat nempe Dominum cum aſtris matutinis, & inter filios Dei dulciſsimis modulis iubilabat.

Ex his ſacris operibus, ſanctitatis eius creuit opinio, & grande nactus eſt nomen intus & foris. Omnes namque Stephanum Chriſti militem laudabant, attollebant, mirabantur. Interior homo huius viri, ſicuti erat verè pulcherrimus, fortis, integer, incorruptus; ita exteriorem vno sẽper modo, eoq; modeſtiſsimo efferebãt;

vt

vt nihil in eo prorſus appareret, quod intuentes offenderet. Quis igitur, niſi coram Deo & ſanctis Angelis hunc crederet Stephanum conuerſari? Vna nempe dierum cùm coram imagine Crucifixi orationi & lachrymis adhæreret, ecce Angelus Domini in humana ſpecie iuxta illum maxima luce refulgens apparuit, eius operibus condelectans, & orationes eius, vt Altiſsimo eas præſentaret, excipiens. Dionys. Hactenus ſilui, intentiſsimè te audiens perorantem. Nam ſtupor mihi ſicut mentem, ita & ſermonem quoq; occupat, tam grandes huius viri melliflui dum laudes intelligo. Basil. His claris virtutibus, Portarum Prior electus eſt. Hoc in officio ſublimatus, ſi noſſe cupis qualem ſe geſſerit, librum, qui de eius vita ſcriptus eſt, legas oportet. Os enim ad alia feſtinamus.

Eligitur in Priorem Cartuſiæ Portarum.

Capvt XI.

EX PRIORE CARTVSIAE Portarum, eligitur omnium ſuffragijs in Epiſcopum Dienſem.

Ab hac prælatura ſuper altius cádelabrũ poni promeruit, vt lógè lateq; ſereniſsmũ vitæ ſuæ iubar inclareſceret. Nã in Dienſem Præſulem vnanimi aſſenſu, non ſine grandi miraculo electus, & conſecratus eſt. Epiſcopali itaque Sede potitus,

Fit Epiſcopus Dienſem.

tus, obſeruantias regulares, morum, virtutumq; conſtantiam, non ſolùm ſanctus Præſul non minuit, ſed etiam vberiori gratia cumulauit. Ingreſſus nempe ad regimen ſponſæ ſuæ, diuinum officium non in capella ſeu loco aliquo ſecreto, ſed in maiori Eccleſia cum ſuis Canonicis deuotiſsimè frequentabat. Omni ferè die ſalutarem Hoſtiam Domino offerens, nimia deuotione perunctus, lachrymarum abundantia replebatur. Mirabantur vniuerſi contra vſum humanæ felicitatis hominum ex humili heremo, ad ſumma repente prouectum, plus humilitate, quàm dignitate; plus deuotione, quàm dominatione creuiſſe. Ipſe verò nil tale de ſe æſtimans aut cogitans, ad cordis ſui gregiſque cuſtodiam animatus magnos edebat pietatis & ſapientiæ fructus. Sed rem tibi nũc aggredior enarrare verè grandem, & hactenus inauditã. Hic ſanctiſsimus animarum Paſtor, cùm aſsiduè zelans gregem hortaretur ſuum, & vigili cura ouium ſuarum mores diſcuteret, inuenit populum ſibi creditum rudem nimis, agreſtem, impium, profanum, irreligioſum, Dei præcepta, ac Sabbata vilipendentem, nec Eccleſijs, nec Sacerdotibus deferentem. Sanctorum quippe feſta, plebs impia Diabolo dedicabat, ludicris, tabernis, luxibus, choreis,

Diuinum officium cum Canonicis ſuis publicè perſoluit.

reis,ſpectaculiſq; prophanis. Quæ videns, vir ſanctus, ex imo cordis ingemuit, & monens vnumquemque cum lachrymis, nunc ſeorſim, nunc palàm hortabatur eos, viam duriſsimam deſerere, & viam incedere mandatorum Dei. Clamabat ſæpenumerò, ſtans in ambone, & quaſi tuba, exaltabat vocem ſuam, annuntians populo ſuo ſcelera eorũ, & pœnas Inferni amariſſimas intentans. Sed ſaxea & in adamantẽ cõuerſa præcordia, nec minis poterãt, nec blanditijs permolliri. Manebant enim ad fidẽ impij, ad vitã ſpurci, ad mores ferrei, & ad omnẽ diſciplinã ceruicoſi. Quod vt vidit, acerbiori cauterio hos ſtatuit inurẽdos. Putabat enim efficacius ſignis eos cõuertere, & terrere prodigijs, quos ſermonibus non poterat. Iubet ergo vir Apoſtolicus S. Stephanus, ad ſtatutũ diem ſolennẽ cõfluere vniuerſos, & audire quippiã noui, ꝙ eis ipſe dicturus eſſet. Accurrit innumera multitudo. Tũ ille ambonẽ cõſcendens, de ſublimi eos alloquitur, ita dicens: *Hactenus vobiſcũ egi, ô popule meus, verbis, lachrymis, precibus, hortationibus, orãs atq; obteſtans, vt dæmonũ ſemitis derelictis, viã pacis, viãq; ſalutis ingrederemini. Verũ quia nil verbis, nil adhortationibus proficio, oportet vt nũc palã oſtendam vobis, quibus voſipſos dominis ſeruos mancipaueritis, vt ijs agnitis, impiũ peccati iugum à veſtris*

Eſa. 58.1.

Populum alloquitur.

Cogit dæmones viſibiles ſe populo exhibere.

ſerui-

ceruicibus proijciatis. Tum iubet ocyus adeſſe ab infernis ſpecubus teterrimos dæmones. Aduolant illi ad iuſſum hominis Dei, & populum omnem vallant, ambiuntque per gyrum. Erat videre terribile plurimos illic adſtare incentores vitiorum, inſtar gigantum magnos, turpes, horridos, cornutos, & omni fuligine nigriores. Hi ignem ab ore, oculis, auribuſque emittebant, viruſque & fumus peſtilens è naribus euaporabant. Vngues digitorum rapaces acuebant, quibus ſueti ſunt animas, raptas ad tartara cruciare. Hos populus cùm videret circum ſe ſtrepere, horribili omnes timore perculſi, ſignis & crucibus ſe munientes, diuina auxilia flagitabant. Ad quos S. Stephanus: *Nolite,* ait, *timere: non enim vt nocerent, ſed vt inſtruerent, hos iuſſi accedere, abituros rurſum dum præcepero. Sed videte quæſo, quibus hactenus peſtiferis ſpiritibus deſeruiſtis. Iſti ſunt incentores gulæ, luxuriæ, auaritiæ, iræ, ſuperbiæ, inuidentiæ. Cũ his ſine dubio æterna tormenta paſſuri eſtis, niſi ab horũ dominio cultuq́ recesseritis.* His dictis, iubet tenebrarũ principes ad ſua loca reuerti. Necdũ fœtor omnis euanuit, & plebs animũ recuperauit tranquillum. Apertis autem oculis, neminem viderunt præter ſanctum Præſulem: ad quem ita omnes vna voce dixerunt: Ex hac hora, optime Pater, emendatos nos accipe; & oues iam fideles tibi

Dæmones diſparent.

futuras, dignare agnoſcere, quos lupos hactenus ſuſtinuiſti. His dictis, correctiſque animis, & mutata iam in melius voluntate, ad propria feliciter rediêre. DION. nunquam prodigium tam ſtupendum auribus audiui. O admirabilem Stephanum, ô Paſtorem ſolertiſsimum, qui nouit terrere ſalubriter, vt poſsit ſubuenire miſericorditer. BASIL. Affluebat quoque hic Pater ad peccatores piiſsimis ſemper miſericordiæ viſceribus. Vnus nempe ex huius viri ſubditis quodam tempore, grauiſſima corporis ægrotatione laborabat. Hic Diabolo ſe poſsidente, quem etiam vultu voceque prodebat & motibus, in deſperationis lapſus abyſſum, peccata ſua noluit vllatenus confiteri. Hortabantur eum plurimi, verùm ille audire verba Dei deſpiciens, rabioſis vocibus inclamabat: Quid mihi ſcelerato poterit prodeſſe confeſsionis antidotum, qui iam totus cum Diabolo damnatus ſum? Venit hic ſermo ad aures Antiſtitis. Qui plurimum contriſtatus, lachrymans, ocyus ad hominem venit. Et ſuadens hortabatur, ne Dei benigniſsimam clementiam contemnendam putet, eſſeque Deum multo ad miſerendum proniorem, quàm ille aut ſperare poſsit, aut petere. Verùm miſer ille nec lachrymis emolliri potuit, nec hortationibus,

Hominem deſperantem Stephanus ad ſalutem reuocat.

albus, ita cor eius Diabolus peruaſerat. Tum ſanctus intelligens opus eſſe fortioribus armis, ad preces ſe conuertit. Et fuſus humi, Dominum pro illo exorabat, lachrymis pauimentum reſpergens. Fugit ocyus Dæmõ ab ægroti præcordijs, & cõpunctus mente, ſua crimina confitetur. Abſolutus, & inunctus; viaticum petijt & accepit; & mox ſpiritum reddidit creatori. DIONYS. O oliuam fructiferam in domo Dei. O oleum iucunditatis, vngens & lucens; cuius virtute dæmon pellitur, cuius lenitate durities emollitur, cuius luce peccatorum tenebræ profligantur.

CAPVT XII.

MIRACVLA, QVIBVS HIC SANctiſsimus Præſul in vita claruit.

BASIL. Hic idem ſuauiſsimus Pater paralyticum hominem longa tabe conſumptum, & qui ſe in lecto mouere non poterat, ſacra manu palpando, reſtituit ſanitati, greſſui, ac labori. Vno dierum, cùm ingens grando rueret, & tempeſtas ſonora cladem maximam minaretur, ille decenter ſignum crucis iaculatus, ita repente eam cohibuit, vt ne lapillus quidem ab aere laberetur. Dum Diœceſim circuiret ſuam almus Pontifex, occurrunt nuntij perſtrepentes, & clamantes, in loco proximo mulierem repente in mortem cor- *Signo crucis pellit tempeſtatem.*

ruiſſe;& eſſe à Diabolo præfocatam. Compatitur miſeræ mulieri vir mitiſsimus, & gemens feſtinat ad locum. Mox commotis viſceribus, humi proſternitur, & multis cum lachrymis, CHRISTI clementiam deprecatur. Non diſtulit pijſsimus miſerator vota ad ſe clamantis fidelis famuli ſui, ſed mox vt ille ſurrexit à prece, mulier incolumis ſurgit à funere. Tum Sancti Præſulis aduoluta genibus, meritas gratias deuota perſoluit. Obſtupuêre omnes, & timore pariter & exultatione completi, miris laudibus Dominum in ſuo famulo prædicarunt. Habebant Dienſes cum finitimis populis implacabile bellũ. At Sanctus Dei, ſciens poſt breue tempus è ſeculo ſe migraturum, cùm nollet Cathedram ſuam impacatam relinquere, potentiſsimis egit precibus apud Deum, & citò pax ſuis & populi ſui votis deſiderata reſpondit. Cùm iam cælum petiturus, lecto decumberet, accurrunt omnes Eccleſiæ ſuę filij, vt dulciſsimo Patri aliquod exhiberẽt obſequium, & ſuas illi ânimas commendarent. Accurrunt, inquam, flentes, & triſtes, ac gemebundi, certantes inter ſe, quis prior tanto parẽti beneficium aliquod poſſet pietatis adferre. Tunc reuera extrema gaudij Diẽſis Eccleſiæ, luctus occupauit; quando tam ſuauiſsimo Patre

Excitat mortuam.

cœpit

cœpit miſeranda deſtitui. Ille enim ſolabatur afflictos. Ipſe cum multa alacritate ad ſuperna ſuſpirabat. Inſtabant autem filij, vt teſtamentum conderet. *Non eſt*, inquit, *neceſſe filioli. Nam quicquid vnquam viſus ſum poſſidere, ſponſæ meæ ſtatui relinquendum.* Illo iam ad extrema vergente, ægra quædam iam penè moribunda mulier, petijt à ſuis, vt ad ſanctum ſe Pontificem introducerent. Intromiſſa verò, ſiſtitur lecto iacentis Epiſcopi, & votis ac verbis, vt potuit, ſe poſtulabat benedici. Rogant pro ea qui circumſtant lectulo vniuerſi: Tum ille ſacram dexteram extendens, ſigno Crucis mulierem muniijt, & benedixit. Tanta vis gratiæ ocyus conſecuta eſt, vt repente fæmina conualeſcens, in pedes ſe ſanam erigeret, & ad proprium habitaculum lætabunda & laudans repedaret. Quomodo, rogo, non fleret populus præ gaudio pariter & mœrore: præ gaudio, dum videret mulierem, ſanitati redditam: præ mœrore autem, dum cerneret tam potentem occumbere Pontificem?

Recuſat condere teſtamentum.

Moribunda ſanat.

DION. Verè potentem Pontificem, qui infirmitate correptus, alijs ſanitatis gratiam impertiebatur.

BASIL. Acceptis itaq; cum ſumma reuerentia Eccleſiæ Sacramẽtis, inter verba

orantium,pſallentiumq́; ſacerdotum ſeptimo die Septembris in ſacræ Natiuitatis Mariæ peruigilio, placidiſsimo fine quieuit in pace. Cuius venerandas exuuias mater Dienſis Eccleſia ſumma ſemper veneratione apud ſe humatas,retinet.

CAP. XIII.

MIRACVLA, QVAE POST OBITVM edidit.

STatim verò vt almus Præſul ſepulturæ eſt traditus, cœpit meritis vbiq; in clareſcere, & operum miraculis refulgere. Adducebantur namq; ad tumbã cæci quatuor, quorum oculi vaſtis denſati tenebris, ſuauem lucis influxum capere non poterant. Hi inuocato lucis Præſule, lumen tam corporis, quàm mentis ocyus receperunt, & agnouerunt cordis obtutibus, quanti eſſet apud Deum meriti, qui nouos ſolis radios illis aſpicere contuliſſet. Poſt hæc plures adhuc, lumine orbati, interuentu almi Præſulis, diem, quam videre concupierant, aſpexêre. Impoſsibile enim erat, illic cæcæ noctis caliginem poſſe durare, vbi ſancti Pontificis lumina meritorum ſplenduerunt. Dehinc non minus octo claudi, manci, mutilati ſacras Reliquias precibus ambierunt & lachrymis. Sed ſanctus Præſul, qui conſueuit rectos greſſus facere pedibus ſuis, mancos

Quatuor cæci ad eius tumbam viſum recipiunt.

hos & claudos diu ferre non potuit, ſed ab alto miſerator aſpiciens, bene illis gradiendi, actitandique tribuit facultatem. Omnium tunc ora laxabantur in laudes, & Deum ac Stephanum pijs vocibus prædicabant. Aderat & virgo quædam, cuius vertex capitis iam corruptus, multis è fiſtulis ſaniem promebat. Hæc vbi pro remedio ſupplex Stephanum exorauit, optata citius ſoſpitate potita, grata & lætabunda hoſpitium reuiſit ſuum. Dehinc adducitur mulier ab oppido Vopinco, caduci morbi incommodo miſerè laborans. Hæc ſtatim vbi preces fudit, mirantibus cunctis, ſanitatis gratiam reportauit. Poteris quoque non mediocriter obſtupeſcere, ſi dixero, mulierem annos agentem plus ſexaginta, pedum ſuorum adminiculis deſtitutam, inuocato pijſsimo Patre, incolumem, ſuis ad propria veſtigijs, remeaſſe. Mulier Dienſis, cùm multo iam tempore ſanguinis profluuio laboraret, orabat ad tumulum Sancti, plorabat obſecrabat, ingemiſcebat. Et ſicut illa de Euangelio Emorroiſſa ad tactum fimbriæ veſtimenti, ita & hæc ad tactum ſancti ſepulchri, ocyus adiuta & liberata eſt. Dehinc fæmina quędā ſiſtebatur ſanāda Pontifici: Fæmina, inquam, tam miſera ac miſerabilis, vt omnium in ſe mœſtos oculos

concitaret. Erat nempe adeo contracta, & compreſſa deorſum, vt nec terram aſpicere, nec in dextrum ſiniſtrumué latus caput poſſet inflectere. Hæc orans & lachrymans, ſtatim erecta eſt, & cælum ſana reſpiciens, polorum principi Dei, vnà cum innumera plebe, gratias perſonabat. Scire etiam te volo hunc ſanctum Pontificem quinque defunctos homines à mortis faucibus reuocaſſe in priſtinam lucem. Miles, dominus caſtri, quod Modon, nuncupatur, vir armis ſtrenuus Vapinicum oppidum expugnaturus obſedit. Hic habebat egregium apud ſe pugnatorem, qui equina percuſſus vngula in pectore, ocyus expirauit. Cumq; omnem exercitum hic caſus miſerabilis concitaſſet ad metum, ſuadent qui aſtabant omnes vt ſancti Præſulis Stephani, cuius vbiq; iã ſigna radiabant, ſuffragia peterentur. Tunc vniuerſi, poſitis in terram genibus, manus atque oculos extollunt in cælum, & ſupplicibus votis clamoribuſq; almi Pontificis auxilium deprecantur. Et ecce, mirabile dictu, continuò ſe erigit, qui iacebat exanimis, & flexis etiam in terram genibus, ſupplices manus extendit in cælum, gratiaſque agens, omnia complet laudum præconijs. Tum totus verſus in ſtuporem exercitus, magnis laudibus ſanctum STEPHANVM com-

commendabat. At miles,poſtulato ſilentio: *Habeo,*inquit,*ô commilitones,immortales gratias optimo Saluatori Deo, & beatiſsimo Epiſcopo Dienſi Stephano. Hic meam ſupremam cladem miſeratus, veſtris clamoribus piïſsimas aures accommodare non diſtulit. Ducebar ego infelix dæmonum impiorum vallatus exercitu, & immergendus perpetuis ignibus, trahebar ad tartara: vbi vidi cruciatus immaniſsimos, & pœnas inexplicabiles, meis ſceleribus præparatas. Quæ quidem tales erant, tam aſpera tamq; formidoloſa, vt eas, dum cogito, totus horreo, tremoq;. In iis dum penè mergi inciperem, adeſt ipſo ſole ſplendidior admirabilis Præſul, qui potenti virtute dæmones terruit, & in fugam compulit, meq; manu correptum, corpori reſtituit: & vt pœnitentiam agerem, viuere conceſsit.* Hæc autem dicens, plurimos permouit ad pœnitudinem, & ſe quoque viæ reſtituit ſaniori. Delatus eſt vno dierum ad ſepulchrum hominis DEI adoleſcens quidam, qui ab excelſa labore deorſum ruens, conquaſſatus eſt, & ita toto confractus corpore, vt clauſis oculis, defuncto ſimilis videretur. Erat reuera, iam penè mortuus, nec ſpem vllam vitæ medici promittebant. Tunc parentes & amici pro eo ſuauiſsimum STEPHANVM votis pulſant, & lachrymis. Et ecce, qui ſepulchro

expectabatur inferri, ſanitati redditus, domum victurus rediјt, non ſine ingenti multorum tripudio & gratitudine. Sacerdos quidam habitator caſtri cuiuſdam, è rupe altiſsima decidens, femoris ſui neruos ita detriuit, vt gradiendi officio deſtitueretur. Hic noſtrum præſulem cùm viſitaſſet, & preces cum fletibus effudiſſet, integerrimæ eſt redditus ſanitati. Homo quidam de Brione oriundus, ab hoſtibus captus, turri fortiſsimæ eſt incluſus. Hic ſancti Stephani patrocinia inuocans, vbi primæ portæ feras, vectes, ac repagula manu tetigit, confeſtim omnia relaxantur, & patente ianua, ſecundam portam ac tertiam captiuus tentare aggreſſus eſt. Quibus ſimili facilitate ſolutis, liber exilijt, & ad tumbam ſancti Præſulis veniens, cunctis audientibus & lætantibus, hoc inſigne miraculum patefecit. Poſt hunc accurrunt duo viri, qui etiam adiutorio almi Stephani è carceribus liberati, vincula ſua ferrea deferunt ad ſepulchrum. Sed quid hactenus laboro verbis rem velle dicere indicibilem? Tu ſi plura noſſe deſideras, librum lege, vnde iſta pauca decerpſimus. Sed neque illa omnia potuit enarrare. Tu igitur à me nil vltra requiras. DION. Pareo libens, fateor tamen abundè me huius viri magnifici epulis, te miniſtrante, refectum.

ctum. Nunc opus eſt, vt quod reſtat, proſequaris. BASIL. Neceſſe eſt igitur, vt ordinem, à quo digreſsi ſumus, reſumamus.

CAPVT XIV.

DE PATRE BASILIO, OCTAVO *totius ſacri Cartuſienſis Ordinis Generalis: qui vixit circa annum Domini 1150.*

BEato Anthelmo ſucceſsit in Prioratu Cartuſiæ; digniſsimæ memoriæ Baſilius Pater. Qui doctrina & eloquentia admodum clarus, multum toti contulit Ordini multumq́ue profuit religioni Cartuſianæ. Hic non minus ſanctitate ac virtutum gratia quàm ſcientia illuſtris, conſtitutiones plurimas, Ordini profuturas, inſtituit, promulgauitq́ue. Hic annis plus *Præfuit annis* quatuor & viginti Cartuſiam rexit: vir *plus 24.* multum ſtrenuus, ſed & mitiſsimus, præclara induſtriæ ſuæ poſt ſe monumenta relinquens. Columnam hunc in domo Dei robuſtiſsimam habuiſſe, omnes Cartuſiæ filij gratulantur. Nam alter quiſpiam, qui eo humilior eſſet, ſanctior, feruétior, ſollicitior, doctiorq́ue vix potuit inueniri. Edidit enim præter alia de laude *Scripſit de vi* ſolitariæ vitæ facundiſsimæ ſapientiæ epi- *ta ſolitaria.* thoma, vbi breui ſermonem mirum in modum eam vitam commendat. Hac vna eius induſtria facilè, qualis in reliquis ſuis

ſcriptis extiterit, quis poterit autumare. Sub hoc Patre ac principe magnificus Gerardus Niuernenſium Comes, in habitu Conuerſorum, egregium ſe Dei militem geſsit. Qui inter cæteras virtutum dotes, humilitate ſingulari radiare, peſtemq́; inanis gloriæ aſpernari ſolitus erat. Hic, cùm grauitatis & ſapientiæ prærogatiua ſui temporis Francorum aulicos omnes antecederet, à Chriſtianiſsimo rege Ludouico, & ab regni optimatibus, quaſi vnus omnium parens, pari colebatur affectu: nemo vnquam in eius præſentia, vel etiam rex ipſe ludicrum verbum aut factum proferre audebat. Nam vno dierum, cùm Rex ludentibus ad * ſcacharium aſsideret, timens ne comes Gerardus ſuperueniens, & ſe ſpectantem, & illos ludentes aduerteret, iuſsit ocyus de medio tolli ſcacos. Sed ille intelligens, quid actum eſſet, Regem diſsimulare rem cupientem, nec valentem, his verbis corripuit: *O te, inquit, inſignem Principem, & populi Dei prouiſorem, qui mentem regiam his ludicris ſubigis, qui omni vita tua tempore, vix ea cogitare ſufficeres, non ſolum vt non delinqueres, ſed quæ iuſta, quæq; vtilia populo tuo ſunt inſtitueres. Quomodo igitur in his vanis tempus inſumis, & vigorem mentis effœminatè reſoluis?* Hanc obiurgationem Rex ſanctus LVDOVI-

Gerardi Niuernenſium Comitis ſtupenda humilitas.

* *Tabula eſt, in qua ſcachiæ ludus exercetur; de quo Hieronymus Vida eleganti carmine integrum conſcripſit librum.*

Regem leuitatis arguit.

DOVICVS humiliter excepit, ſciens ſe à viro iuſtiſsimo & optimo reprehendi. Hic GERARDVS Comes inter conſules & nobiles viros ſæpe cùm in regia concione ſederet horis ſolennibus exiens ad orationem, ſecedebat in partem, flexis genibus aut corpore toto fuſus in terram, cum lachrymis & ſingultibus diuinam ſuper ſe clementiam implorans. Hæc ſæpe etiam, cùm in campis aut pratis eſſet, actitabat, ita vt à ſuis aut hypocrita, aut vaniglorius diceretur. Verùm ille hæc audiens, in nullo penitus mouebatur, ſed ſtillantibus vbertim per genas lachrymis, verbum memoria dignum loquebatur: *Abſit*, inquiens, *abſit, vt proditoris crimine pollui velim, mihi vſurpando gloriam* DEI *mei. Si adoro, & exoro* DOMINVM DEVM *meum, non mihi vtiq; peccatori, ſed gloriam glorioſo & ſancto nomini eius do.* Hic tantus & talis Comes Cartuſiam veniens, à ſancto BASILIO deuotè ſuſceptus eſt. Sed multo ipſe deuotius conuerſatus. Hic vir ſanctus baltheum in funiculum, & ſericum inſagũ commũtans, inter humiles conuerſos voluit computari. Vbi crucem Domini quotidie tollens, & Agnum ſequens, non ante de virtute in virtutem progredi deſtitit, *Conuerſi vocantur laici.*

quàm

Pſalm. 83. 7. quàm mereretur videre Deũ Deorũ in Sion. Ad hunc videndũ, cũ quodam tẽpore filius, egregiæ indolis adoleſcẽs, profectus eſſet (quẽ paruulũ ſibi in Comitatu ſucceſſurũ in patria ſua olim dimiſerat,) veniens Cartuſiam, cùm patrem ſuum videre cuperet, didicit eum tunc in ſuperiora montis, tondendis ouibus operam dare. Quem diutius expectatum, tandem conſpicit in habitu pauperrimo deſcendere, ac vellera recenter tonſa, ſeruicibus deportare. At filius eum non agnoſcens, accepit à fratribus, qui illi aſtabant, hunc ſuum eſſe genitorem. Tum ille valde animo compunctus, occurrit ei, tenenſque veſtigia eius, & éxoſculans, prægaudio cœpit lachrymari. Qui ad Patris amplexus & oſcula erectus, intueretur ſinum & collum ipſius barbionum & pediculorum examine ſcatere. Quo iuuenis viſo, nimium exhorruit, & vermes mordaciſsimos tollere cupiens, hoc à patre viro fortiſsimo reſponſum accepit: *Sine*, inquit, *ſine fili chariſsime, iſtos vermiculos, vermi, qui non moritur, ſuam præripere prædam. Votius & delectabilis eſt mihi morſus iſtorum, quos inexplebilem gebennalium vermium edacitatem, me, Domino miſerante, ſpero euaſurum.* Sub hoc quoque Patre Baſilio, magnus & ſanctus Domino militauit Hugo poſt Lincolnienſis Pontifex. Hoc Hugo-

Filius reperit patrem tondentem oues.

VIDE NOTAS.

VIDE NOTAS.

Hugone iam profeſſo, almus Pater Baſilius vita functus migrauit ad Dominum. Poſt huius itaque obitum, tam grauis Hugonem carnis tentatio, tamque continua exagitabat, vt plus aliquid quàm gehennales flammas ſe perpeti arbitraretur. His vallatus anguſtijs, gemitibus abundabat & lachrymis; virgis quoque & abſtinentijs, quibus diuinum auxilium anxius precabatur. Demum athleta fortiſsimo proſtrato quidem, néc tamen ſuperato; non victo, ſed fatigato, tenuis ſopor obrepſit. Continuò velut in exceſſu mentis poſitus, vidit ſanctum Baſilium vultu clariſsimo radiantem ſibi aſtare, & his vocibus blandiri: *Quid habes mali, chariſsime fili? Surge, & deſiderium tuum mihi Patri tuo enarra.* Ad quem ille; O, inquit, optime Pater, ô mi nutritor ſuauiſsime, affligit me vſq; ad mortem lex peccati & mortis, quæ eſt in membris meis. Et niſi tuo more auxiliêris mihi, ocyus morietur puer tuus. Vix verba compleuerat, en, inquit Sanctus, auxiliabor tui. Mox patefactis nouacula, quam manu tenebat, viſceribus eius, quaſi ſtrumam igneam inde viſus eſt excuiſſe. Dehinc data benedictione, pius medicus aſtra repetijt. AEger verò ſanatus, & ſibi redditus, ſomno fugiente reſedit. Lætuſq; ſuper modum de oſtenſa ſibi gloria optimi

Conſule vitã S. Hugon. Lincol. cap. 7. Nouembr. 17.

VIDE NOTAS.

mi parentis, & ſotoris ſui, corde pariter & carne mirabiliter ſeſe repperit immutatum. Poſt hæc ſacer Hugo non quaſi hominem, ſed quaſi Angelum ſe gerebat, & ibat proficiens & ſuccreſcens quotidie, donec magnus & ſublimis effectus eſt.
Thren. 3. 26. DION. O quàm bonum præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei, qui non patitur fideles ſuos tentari ſupra id quod poſſunt ferre, ſed facit etiam cum tentatione prouentum. *1. Cor. 10. 13.*

CAPVT XV.

DE B. IANCELINO, DECIMO CARtuſianorum GENERALI.

**VIDE NOTAS.* BASIL. Succeſsit * Baſilio Patri magnus & memorabilis Iancelinus. Huius tam ſublimis fuit humilitas, & tam humilis maieſtas, vt nemo illam vel attingere; & tam feruens charitas, vt vix eam quis potuerit æmulari. Nihil in Prælato ita refulget, vt humilitas manſueta, humilitas temperata, humilitas non ſegnitie quadam ſtrata humi, ſed Spiritus ſancti magiſterio caſtigata. Hæc talis eſt, quæ nouit ſuum alumnum, ne de ſe alta & grandia exiſtimet, cuſtodire, & nihilominus in vitia culpaſque ſubditorum ſublimem ac conſtantem attollere; vt rigidus norit, ſuperbè ſe efferentes, humiliare; &

tamen

tamen manſuetudinis terminos non tranſilire. Hic in tam ſublimem ſanctitatis apicem excreuerat, & tantorum meritorum vir clarus euaſerat, vt de antiquis illis Patribus vnus putaretur. Hic (quod forſitan incredibile apparebit) annis non minus ſexaginta ipſam Cartuſiam, & vniuerſum Ordinem mira rexit induſtria, moderator egregius, & ſingularis. Hinc ſtupor omnibus factus eſt & admiratio, quòd vir ſcilicet tam grandæuus tanto ſufficeret oneri, & abundaret. Sub hoc Patre reuerendiſsimo ipſe Cartuſianus Ordo toto iam orbe diffuſus, luminis ſui gloriam humanis infundit obtutubus, & laudis ſuæ præconia per ora omniũ promulgabat. Singulari tamen prærogatiua ſanctitatis, ipſa domus Cartuſiæ præeminebat. Hinc factum eſt, vt bono ſuo, quem ſpargebat odore, virum magni nominis Petrum Frecoldi, genitorẽ Clementis Papæ IV. ad ſe attraheret, reciperet, veſtiret, retineret. Nam hic deuotiſsimè in habitu ſancto conuerſatus, etiam ibi ſepultus, quieuit in pace. Sub regimine huius beatiſsimi IANCELINI tam conſummatæ virtutis Monachi & conuerſi in Cartuſia Domino militabant, vt idonei eſſent omnes, ſigna facere. Horum vnus, cùm poſt mortem eſſet tranſlatus ad ſupe-

Præfuit ad annos ſexaginta.

Nota.

ſuperos, cœpit magnis in terris clarere prodigijs. Nam Dominus non paſſus ſerui ſui glorioſa merita ſub modio contineri, maximis illum miraculis honorabilem fecit. Finitimos quippe omnes valetudinarios, & qui varijs incommodis laborabant, excitauit Deus, vt ſi cuperent ſanitatis gratia donari, ſepulchrum inuiſerent recentis in Cartuſia defuncti ſerui ſui. Accurrunt itaque leproſi & mundantur, cæci & illuminantur, ſurdi, muti, claudi, & reformantur. Attrahuntur dæmoniaci, & repurgantur, paralytici quoque, & podagrici ad robur priſtinum eriguntur. Cumque propter hanc ſanitatum gratiam, multo iam tempore durantem, innumera hominum multitudo ad ſancti viri ſepulchrum conflueret, contigit vt domus ipſa non parua diſpendia pateretur rerum temporalium pariter & ſpiritualium. Accurſus enim & ſtrepitus hominum, ſanctorum fratrum requiem fatigabant, & temporalia eorum bona conſumebant. Diabolus quoque ſeſe his perturbationibus immiſcens, ſcandalorum etiam moliebatur inſidias. Hæc vbi vir beatus Iancelinus animaduertit, moleſtè nimium ſuorum inquietudinem tulit. Et lachrymans, hâc Dei Sancto querimoniam fudit: *Haccine eſt, ô fili dulciſſime, retributio, quam retribuiſti nobis?*

nobis? Tu in tabernaculis fiducia & in requie opulenta quieſcis, & hunc nobis inquietudinis impetum reliquiſti? Non ex æquo hæc diuiſio facta eſt. Oportet igitur, vt iiſdem, quibus Diabolum ſuperaſti, te aggrediar armis. Obedientia nempe, quæ in certaminis campo viriliter dimicaſti, & quæ tibi pacem peperit ſempiternam, fratribus etiam tuis hoc in loco tranquillitatem afferat, neceſſe eſt. Et accedens reuerenter ad tumulum, *in virtute,* ait, *obedientia tibi præcipio fili, vt ſicuti mihi, dum hic viueres, ſemper obediſti, ita & nunc mihi obtemperes. Volo igitur, vt deinceps nullum opereris miraculum: ſed potius conſulas quieti noſtræ, vti tu olim tuæ conſuluiſti.* Paruit ille, vt erat humilis corde, & nullum de cętero curationis ſignum, quaſi iuſſa paueſcens, exhibuit. Tanta ſub hoc magno Patre in fratribus ſanctitudo florebat, vt Deus quoq; fideli cuſtodia, & hos, & horum omnium ſubſtantiam vallaret per circuitum, vindex nimirum prauorum operum, vltorem ſe obiectans acerbiſsimum. Vnde illuſtris quidam, & magni nominis Princeps auſus eſt à Cartuſianis fratribus aliquid præripere violenter, & poſsidere. Quem tamen Deus, vti fecit regi Abimelech, percuſsit, ſuamque coniugem puniuit in conceptu & partu ſobolis ſuæ. Omni namque tempore, quo mulier parere debuit, non humanam effigiem, ſed pro-

digioſum quoddam monſtrum fundebat in lucem. Iſtud dum iam certis vicibus contigiſſet, illa intelligens ſe ob ſua ſcelera flagellari, rapinam reſtituit, & obtenta Sanctorum prece, filios deinceps generauit incolumes. Vna quoq; dierum cuneus quidam prædonum impetum faciens, armenta & boues omnes, quæ tum paſcebãtur in campis, violenter coram ſe minans, tentabat abducere. Cumq; non longius abijſſent, occurrit illis frater, Conuerſus illius domus, & agnoſcens ſua eſſe animalia, precatur obnixè, ne rem tam ſacrilegam attentare præſumant. At illi ſurda aure tranſeunt irridentes. Et ecce terribiles quædam antea nunquam viſæ beſtiæ repente irruunt è nemoribus, minaces, truces, formidabiles: quæ, intactis ouibus, latrones ocyus inuadunt, & membratim diſcerptos in momento. Quo facto, ſeſe ad nemus recipiunt. Tum Conuerſus pauens & tremens ad tam formidatum iudicium Dei, recepta animalia, coram ſe minauit ad clauſtrum. DION. O quàm manifeſto exemplo oſtendit Deus, verum eſſe, quod ante per os Prophetæ pollicetur: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Sed progredi ne moreris.

Zach.2.8.

CAPVT

CAPVT XVI.

DE PATRE MARTINO, ISTIVS nominis I. & Ordinis Generali vndecimo.

BASIL. Iancelino optimo Patri ſucceſſit magnificæ pietatis Martinus, vir ſcientia, ſanctitate, & authoritate clariſsimus. De quo almo, & honorifico viro hoc narrabatur, nuſquam ſcilicet in Ordine reperiri, qui illi ſcientia ſecundus haberetur, aut gratia. Erat in eo humilitas ſingularis, charitas admirabilis, autoritas auguſtalis. Scire te oportet noſtrum Ordinem lentè, & cum quadam pigritia ſemper proceſsiſſe. Faciebat quippe rigor veſtium, frugalitas ciborum, carentia neceſſariorum, abdicatio voluptatum. Hinc factum eſt, vt pauci admodum & hi ſolùm feruentiſsimi, noſtris ſe contubernijs ſociarent. Ordo autem * Ciſtercienſis, qui paulo poſt noſtrum exordium ſumpſit, mirum in modum in perſonis creuit, & domibus; & ad quatuor mundi ſe climata dilatauit. Vna dierum, cùm fratres Cartuſiæ ſub die colloquij inter ſe de his quererent, & mirarentur, quidam ex eis, loquente in ſe Spiritu DEI; his verbis triſtes ſolatus eſt, dicens: *Non fratres, agrè tuleritis illos celerius creſcere ac longius progredi, & nos quaſi inertes pedetentim*

* *Anno ſcilicet Domini 1098. Cartuſienſis verò anno 1084.*

Ordo Cartuſienſis pedetentim cur ſucreuerit.

ſubſequi. Nam Ciſtertij, vt citò creſcunt, ita & citò decreſcent: non quidem pluralitate, ſed ſanctitate. Nos verò incrementa ducimus tardiora, ſed authore Deo, & multitudine & ſanctitate durabimus, & alijs de virtutum culmine in ima ruentibus, nos mundis manibus addemus fortitudinẽ, & perſeuerabimus in Ordine & gradu noſtro. Hanc prophetiam etiã in hęc tẽpora noſtra durare conſpicimus, in quos verè fines ſeculi deuenerũt. Quod aũt tam ſegni progreſſu noſter Ordo promouit, fecit auſteritas, & religionis rigor. Hinc factum eſt, vt nonnulli Pontifices Ordinem hunc horrori ducerent, ſimul & Cardinales, nec facilè induci poterant, vt crederent eſſe ſalutiferum, quod tam inhumanum & aſperum videbatur. Vnde & Innocentius Papa olim ille Canoniſta præcipuus, cùm adhuc Cardinalis eſſet, ſolitus eſt ſanctum quendam heremitam iuuiſere, virum altiſsimis cõtemplationibus ſublimem. Qui quodam tempore adueniens, repperit eũ exſtaſi mentis abſorptum, & ita rigidum, vt & mortuus crederetur. Tum qui erant familiares Innocentij, hominem Dei cœperunt vellere, pulſare, agitare. Tandem ad ſe reuerſus, cœpit pectus ſuum tundere: & vellere crines: & lugubri voce clamans, cum lachrymis dixit: *Ego raptus ad ſeuera iudicia magni Dei, vidi mirabilia, & horrenda nimis.*

VIDE NOTAS.

nignis. Væ, & ſepties væ miſeris mortalibus, & infeliciſſimo hominum generi. Turbato autem Cardinali, & his, qui conuenerãt, & ſciſcitantibus quid vidiſſet, reſpondit: ***Ductus ſum ad Infernum, & vidi illic animas impiorum in æternas gehennæ flammas incidere, vt ſolent niues, cùm denſiſſimè cadunt ex nubibus. Poſt ad loca purgatoria perductus, illuc rariſſimè inferebantur animæ, vt mos eſt, niues deorſum minutim labi, quando nubes ninguida iam defecit.*** Deinde raptus ad deliciarum florentiſsima loca, tantùm tres illuc animas introire conſpexi, animam ſcilicet illius, quem tu noſti, Pontificis, animam cuiuſdam illius domus Cartuſienſis, & animam illius probiſsimæ mulieris Romanæ ciuis, ſingulas perſonas de nomine ſonans. At Cardinalis huius rei veritatem noſſe cupiens, vbi ſeruos ſuos miſit inquirere, repperit hac ipſa hora hos tres homines luce functos, ad ſuperna commigraſſe. Hinc factum eſt, vt venerãdus Innocentius, qui prius nimium Cartuſiani Ordinis rigorem timuit, ob eleuatum ad cæleſtia Monachum, multo eum ſit deinceps complexus amore, & nouam illi domum ſuis impenſis inſtituerit. Creuit itaq; ſub hoc Patre Martino Ordo noſter, atque adeo inualuit, vt tritum diceretur vulgo prouerbium: Vbicunq; Cartuſienſibus erigeretur horreum, citò ibi

fieri clauſtrum. Hic itaque pijſsimus Martinus, inſtar illius Turonenſis Præſulis, pauper & modicus, poſt maxima experimenta virtutum, cælum diues ingreditur. Et quia puto non tibi me eſſe oneri, ſi parumper hiſtorias attigero, dicam aliquid, quod ſcimus hoc Patre regente Cartuſiam contigiſſe. Eſt enim auditu mirabile. Mõs quidam, qui tunc temporis inter Cartuſiam & Cambriacum maximus habebatur, ſeſe à montium, cui iunctus erat, ſocietate ſecernens, ac per multa miliaria cuiuſdam vallis pertranſiens, alijs ſe montibus iunxit. Tranſiens autem villas omnes, quas in valle repperit, ocyus oppreſsit, & agros omnes ac campos lapidibus opplens, quinque hominum millia (irato eis iudice Deo) extinxit, ac præfocauit. Qui illo ipſo anno venerunt ad Capitulum generale Priores, retulerunt in Toleto Hiſpaniæ ciuitate, Iudæum quendam, dum operam daret in ſuo agro rupem comminuere, vt illi ad vineam ampliandam locus ſufficeret, inueniſſe in ipſa rupe quandam concauitatem humana induſtria comparatam. Ingreſſus autem repperit librum vnum, qui ligans folijs compactus erat. Hic liber ſcriptus erat triplici ſermone, Græco, Hæbraico, & Latino; tantundem Scripturæ continens, quantum vno poſſet ſcri-

Mirum videri queat, vnde Dorlandus hæc habeat.

ſcribi Pſalterio. Cõtinebat autẽ volumen trium tẽporum curſum, ab Adam inchoans, vſq; ad peſsimum Antichriſtum. Loquebatur enim, & pulchro ſermone ſcribebat tempus naturæ, tempus legis, & tẽpus gratiæ: & hæc tria tempora, tres mundos nuncupabat, proprietates hominum cuiuſq; mundi definiens. Principium verò tertij mundi poſuit in Chriſto ſic. In tertio mũdo, tempore ſcilicet gratiæ, Dei Filius naſcetur ex Virgine Maria, & pro hominum ſalute patietur. Hæc vbi Iudæus legit, credidit, & cum omni domo ſua baptiſmatis vnda dilui meruit. DIONYS. Hactenus ſilenter te, ac libenter audiui: nam ſaluifica ſunt & iucunda omnia quæ dicis. Sed oro, ne progredi fatigeris.

CAPVT XVII.

DE PATRE BOSONE, DECIMO ſexto Maioris Cartuſiæ Priore, ſeu Ordinis GENERALI.

BASIL. Martino optimo Patri ſucceſsit (omiſsis pleriſq; Patribus intermedijs) ſanctus Boſo, vir multa ſanctitate reuerẽdus, ingenio & doctrina admodum clarus, & præſtãti authoritate conſpicuus. Huius tã grandia apud Deũ merita clarebãt, vt ab eo, quicquid peteret obtineret. Fuit enim *VIDE NOTAS.*

magnarum virtutum atq; operum perpetrator. Et cùm in celſa ſtaret arce bonorum, eſſetque toti mundo admirabilis, in ſuis tamen ipſe oculis ſibi vileſcebat. Sublimis ad merita, ſed ad præmia capeſcenda humillimus. At ne putes huius ſanctitatem, ſolis me velle iactitare ſermonibus, vnum dicam, quo cætera tibi eius opera clariora reddantur. Quodam tempore cū in Cartuſia fabrica quædam erigetur, vnus è mancipijs ab alto ædificio in præceps ruens, ad lapides miſer ſe colliſit; & fractis, ac diſsipatis membris omnibus, animam efflauit. Hic opertoria veſte impoſitus, ſub oculis beatiſsimi Boſonis, eiuſque veſtigijs deportatus eſt. Tum orant omnes cum lachrymis, vt ſolita pietate motus, defunctum hominem, & in ſuo opere laborantem, vitæ reſtituat. Ille, vt vidit miſerabile infortunium, lachrymas fudit, genua poſuit, & fuſa ſuper eum breui oratione, abſorptum à morte ad vitæ munera ocyus reuocauit. Surgit ille integrè & incolumis, & ſeſe poſt mortem viuere, ſeq; ſibi ipſi ſuperſtitem eſſe miratur. Cui Sanctus: *Perge*, inquit, *fili, ad opus tuum, & gratias agens ei, qui te curauit optimo Saluatori, inceptam operam explere curato.* Mirántur omnes poſt tam lugubrem necem, tam celerem vitam, & ſublatis ad ſydera vocibus, Deum in

Suſcitat mortuum.

um in Boſonis meritis magnificè attollũt. Eſt apud Cartuſiam quædam ferri fodina, quæ ad ius pertinet Monachorum. Hic quodam tempore plurimi è vicinis locis homines adunati, ferrum non modicum de ſubterraneis ſpecubus extrahebant. Quod vbi vir beatus audiuit, oblitus ſuæ inualidæ ſenectutis, bacillo membra ſuſtentans, montem altiſsimum, & acceſſu admodum difficilem potenter aſcendit, & aſpectum ſuum illis exhibuit: & vt ab execrabilibus furtis animum reuocent, humili ſermone petijt, impetrauitq;. Erat nempe tam ſanctæ opinionis Pater, & tam magnæ autoritatis, vt nemo auderet eo vetante, perperam quid agere. Hinc factum eſt, vt omnes illi cum metu & reuerentia ocyus abſcederent, nec in reliquum ſimile quid facere attentarent. Hoc Patre, & toto Ordine noſtro florente, Templariorum Ordo, iubente ſummo Pontifice, ſub vna nocte de ſuperficie terræ deletus eſt, & ad impia tartara cum ſuis cultoribus commigrauit. Hi enim funeſtiſsimi & perfidiſsimi homines, omnibus Iudæis, paganis, & hæreticis ſceleſtiores, ſub agnino vellere, Chriſtianam fidem nitebantur extinguere, & Chriſtum in ſuis membris crudeliter iugulare. Tranſeo tamen hæc, credens te hæc apprimè noſſe. DION. No-

Hæc paulo aliter apud Petrum Sutorem.

VIDE NOTAS.

Templariorũ Ordo quando deletus.

VIDE NOTAS.

ui fateor, & tam occultam & generalem hominum illorum cladem nunquam ſine ſtupore reminiſcor. BASIL. Vixit ſanctus Boſo in officio Prioratus, annis quinq; & triginta. Quo ad ſuperos tranſlato, Reliquiæ eius, vt cætera mortuorum corpora, terræ mandata ſunt. Creuit autem olim herba ſuper tumbam huius almi Patris, quæ guſtata, morbos varios & febres acutiſsimas pellere poterat. Hinc aduentabāt ex diuerſis mundi partibus, viri pariter & mulieres, qui has herbas magnis precibus ambiebant. Ruſtici quoque illarum partium, in ſuis infirmitatibus non alia antidota quàm has herbas accipiunt, & accipipientes mox liberantur. Sunt præterea complures alij in hoc cemiterio ſepulti ſanctiſsimi Patres: quorum merita ſunt apud Altiſsimum, vt poſsint ſignis miraculiſque clarere, ſi fides exigat, & ſi fuerit qui requirat.

Confirmat hoc Petrus Sutor lib. 2. de vita Cartuſ. cap. 6.

CAP. XVIII.

DE INSIGNI VIRO, PATRE MAYMONE, *decimoſeptimo Ordinis* GENERALI.

Poſt beatiſsimum Boſonem, elegit ſibi in Priorem Cartuſia Haymonem, virū per omnia mirabilem. Cuius tanta fuit in diuinis libris ſapientia, vt abundè nō modò ſuam Cartuſiam, ſed etiam gymnaſia paſce-

paſceret Theologorũ. Nam & ſcripta eius, etiã his noſtris tẽporibus in pretio habẽtur, & honore. Magnus itaq; ſapiẽtia & ſcientia, ſed Dei timore & ſanctitate nuſquã inferior, Tam exuberans fuit in hoc viro contemplationis gratia, & internarum rerum cognitio, vt Prioratus officiũ ægerrimè ferret. Delinitus enim Rachelis amplexibus, & dulce eius contuberniũ gliſcens, lippientem Liam, & ad multa ſolicitam, faſtdiebat. Huius tempore Prioratus, tota Cartuſiana domus, diaboli factione, magno incendio concremata, & in fauillas cinereſq; penè redacta eſt. Sed quam dæmonis inuidia ſuccẽdit, Dei noſtri clementia rurſum reſtituit, multo quàm antea nobiliorem ac firmiorem: porrigente ad id opus toto Ordine manus adiutrices, vnà cum Principibus, & poteſtatibus mundi.

Maior Cartuſia igne deflagrat.

Sed reſtauratur.

CAPVT XIX.

DE PETRO FAVERII, PRIMO *quidem Priore S. Crucis Romæ, deinde verò Generali totius Ordinis Procuratore.*

SVb hoc Patre Haymone Petrus Faverius Monachus factus, egregiũ ſe inter cæteros militẽ geſsit. Huius cũ eſſet ſũma religio, ſũma tamen illi inerat humilitatis deuotio, & deuotionis diſcreta cõſũmatio.

Hic

Hic Prior domus S. Crucis, quæ Romæ eſt, inſtitutus, pro morum ſuorum gloria & ingenij magnitudine Procurator Ordinis Generalis, ad cauſas actitandas, in Auinione inſtitutus eſt. In hac ciuitate, in qua tunc Papa erat, cùm Ordini auxiliaturus degeret, contigit graui illum ac peremptoria infirmitate teneri. Vnde dum lecto decumberet, moriturus, venit illum inuiſere, Dei nutu, Dominus Heribertus, Prior boni paſſus, noſtri Ordinis, vt ægro eſſet ſolatio. Quem Petrus vt vidit, magno gaudio repletus, exultauit in Domino. *Gratulor*, inquit, *aduenisse te, mi ſuauiſſime frater: Nam & hoc corpuſculum trades ocyus ſepulturæ.* Dehinc facta confeſsione, ac corpore Chriſti præmunitus, ſeſe ad exitum præparabat. Patre autem Heriberto, ob ſuas operas, ab infirmo paululum digreſſo, ecce Sathan, humani generis acerrimus hoſtis, ad lectum iacentis ſe poſuit, tetrum, aſperum, formidabilem: & aperiens grande volumen, quod tenebat manibus, in quo peccata omnia ipſius infirmi, quę vnquam geſſerat, ſtylo exarata tenebat, tūq; in faciem viri Dei cum magna ſe protervia ingerens, & ſtomachum mouens, cœpit cachinnando & irridendo improperare illi ſenſim delicta ſua omnia, quæ patrârat. Hæc videns & audiens Procurator,

& timore horribilis aſpectus Sathanę plurimum conturbatus, agebat ſecum, quid ad tam frontoſam obiectionem poſſet reſpondere. Sciebat equidem ſe peccatorem, ſed longam & aſperam egiſſe in Ordine pœnitentiam, nec quicquam damnationis eſſe his, qui ſunt in Chriſto Ieſu. Verùm quia iudicia Dei abyſſus multa, & *neſcit homo, vtrum Dei amore, an odio ſit dignus*, ideo ſperabat, & tremiſcebat; fidebat in Domino, & pauefcebat. At Sathan modis omnibus operam dabat, vt in deſperationis foueam præcipitem raperet militem Chriſti. Ille verò ex aduerſo acriter pugnans, fidei ſe clypeo protegebat, & ſudans ac tremens, pſallebat & orabat, ac Diaboli pectus ſpiritalibus telis tranſuerberabat. At illa mitiſsima propitiatrix generis humani, omniumque afflictorum adiutrix promptiſsima, Dei Genitrix Virgo MARIA, videns ſerui ſui acre certamen, de ſupernis deſcendit, & inæſtimabili claritatis luce refulgens, ad lectum iacentis ſe collocauit. Stabat formoſa illa, & omnium pulcherrima Virgo, puerum ſpecioſiſsimum niueis complectens brachijs; oculiſq; mitiſsimis ſuum Petrum aſpiciens. Quam ille vt vidit, ſupra quàm credi poteſt exhilaratus, ſpiritu ſpem ſuæ ſalutis integerrimam reuocauit. PorròZabulus Diuæ Virginis

Rom. 8. 1.
Pſalm. 35. 7.
Eccleſ. 9. 1.
Diabolus fugatur acceſſu Diuæ Virginis

ginis lucem non ferens, obſcuro quodam, qui illic erat angulo, ſe recepit. Tum ſuauiſsima Virgo, oſtendens ægro ſuum Filium: *Noli* (ait) *mi frater timere, noli pertimeſcere. Per hunc nempe puerum formoſum, omnia tibi peccata condonantur.* Hæc verba vt impius Sathan audiuit, contabuit, & fuga elapſus, confuſuſque in tartara ſe præcipitem dedit. At infirmo apprimè conſolato, in cæleſtia regna Dei Genitrix remigrauit. Redeunti verò Patri Heriberto, multa exultatione perfuſus, dixit Petrus: *Ego, mi Pater, tam magna nunc ſpei fiducia vtor, tantaq́ ſum mentis conſtantia animatus, vt nec mente concipere, nec verbo id dicere poſsim. Vidi enim non in ſomnis, ſed vigil, & his oculis Dei Genitricem, ſuam vnicam ſobolem* IESVM *geſtantem, & ſalua facta eſt anima mea.* Tum cœpit enarrare Heriberto, quæ ſibi paulo ante contigerant. Sequenti nocte, poſt Matutinas, cœpit ipſe ſolus alacriter Litaniam decantare Sanctorum: cui ſe coniunxit Heribertus, vt ſuccurreret laboranti. Inter pſallendum verò, vbi ventum eſt ad locum: *Omnes Sancti orate pro nobis*, ſubitò ſurſum porrectis ad cælum oculis, manu dextera extenſa, quaſi Heriberto rem aliquam monſtraturus, cum ingenti cordis lætitia, ac ſono vocis clamauit, dicens: *Omnes Sancti qui huc modò aduenistis,*

agniſti, orate pro me. Quam poſtulationem cum ſummo ſæpe feruore reſumens, atq; ingeminans, beatum ſpiritum in Sanctorum, qui illic aderãt, manus emiſit. Dio. Hinc apertiſsimè conijci datur, eum Sanctorum præſidio vallatum inimicas acies trãſiſſe tenebrarum, & cum ipſis ad ſuperna regna Dei commigraſſe. Basi. Vnum nunc dicam, quo Haymonis S. Patris zelũ poſsis agnoſcere. Erat in Sabaudia Aymarus Comes, vir nobilis excellentiæ: qui ius aliq̃ ſibi in Cartuſiæ poſſeſsionibus vſurpabat. Erat itaq; improbus, & violentus exactor. Hic quodã tempore Capituli generalis miſit ſatellites ſuos, vt pontẽ Cartuſiæ perfringerent, & plurimas violẽtias irrogarẽt. Paruerunt crudeli domino miniſtri crudeliores. Accepta hac iniuria, veritus Pater Reuerendus, ne hęc licẽtia maioris inſolentiæ cauſa fieret, malignã Aymari audaciam Comiti Sabaudiæ, & ipſi Delphino Viennẽſi intimauit, auxiliũ iuſtitiæ cõpleri deſiderans. At hi Principes, cũ plurimũ Baronẽ hunc adamarent, ineſficacem eſſe optimi Patris querimoniam protulerunt. Vnde zelo ductus, factam violentiam Regi Franciæ patefecit. Ille re cognita, vehementer incanduit, mandans Comiti, & etiam Delphino vindictam facere in hominem peruaſorẽ: alioquin

quin ſe daturum operam, vt deſtructa ad ſolum Cartuſiæ domo, quam illi videbantur habere contemptui, aliam in ſuo regno multo hac conſtruat nobiliorem. Quod vbi Delphinus, & ipſe Comes audiuit, veriti amittere domum, quam ſummo ſemper ducebant honore, & quæ in ſuis eſt conſtituta limitibus, Aymarum Baronem, & filios ſuos, quos habebat, ligato ſibi ad colla capiſtro, Cartuſiam ire compellunt, & pedibus ſe ſubmittere ſanctorum fratrum, miſericordiam & gratiam petituros. Veniunt innodati, ſe proſternunt, petunt miſericordiam, lacrymantur. Quos vbi Prior ſanctus in pacis oſculo recepit, petit vt pro cautela ſcripto id ius reſignent, quod ſe infra Cartuſiæ limites habere fingebant, iurentque nunquam in reliquum ſe talia præſumpturos. Scripſerunt, iurauerunt, & vſq; in hanc horam iurata perſiſtunt. Præfuit annis quindecim Pater Haymo Cartuſiano regimini, ſed cùm nimium flagraret Rachelis amplexibus, inſtantiſsimis precibus egit, vt vix tandem fatigatis Patribus, ſolitarius ſibi viueret, & ſuo Deo. Sed quis nunc dignè commẽdet qualiter hic vir ſibi redditus, ſe ſuæ ſolitudini præbuerit diligentem? Tunc cœpit in eo perfici conſummata iuſtitia, & totius ſanctitatis ſublime cacumen.

men. Nec ante deſtitit mūdis manibus addere fortitudinē, & de virtute progredi in virtutē, quā videretDeum Deorū in Sion.
DIO. Magnū noſtri Ordinis principē memoraſti, cuius mihi zelus ſummopere placuit, vtinā & oēs Prælati hunc zelū induāt, ſtare in prelio pro domo Dei. Noui vnum Ordinis noſtri Priorem, qui ob ſui puſillanimitatē, cum non auderet domui Cartuſiæ obſiſtere, grandia exigenti, ne Prioris tandem ſpoliaretur officio, ingentis pretij poſſeſsionem ſuo cœnobio detruncaſſe. Vnde & vſq; in hūc diem domus ipſa manet pauperior, in æternūq; manebit.

CAP. XX.

DE VENERABILI PATRE CLARO, *Generali decimo nono.*

BASIL. Patri Haymoni ſucceſsit vno * intermedio plurimum venerandus, & non ſolum virtute, ſcientia, & fama; ſed & nomine Clarus, & dignitate. Hic Pater Clarus, ob multam, quæ in illo erat humanarum diuinarumq; rerum ſcientiam, mirabilē ſeſe omnibus exhibebat. Erat quoq; ſermone diſertus, & hortaminibus efficaciſsimus. Hinc publica de illo fama volitabat, quòd vix quempiam tota Eccleſia contineret, qui illo eſſet aut virtute præſtātior, aut ſcientia illuſtrior: atq; ideo ſecundus mūdi Clericus à pluribus vocabatur.

** Nempe Iacobo, iſtius nominis primo.*

Vocatur ſecundus mundi clericus.

tur. Secundus vtique, quia nemo illum Domino Apoſtolico honorificè præferendum arbitrabatur, qui tunc temporis erat in omni facultate celeberrimus. Hic beatus Clarus, cùm Prior eſſet Pariſijs, atque eam domum ſtrenuè gubernaret, ad regimen ſupremæ domus adſciſcitur. Vbi tam grandem fructum exhibuit, vt pluri-mos ſanctitate celebres viros, ſub ſe habere meruerit. E quibus vnum exempli gratia in medium adducam. Erat nempe illic ſanctus Ioannes Tornerius, vir magnus, & ſublimium meritorum. Hic factus Sacerdos, cùm eſſet primam Miſſam celebraturus, & non occurreret ad cāpanæ pulſum, venit Sacriſta ad cellam eius, vt vocaret eum. Et aperiens oſtium, vidit cellam totam ſplendore igneo coruſcantem, multoque lumine, ad inſtar meridiani ſolis refulgentem. At Sacriſta, cùm ſibi oculorum aciem lucis radij obtudiſſent, Dei hominem reuerenter inclamitans, orat ad Altare procedere. Venit ille, & ecce facies eius vt flamma ignis ardere conſpicitur, & lucis de ſe radios emittere ex conſortio ſermonum Dei. His viſis territus Sacriſta, & tremefactus, oculoſque ad dictam cellam ſurſum attollens, vidit (mirabile dictu) quatuor ingentes cereos ſummo lumine radiantes: qui ad quatuor tecti

Ex Priore Pariſienſi, fit Præfectus Maioris Cartuſiæ, hoc eſt totius Ordinis Generalis.

Inſignis Ioannis Tornerij ſanctimonia.

tecti angulos in ſublime porrecti, fulgurabant, & diem ipſum lucis gloria vincebant. Dehinc acceſsit ad Altare nouus Sacerdos, nouo ſacrificio, nouoque lumine coruſcus; necnon & noua gratia illuſtratus, nouam Miſſam nouus homo conſummauit, ea ſanè puritatis deuotione quam ſolus nouit Altiſsimus. Hic aliquando factus Procurator, venit ad eum ruſticus quidam, vicinus Cartuſiæ domui, deferens in manibus ſuarum poſſeſsionum literas, ſigillo munitas: ipſum ſuper ijs conſuleret, vel (quod magis credo) eas ſuæ cuſtodiæ deputaret. Adſtanti verò iuxta ſe ruſtico, iubet vir Dei (erat namq; frigus aſperum) vt ligna ac ſarmenta comportaret ad ignem. Ille ocyus obedit, ſed dum ligna proiectat ad focum, literas etiam ſuas in ignem, neſcius, iniecit. Redijt ille ad Procuratorem, de re ſua locuturus. Interea ſurgit ignis validiſsimus, & flamma ſe tollit in altum. Tandem ad ſe reuerſus, dũ ſuas literas quærit, & nuſquã inuenit, recordatur anxius, eas ſe in in rogũ coieciſſe tũc flere eiulare, ac ſeſe dilaniare & deſperãti ſimilis clamores tollere cœpit. At Procurator, vir mitiſsimus, miſericordia mot⁹, ac lachrymis perfuſus, hominẽ iuſsit Deo fidere, & parũper ab illo ſemotus, orationi incubuit. Ac tunc aduocans hominem:

Quid admirandæ rei huic eidem in Procuratoris officio contigerit.

Vade, ait, *& inſtrumenta tua, vbi ea proieciſti, eiꝰs require*. Quærit ille, & ſchedulas ſuas integras atq; intactas in medio repperit iacere flammarum. Et licet validus eſſet ignis, non tamen vel ceras ipſas diſſoluere potuit, vel comburere pergamenum. Quas vbi extraxiſſet, admirabundus eas viro Dei oſtendit, & immenſas gratias agens, illi eaſdem conſeruandas tradidit. Abiens autem, licet multum prohibitus eſſet, miraculum hoc vbique diffamauit. Sed ad beatum Clarum reuertamur. Hic etenim poſt magnos meritorum cumulos, poſt clariſsima rerum geſta, quibus effulſit in his mundi tenebris, ad lucem perpetuæ claritatis aſcendit, multo illic clarior futurus in præmio quàm hic potuerat eſſe clarus in merito.

CAPVT XXI.

DE PATRE IACOBO DE VIVIACO, decimonono Generali, qui tamen iterata vice abſolutionem petijt.

HOc itaque Patre Claro ad claros lucidoſque tranſlato, colendiſsimæ memoriæ Iacobus de Viuiaco regimini Cartuſiano præficitur. Qui amore internæ quietis & contemplationis deſiderio, iampridem hanc dignitatis ſarcinam inſtantiſsimis precibus à ſe amouerat, & iam iterum eligitur & confirmatur. Sed quis legem

Succedit illi in officio Iacobus ſecundò.

gem det amantibus? Adeò nempe inſedit cordi eius pulchræ Rachelis aſpectus & floridus amor, vt hanc gloriæ fœcundam diligeret, & Liam lippientem ægerrimè ferret. Et conuocato priuato Capitulo, egit non tam opportunè, quàm importunè, vt à Prioratus officio denuò abſolueretur. At vero omnipotés Deus, vt oſtenderet ei ſuam importunitatem diſplicuiſſe; quippe qui iam bis vocatus, ſuas paſcere ouiculas detrectâſſet, tam graui illum animaduerſionis flagello corripuit, vt & ipſe cæterique omnes noſſent pro ingratitudine ſe eſſe percuſſum. Enimuerò qui ante potuit alijs, ſed noluit auxiliari, poſt vſq; ad mortem per annos plurimos eguit adiutore. Supra modum tamen in his ſuis calamitatibus, non modò patientiſsimus, ſed & lætiſsimus perdurauit. Et erat quidem corpore infirmus, ſed robuſtiſsimus mente. Carne proſtratus, ſed animo in ſuperna porrectus. Iacebat membris, ſed affectionum pedibus cum cælicolis conuerſabatur. Hic vir ita à Deo percuſſus corpore, & mente ſanatus, tam eminentis contemplationis, tantæ ſapientiæ, tamq; ſani conſilij ac diſcretionis noſcitur extitiſſe, vt quiſquis aut conſilij, aut ſolatij gratia illum adiret, non hominem, ſed quaſi Dei Angelũ miraretur. Ob cuius reuerentiam,

Secundò rogat abſolui.

Delphinus Franciæ quã liberalis erga Maiorem Cartuſiam. Humbertus Delphinus Viennenſis, centum florenos perpetuos domui donauit Cartuſiæ pro pelliceis, & veſtibus Monachorum. Dehinc ſuauiſsimo fine quieſcẽs, multis poſt mortem miraculis hunc Deus omnipotens illuſtrem fecit, & per ora omnium memorabilem. DIONYS. Erunt forſitan, qui hunc Patrem optimum repræhenſibilem ducent, quòd nimia humilitate permotus, & internæ quietis gratia, curam refugerit animarum. Ego tamẽ longiſsimè æſtimo præferendum ijs, qui attrita fronte, ſuam imperfectionem nolentes aduertere, impudẽter ambiunt, ſeſeque ingerunt non vocati; vt Dei ouibus non tam proſint, quàm præſint: cupientes ſe dominos dici, qui ſerui vitiorum ſunt, *Nota. 1. Petr. 5. 3.* neſcientes Petrum Apoſtolum dicere: *Nõ dominantes in clerum, ſed forma gregis facti ex animo.* Tu verò rem proſequere.

CAPVT XXII.

DE VENERABILI PATRE IOANNE *Birellio vigeſima ſecunda Generali.*

BASIL. Nunc oportunè in medium ſe offert magnus, & miræ ſuauitatis vir ſanctus Ioannes Birellius, qui ſicut toti Ordini noſtro præfuit dignitate, ita & ſumma ſanctitatis gloria anteceſsit. Hic Deo atque hominibus gratiſsimus, ſicut

Deo

Deo placuit pia religione, ſic & hominibus mitiſsima charitatis exhibitione. Erat quoque autoritate & fama celeberrimus. Hinc factum eſt, vt mortuo Clemente Papa ſexto, maior Cardinalium pars hunc in ſummum Pontificem ſublimare decerneret. At Cardinalis Petragoricus, ſciens hũc Pãtrem reuerendiſsimum ſummæ æquitatis & iuſtitiæ hominem eſſe, nec quempiam contra iuſtitiam vereri, ſurgens in medium ſic confratribus locutus eſt: *Animaduerto, ô Domini mei, quòd Cartuſiæ Patrem in Pontificem feſtinatis eligere. Et quidem eſt vir ille tanto honore digniſſimus: ſed quia nos ambitioſi ſumus, & mundi huius faſtum diligimus: ille verò hæc omnia, quæ mundi gloriam redolent, totis animi medullis execratur: ſi electus fuerit, cum ſummus in eo æquitatis & iuſtitiæ rigor vigeat, pro certo ad ſtatum nos reuocabit antiquum, & pulchri obeſiq; caballi ac ſonipedes noſtri, poſt paucos dies, ad quadrigas, & ad plauſtra redigentur, & aratra. Non enim perſonam reueretur, quantumlibet ſublimis hominis; ſed pro Dei Eccleſia fremens vt leo abſq; terrore confidit.* His territi, & puſillo animo facti Cardinales, ſuis honoribus metuentes, hoc Patre prætermiſſo, dominum Innocentiũ Papã VI. in B. Petri Cathedram ſublimarunt. Qui Pontifex factus, niſus eſt hunc Patrem, confratrum ſuorũ adnumerare Collegio,

Habet, aliquot ſuffragia ad Pontificatum.

Verba Cardinalis Petragoricenſis.

Recuſat Cardinalitium. ſedis ſua humilitate ſublimis, non foris, ſed intus creſcere appetens, totis ſe viribus obijciens, nullatenus acquieuit. Iſte igitur Ioannes ſanctus, cùm potens eſſet in opere, & ſermone, ſtaretque omnium iudicio in ipſa cunctarum virtutum arce, omnes illum tanquam cæli Luciferum reſpectabant. Scribebat Papæ, ſcribebat & Cardinalibus, Regibus, Ducibus, & ſæculi poteſtatibus epiſtolas graues, fortes, terribiles: quibus & Eccleſiæ ſtatum in melius reformabat, & praua atque impia, Principum opera arguebat. Cuius equidem literas ita omnes habebant, quaſi diuinas voces miſſas è cælo. Talibus namque epiſtolis factum eſt, vt Summus Pontifex nepotes ſuos & conſanguineos minus reſpiceret, atque eis beneficia parcius largiretur, idoneis ea viris diſtribuens. Nobiles quoque lectis ſancti Patris hortaminibus, à ſuis ſe nequitijs temperabant. Amedeus illuſtris Sabaudiæ Comes hunc Patrem quaſi diuinum Oraculum auſcultabat. Cui ſæpe ſua peccata confitebatur, eumq́; ſuum Patrem nuncupabat. Comitis quoq; vxor mira hunc ſemper eſt reuerẽtia proſecuta. Ambo itaque audito Dei famulo, bona plurima faciebant. Vno dierum Comes aggreſſus eum humili prece, queſtus eſt, non ſe vnquam ex vxore ſobolem ſuſcepiſſe,

Scribit epiſtolas ad Prælatos, ac Magnates.

Impetrat Comiti Sabaudiæ à Deo filium.

cepiſſe, eò quòd ſterilis eſſet, dicens, dolere ſe ob carentiam filiorum, quòd ſua ſit ad manus extraneas hæreditas migratura. Cui ſanctus: *Confido*, inquit, *mi Domine, in proximo eſſe, vt te Dominus conſoletur. Non enim, vt tu times, alienos habebis hæredes, ſed eum, quem ex tua coniuge tibi habebis filium.* Tum orationi incumbens, Dominum pro vxore ſterili deprecatus eſt. Qui mox auditus à miſerente Deo, mulieri conceptum impetrauit, & partum. Qui fonte baptiſmatis renatus Amedeus appellatus eſt, & Patri, vti Sanctus prædixerat, in Comitatus honore ſucceſsit. Delphinus quoq; Viennenſis Humbertus, vir ſereniſsimus, hunc ſedulus colere & audire ſolebat, eiuſque præceptis ocyus obedire. Hic ſuaſus à Dei famulo, altam ſeculi gloriam ſpreuit, & Prædicatorum Ordinem profeſſus, nudum Saluatorem nudus ſubſecutus eſt. Hunc Pontius, Decretorum Doctor egregius, quem & Vrbanus Papa ſextus, ob merita & miracula eius, poſt voluit Catalogo Sanctorum aſſcribere, annis ſingulis Cartuſiam petens, inuiſebat: vt ſuus apud illum Spiritus, à curiæ tumultibus ſolaretur. Cui Confeſsionem faciens, cordis ſui ſecreta pandebat, opem, auxilium, ſolatium reportans. Hic vir Dei Pontius, etſi eſſet in omni ſcientiarum genere famoſiſ-

Pontius, vir ſanctus, inuiſit quotannis Ioannem Birellium.

moſiſsimus, hunc tamen Patrem noſtrum Birellium, tanta apud ſe authoritate ſeruabat, vt inter diſputandum, etiam in pręſentia domini Papæ, ac ſummorum Clericorum, ſententias eius, ad dictorum ſuorũ confirmationem, vt autoritate plenisſimas, ſubinferret. Hæ autem ſententiæ, tãti ſæpe ponderis erant, vt audientes ducerẽt in ſtuporem. Nocte quadam cum membra ſopori dediſſet, vox ad illum de cælo facta eſt, dicens: *Surge Ioannes, & fratrem tuum, magna ægritudine laborantem, vade inuiſere: & da operam, illi curationis adhibere medelam.* Ille attonitus, ſtatim è ſtrato membra corripit, & cogitans nullum, pro tempore illo, infirmitate teneri: mirabatur quid vox illa portenderet. Tũc verò venit ſibi in mẽtem, nuper ſe Nouitium recepiſſe, quem de Ordinis nouerat aſperitate tentari: feſtinat itaque pius Paſtor gemens ad cellam pereuntis ouiculæ, quem repperit ſacras veſtes exuere, & ſeculi habitum reſumere, & res ſuas oẽs complicare, vt aſportaret. Sed vir Dei plenus ſpiritu ſancto, verbis ſaluificis agreſſus captiuum, tanto illum verborum Dei imbre perfudit, vt hominem ab amentia reuocaret, & perſeuerantem redderet in incepto. Alius quoque Nouitius ſub hoc Patre tædio Ordinis affectus, ſub obſcuræ noctis ſilentio, habi-

habitum reijciẽs, ſeculari ſe more induit: & timens ob verecundiam à S. Patre licẽtiam poſcere, clam fugere diſponebat. Egreſſuro autem contigit, vt per cæmiteriũ præteriret. Inuenit ergo illic duos Monachos miri candoris habitu refulgentes, qui ſibi mutuò loquebantur. Mirabatur ille, quid ſibi vellet in tali loco nocturnus ſermo; quibus nec in die laxare ſilentium liceret. Optabat tamen ab ijs diuertere, nec poterat. Dum ergo tranſiret, vnus illorum iniecta manu, corripuit tranſeuntem, ac ſtare iuſsit. *Quorſũ, inquit, ah tu miſer, quorſum fugis? Quid inſanè moliris? Redi feſtinus ad cellam tuam, & reſumpto ſacro habitu, reuoca animum ab amentia, hic permanſurus: alioquin malè mulctatus pœnas dabis. Nam ſcito in hoc cæmiterio neminem ſepeliri, quin ſanctus habeatur in conſpectu magni Dei.* Quo dicto illi diſparuerunt. At nouitius ſalubri timore correptus, cellã habitũq; reſumpſit: & perſeuerãti animo, agonis ſui curſũ fæliciter cõſũmauit. Verũ quod nõ taliter facit Deus omni nationi, audies ex ſequentibus. Circa tempora huius Patris fuit in domo Ordinis noſtri iuxta Moguntiam nouitius quidam tædio affectus, habitũ reijcere cogitabat. At Prior domus, ſuus quoque Magiſter hortabantur miſerum multis ſermonibus, vt in ſancto duraret propoſito, ac permaneret. Sed fruſtra vigilabant.

Nam obſtinatus exutis albis veſtibus, ſuas induit, vnà cùm illis veterem hominem reſumens. Erat huic Nouitio in cella imago Dei Genitricis eburnea: quæ ad parietem dependebat, quamque aliquoties cóſueuerat ſalutare. Egreſſus itaque cellam, & ſeculum petiturus, genua flexit, atq; *Aue* Virgini dicens, ſeſe illi ore quidem, ſed non corde commendauit. Mira res, & dolore plena. Mox vt eam ſalutauit, imago celeri ſe motu conuertens, faciem abduxit à profugo, & dorſum illi tergaque, quaſi indignans, exhibuit migraturo. Tanquam diceret: Tu me fugis, tu me ore, non corde ſalutas: & ego tibi non faciem, ſed terga demonſtro. Verùm ille, iam datus in reprobum ſenſum, hæc videns, non ingemuit, non doluit, non lachrymatus eſt. Abiens tamen, quod ſibi contigerat, Priori & Magiſtro patefecit. Quod vbi illi audierunt, ſuadent miſero, ne ſeculum petiturus, accedat: ſed operam omnem impendat, iratam ſibi Dei Matrem mitigare. Sed ſurdus ille pariter & cæcus, ſicut minas Virginis; ita & horum ſermones execratus, abſceſsit. Cumq; illi non pateret per portam exitus, murum vilis apoſtata ſcádit, & ad vomitum rediјt ſecularem. At Prior ſollicitus pro animæ eius ſalute, & ſciens Dei furore illum ocyus comprehenſum

henſum iri; quippe quem miſericordiæ Mater fuerat aſpernata, omnem domus ſuæ familiam poſt illum miſit; vt reductus, poſſet quoquo modo ab amentia reuocari. Diuidunt ſe illi per omnes exitus viarum; hominem vagabũdum in abditis etiam ſpecubus requirentes: ita vt poſſent minutiſsimum quoque animal inuenire. Sed ille nuſquam comparuit: haud dubium, Dei indignatione conſumptus. Hanc imaginem B. Mariæ Cartuſiam poſt delatam nouimus: illicq; in teſtimonium veritatis vſque hodie demonſtrari. DION. Hic palam aduertimus, quàm amara ſeparatione diuidat Deus inter Aegyptios, & filios Iſrael. Noui quoque in domo quadam Ordinis noſtri Monachum, qui etiam Sacriſtæ officiò functus eſt: qui bis iam tranſcenſis muris fugiens, apoſtatauerat. Tertia ſimiliter vice adiecit fugere, ſed non impunè. Enimuerò Prior domus illius, cùm eſſet anxius, * familiares ſuos omnes poſt profugum miſit, ſed diligentiſsimè quæſitus, nuſquam potuit inueniri. Ecce iam anni fluxêre duodecim, & adhuc nunquam viſus, nunquam auditus eſt. Hinc multi arbitrantur, illum aut aquis immerſum, aut terra dehiſcente abſorptum, aut à latronibus iugulatum. In domo quoque non longè à noſtra diſtante, ante

* *Domeſticos intelligit famulos.*

hos

hos annos ſeptem, nouitius redijt ad vomitum. Qui paucis poſt menſibus peſtilentia tactus, cùm cerneret ſe vrgeri ad mortem, tam impatienter id tulit, vt veniam petere, & ſe Deo commendare contemneret: ſed amaro & obſtinato animo perdurans, de morte carnis, ad mortem (vt vereor) tranſijt æternæ damnationis. Verùm à propoſito digreſsi, iam ad Dei hominem reuertamur. BASIL. Vnum hoc fuit in beato Ioanne ſingulare miraculum, quòd in contemplatiua vita æquè vt in actiua perfectiſsimus habebatur. Rapiebatur enim plerumque vir Seraphicus in tam ſublimem mentis exceſſum, vt non tam homo quàm Angelus videretur. Rurſum, vt ſcriptum eſt, *aſcendunt montes, & deſcendunt campi*, in planiciem ſeſe actiuæ vitæ, ſubmittebat. Hic ad extrema deueniens, inungi petijt, & communicari. Quo facto, orat ocyus omnes, è cella egredi, & oſtium ſera recludi. Tum vires ex diuino ſpiritu concipiens, moribunda membra è ſtrato collegit, & * oratorium petens, ſeſe in pauimento proſtrauit. Tantoque lachrymarum imbre ſe perfudit, pectus feriens, ſeſe reum coram Deo vehementer accuſans, vt rugitu & inundantium aquarum profluuio, locum orationis videretur implere. At vnus è fratribus

**Locum orationi deputatum.*

bus caſu cellam prӕteriens, cùm altiſsimos ſingultus & eiulatus audiret, cellam ingreſſus, inuenit Dei hominē humi proſtratum, & adeò lachrymantem, vt verba formare non poſſet. Tum leuatus, ad lectum reductus eſt: vtpote, qui iam ageret in extremis. Accurrunt trepidi omnes, & Dominicam paſsionem, vt eſt moris legere incipiunt. Quam ille corde intentiſsimo audiebat, ac ſi nihil pateretur morbi. Nam & lectorem, cùm erraret (licet extremum anhelitum traheret) adniſu quo poterat, corrigebat. Non enim poterat Euangelicӕ veritatis verba, vt malè pronunciarentur, audire. Dehinc vbi cœpit Litania cantari, cum ſanctis, qui de ſupernis aduocabantur, ſancta anima illa carne ſoluta, ad cœleſtia commigrauit. Cuius mortem dominus Papa Innocentius cùm audiſſet, gemens lahrymanſque: *Heu*, inquit, *ſanctior religioſus, & totius mundi prӕſtantior clericus, modò defunctus eſt.* Cumque hic Papa ageret in extremis, magna contritione permotus, dixit magno cum gemitu multis ad lectum eius aſtantibus. *Vtinam anima mea taliter ante Deum appareat immunis, qualem credo optimi Patris Ioannis animam apparuiſſe.* Cardinalis quoque Petragoricenſis, qui, ne in Papam eligeretur beatus Ioannes, ſeſe obiecerat,

audita

audita morte eius, pœnitentia ductus, in hæc verba prorupit: *Væ*(inquit)*nobis Cardinalibus*, væ toti *Eccleſiæ Dei, qui talem Paſtorem habere contempſimus. Ego prohibui, & ideo væ mihi, quia & nobis omnibus obfui & Eccleſiæ Romanæ malè proſpexi.* Poſt mortem huius Patris, merita eius miraculis claruerũt. Nam Lemouicenſes, vnde hic ſanctus oriundus fuit, cognita migratione eius, auxilium ſuper ſe Domini, per eius merita, inuocabant. Et hinc factum eſt, vt morbidi, & malè habentes, patrocinio magni Patris, à ſuis infirmitatibus leuarentur. Miſit ergo ciuitas Lemouicenſis ad Cartuſiam, vt aliquid Reliquiarum eius mererentur accipere. Quibus vnum ex cilicijs eius pro grandi munere donatum eſt. Erat autem nodoſum, aſperrimo pilo contextum, & inſtar camiſiæ vndique clauſum; quod & manicas habens, & latera, vſque ad poplites deſcendebat. Tali lorica dux magnificus vndiq; ad carnem ſeptus, vſq; ad mortem contra ſpiritales nequitias depugnabat. Vnum adhuc de hoc Patre dicturus ſum, quod penè exciderat. Eſt lapis in Cartuſia poſt tribunal Eccleſiæ marmoreus, quò morientes ſoliti ſunt deportari, & ablui. Vno dierum, dum quidam defunctus, eoque præſente, frater hunc lapidem lauaret, ille compunctus, & lachrymis infuſus,

VIDE NOTAS.

VIDE NOTAS.

fuſus, in hæc verba prorupit: *Confido in altiſſima bonitate Dei, & in diuitijs miſericordiæ eius, omnem ſuper hunc lapidem morientem, lotioniſq; gratiam promerentem, iuſtum ac ſanctum diuinis obtutibus præſentari.* Non quòd lapis ille quempiam ſanctificet, ſed qui vſq; ad lapidem perſeuerauerit ſanctus, ſaluuſque reputetur. Et hæc quidem de ſancto Ioanne hactenus. Puto iam non mediocriter te refectum. DION. Apprimè refectus & adfectus ſum: quippe qui glorioſum admodum Principem in medium deduxiſti. BASIL. Non minoris eſt gloriæ, qui hunc ſequitur Heliſiarius, ſublimium meritorum Cartuſiæ Pater.

CAPVT XXIII.

DE PATRE HELISIARIO.

HIc cùm Monachus eſſet domus Cartuſiæ, in domo boni Paſſus. Prior eſt inſtitutus. Poſt verò totius Ordinis caput ob ſanctitatis ſuæ ſingularem gloriam effectus eſt. Hic tantæ auſteritatis ſibiipſi, ac rigidæ abſtinentiæ noſcitur extitiſſe, vt poſt Lauduinum, cuius ſupra meminimus, nullus illi in hac gratia potuerit coæquiri. Hinc plurimi parſimoniam eius conſiderantes errare illum, & limites fragillis naturæ excedere querebantur. Tantus in eo feruor erat diuini ſpiritus, vt vir ſanctus naturam vincere conaretur. Sed

Lib. 1. cap.

dum vincere laborat naturam, à natura aliquoties ipſe vincebatur. Cadebat quidem aſellus ſub onere, ſed ſubleuans Dei manus illum ocyus erigebat. Tam vehemens etiam erat illi, & frequens mentis exceſſus in Deum, vt diem crebrò nocti coniungeret, raptu vſque adeò perdurante. Dabat quoque ſummam operam, vt ſomnum ſuperaret, orando, pſallendo, meditando. Hinc factum eſt ſæpe, vt ambitū clauſtri circumiens, meditādi ſeu viſitādi gratia, natura vim faciēte, inuentus ſit humi proſtratus obdormiuiſſe. In aſperrima hyeme, & in magnis, quæ illic rigent, fugoribus, ſemper ferè nudus, diſcalciatuſque, ac detecto capite incedebat. Tantus enimuerò inerat illi diuinus ignis, qui eius pectora conflagrabat, vt externos algores parum reſpiceret. Vix vnquam lecto decumbebat, vix cilicium aut tunicam immutabat, niſi cùm nimium detrita, ferri vltra non poſſet Superfluum enim arbitrabatur, munditias in veſte requirere. Tam pertinax fuit hic vir mitiſsimus in vigilijs, ieiunijs, ſpiritaliumque rerum exercitijs, vt ea nec linguis promere, nec calamis quis depingere queat. Modum enim & naturam tranſ bat humanam. Sæpe etiam pſallens cum fratribus in Dei templo, viſus eſt rapi ad ſuperna, mente pari-

VIDE NOTAS.

Exemplum imitatur Hilarionis, de quo D. Hieron.

pariter & corpore ſurſum ſuſpenſus in DEVM. Miſſarum quoque Sacrificia contrito ſemper corde concelebrans, mentis ſæpenumero patiebatur exceſſum. Secretis etiam cœleſtibus, vtpote verus amicus DEI, crebrius tranſportabatur, dignus meritis, cui DEVS ſecretorum ſuorum arcana reuelet. Ad ſe inſuper reuerſus; vt noſſe daretur læta multum & iucunda illum vidiſſe, præ nimio cordis gaudio tripudiare, & quaſi inſanire præ iubilo in ECCLESIA videbatur. Crebrò namque, ob nimiam mentis eleuationem ſui oblitus, atque vbi eſſet neſcius, altiſsimas voces in DEI laudibus attollebat, quibus ab alijs plurimum notabili ſono diſcordabat. Ad ſe autem rediens, de diſcordantia, quam neſciens fecerat, verecundus, ac metuens, erubeſcebat. Dum ipſa Dominica Capituli Generalis Miſſam in præſentia tot venerabilium Patrum, qui conuenerant, celebraret, adeo circa Offertorium ſtans ad altare, raptus attollitur, vt Diaconum, calicem offerentem; & graues ſtrepitus facientem, non attenderet, ſed immobilis diu atque inſenſibilis perduraret. Erat præterea in hoc DEI viro ſummæ humilitatis ſubmiſsio. In omni nempe verbo & opere, adeo ſimplicem humilẽq; ſe gerebat,

Admiranda eius deuotio.

Inſignis, & ſtupenda humilitas.

rebat, vt multi dicerent, non hoc ad dignitatis ſuæ celſitudinem pertinere. Cumq; ab amicis ſuper hoc redargueretur, ridens lætuſque aiebat. *Verè, vt dicitis amici, nimium rudis ſum & agreſtis, atq; ideo etiam ad hanc prælationem nequaquam idoneus.* Cardinalis Mimatenſis huius, erat nepos admodum propinquus. A quo cùm literas acciperet, triſtabatur, nec vt reſcriberet, operam impendebat. Si quando neceſſe erat reſpondere, ex induſtria tam abiectè humiliterque, & in breui vilique papyro ſcribebat, vt Cardinalis ſe ab eo contemni quereretur. Et iratus dicere ſolebat, qui per illum tranſibant, Prioribus noſtri Ordinis, non ſe vltra velle ſuo nepoti literas ſcribere, à quo videret ſe aſpernanter haberi. Ipſe verò hoc audito, plurimum lætatus aiebat: Abſque dubio, id ſummopere deſidero, vt poſt hac nunquam me ſuis defatiget literis. Quid enim mihi & illi eſt? Ille ſublimis, & ego humilis: ille vnus è cardinibus mundi, ego vt vilis ſeculi peripſema æſtimatus ſum. Agat ergo ille res ſuas, & ego meas, meque dimittat in pace. Interim verò nolo, vt exiſtimes, ô Dionyſi, hunc Patrem dictandi peritia, atque ornatu caruiſſe (erat nempe ſcientia & eloquentia ſingularis) ſed ſe deſpici ac nihilipendi cupiebat. Summas certè delicias arbitrabatur,

quan-

quando deſpectio ſeſe aliqua offerebat. Sed quis talem ſciens, deſpiceret? Erat enim ob nimiam ſanctitatem plurimum venerabilis, & ob ſuauitatis ſuæ dulcedinem complexibilis valde. Sed verus mundi aſpernator, non honoribus, ſed contèmptibus lętabatur. Secundo regiminis ſui anno, vnum ex graui infirmitate oculum perdidit. Qui putans bonam ſe nactus occaſionem, amore quietis & ſupernæ dulcedinis, in Generali ſe Capitulo poſtulauit abſolui: cauſam inſinuans, turpitudinem cæcitatis. Cui Patres reſponderunt, non iuſtam ſe cauſam obieciſſe, præſertim cùm inter cætera membra corporis nullum, quemadmodum oculus, alterius ſoleat ſupplere defectum. Siquidem orbitas vnius oculi, alteri præſtat virtutem acutius peruidendi. Verùm Heliſiarius lætus, quòd faciem geſtaret informem, iocans dicere ſolebat: *Ego damnum habens, non queror: ſufficit enim mihi vnus pro voto oculus, qui faciem turpem timentem honeſtet.* Hic poſt cumulatas magnorum meritorum merces, ad cæleſtē cœpit remunerationē à Domino reuocari. Illo igitur ſupremæ ęgritudinis lectulo decùbente, fratres triſtes ac lugubres Dominum precabantur, vt eis ſuum Patrem nō auferret. Quod ille vt comperit, accitos, flens increpauit, dicens:

Perdit alterum oculum.

cens: *Quid eſt, chariſſimi fratres, quòd miſerum hominem retinere molimini? Oro Deum, vt non vos exaudiat.* Idipſum dicebat ijs, qui coram illo, eius incommoda lachrymabantur. *Oro.* inquit, *Dominum, vt lachrymas veſtras non reſpiciat* Sequente feria ſexta reuelatum eſt illi à Spiritu ſancto, quod hoc ipſo eſſet die migraturus, & cum Chriſto cæleſtia regna poſſeſſurus, Tunc ille exhilaratus, iuſsit ocyus Vicarium, & Conuentum adeſſe, vltima ſibi poſcens Sacramenta largiri. Mirabantur omnes, cùm non adeo videretur infirmus, quòd Sacramenta requireret, eius tamen votis obtemperatum eſt. Poſt hęc, cùm fratres panem & aquam, vt mos habet, tali die in prandio guſtaſſent, conuenerunt omnes, facto per tabulam ſigno, vt exitum dulciſsimi Patris Domino commendarent. Stabant filij circa Patrem, & vberrimis lachrymis ora rigabant. Illis itaq; paſsionis Chriſti, de more, legentibus, cùm ipſe ſeſe vellet erigere, & manus ad ſuperna porrigere, in manus Dei Patris Spiritum ſuum humillimè cōmendauit, ac tradidit. •Obijt verò anno Chriſtianæ ſalutis milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo, ipſo Barnabæ Apoſtoli die. DION. Virum reuera optimū humillimum, ſuauiſsimumq; in medium deduxiſti. Sunt tamen qui ſcribunt, non

VIDE NOTAS.

in

in ipſa ſexta feria, qua ſibi ſua mors reuelata eſt, ſed in ea quæ illam conſecuta eſt, hunc ſanctum Patrem ad ſuperos migraſſe. Verùm, parum id refert; hoc autem nõ puto à myſterio vacuum, quòd verus crucis geſtator amatorque, hunc diem ſibi delegerit, quo moreretur: vt qui Chriſti mortificationem geſtarat in corpore, vitę quoq; finem, ipſo quo Chriſtus die mortuus eſt, mereretur accipere. Tu verò vlterius progredere.

CAP. XXIV.

DE VENERABILI PATRE GVILIelmo Rainaldi, vigeſimo quarto Ordinis Generali.

BAS. Poſt Eliſiarium Patrem, vtile erit magnũ illum & præclarũ Guilielmum cõmemorare: virũ, qui ſingulari quodam zelo totũ Ordinẽ, ne in pręceps rueret, ſed antiquã ſeruaret dignitatẽ, oportunè continuit. Hoc nẽpe è Monachis Cartuſiæ in Generalẽ ſublimato, Vrbanus Papa V. cũ Ordinẽ noſtrũ ſingulari cõplecteretur amore, videns, Cartuſianos rigidam agere vitam, & mundi gloriam aſpernari, & ob hoc quoque eos à mundo contemni, aut (vt verius loquar) haberi formidini, conuocatis Cardinalibus, egit multo ſermone, vt rigorem Ordinis temperaret. Nouas igitur quaſdam & mitiores ordinationes inſti-

Vrbanus Papa V. ſtudet Cartuſianorum moderari rigorem.

inſtituens,miſit eas Capitulo Generali, & Cartuſiæ Priori, eaſque voluit obſeruari. Harum vna fuit, vt Dominus Cartuſiæ, Abbas in reliquum vocitetur, eo quòd Generalis, ſit totius Ordinis moderator, Abbatiſque ſtatum & gloriam gerat, vti Abbas ſuetus eſt facere Cluniacenſis. *Secunda*, vt Monachi Cartuſienſes, quemadmodũ cęteri faciunt cœnobitę horas ſemper Canonicas omnes perſonent in Eccleſijs. *Tertia*, vt more aliorum Monachorum, quotidiè ſaltem ſemel refectionem capiant pariter in Refectorio. *Quarta*, vt infirmitatis & læſæ valetudinis tempore, carnibus ſeorſum veſcantur, vt Regula tenet B.Benedicti. Hæc noua, & quæ plurimum valent ac ſacri Ordinis noſtri eneruationem cùm audiſſet reuerendus Pater VVilhelmus, ſupra quàm credi poteſt, indoluit: videns per hoc non ſecus quàm recẽti ſubintroducta nouitate, omnem Cartuſianæ ſimplicitatis, ac rigoris formam penitus ſubruendam. Multum enim hæc degenerant ab ijs inſtitutis, quæ ſanxerunt Patres noſtri. Vnde ſtatim conuocatis Prioribus, qui ad Capitulum venerant, mentem eis aperit Summi Pontificis. Sed omnium vna ſententia fuit, ſcriptis eius non aſſentiri. Aderat ibi inter Patres vir valde venerabilis, Dominus Ioannes de noua villa,

villa, Prior Auinionis, qui dudum in ſacro Palatio grande nomen ſibi acquiſierat, quique aliquando cum Vrbano ante Papatum, legationis fuerat functus officio. Hunc ergo, quia notus, & charus erat Pontifici, Romam miſit Pater Reuerendus, vt Papæ animum ab incepto deflecteret. Illo itaque ingreſſo ad præſentiam eius, & ab eo humaniſsimè ſuſcepto, Papa quaſi gratulans, quòd Ordini mitius proſpexiſſet, dixit ad eum: *Ecce mi Ioannes, ego de Cartuſienſibus benignè cogitans, noua illis atq; optima inſtituta compoſui, quæ tibi, vti credo, iam cognita ſunt.* Cui ille humiliter: *Immò* (inquit) *ô ſanctiſſime Pater, vt cum ſanctitatis veſtræ venia loquar, his inſtitutis, noſtrum Ordinem non promouere, ſed ſubuertere videmini. Cogitis enim nos transferre terminos, quos ſtatuerunt Patres noſtri.* Cumque Pontifex miraretur, ille mox ſubiecit: *Si Prior Cartuſiæ Abbas fuerit, abbatis etiam eminentiam gerat neceſſe eſt. Sed vnde quæſo illi prouentus & impenſæ, vt longam poſt ſe familiam trahat, equos alat, & ſtatum tueatur ſuum? Domus Cartuſiæ reuera inopia & paupertate premitur, & ad modicam ſummam eius prouentus omnes rediguntur. Abbas igitur in tali penuria conſtitutus, quid acturus eſt? Item ſi aſsiduè in Refectorio nos veſci oporteat, peribit iam omnis abſtinentia & parſimonia, quibus huiuſq; Ordo noſter, dum viguit, &* *Verba Vrbani Papæ.*

Diabolum ſtrauit, & carnem ſuperauit. Rurſus, ſi aſſiduè nobis in Eccleſia pſallendum eſt, pereat oportet omnis deuota oratio, meditatioq́ꝫ, ſed & ipſa quoqꝫ contemplatio, qua dicimur cæteris præeminere, defatiſcet. Solitudo & ſilentium quoqꝫ, quibus nihil eſt nobis vel ſanctius, vel antiquius, interibunt: cùm & eundo ad Eccleſiam ſemper, & redeundo occupemur. Quod verò de eſu carnium inſtitutu, omnino vt peſtiferum iudicamus: quippe vnde & magna, & calamitoſa pericula ſecutura noſcuntur. Si concedatur infirmis carnium eſus, timendum eſt, ne multi ad hunc cibum affecti, ſeſe infirmos ſimulent, aut ſi verè infirmi ſunt ob hanc eſcam libenter ægrotent. Hinc fiet, vt multi ſemper in infirmaria, pauci autem reperiantur in Eccleſia. His itaqꝫ lautitijs, Ordo deprauatus, citò lapſurus eſt, vt nunc videmus, heu, plurimos corruiſſe. Hæc vt Sanctiſsimus audiuit, conuerſus ad circumſtantes Cardinales, admirans noſtri Ordinis inſuperabilem ſimplicis induſtriæ pertinaciam, gaudens, & alacris dixit: *Dimittamus, obſecro, dimittamus Cartuſienſes in ſimplicitatis ſua conſtantia: ex quo nolunt oblatam eis benignitatem, vti gratum beneficium, amplexari* Verùm quia nunc mentio facta eſt eſus carnium, non puto indignum referre, quid Dominus ſuper hac re oſtendere aliquoties dignatus ſit. Hoc Patre VVilhelmo, ſi nõ fallor, Cartuſiam moderante, venerunt ſub tempore

pore Carniſpriuij magni quidam & ſublimes viri, vt fratres ſanctos illic inuiſerēt. Qui deprehendentes ſenes aliquos ibi, & infirmos eſſe compaſsi, rogāt Reuerendū Patrem, vt licentiam donet, qua debilibus poſsint miniſtrari carnes: præſertim cùm & tempus, & cauſa id poſcere videretur. Abnuit ille pertinaciſsimè, dicens, non oportere eos poſcere, quæ etiam admittere nefas eſſet. Sic repulſi, petunt vt vel ſibi ipſis liceat ad portam carnibus veſci. Sperabant enim Patrem ſanctum flecti poſſe, ſi coctas carnes multas pingues, delicataſque emptas, comportent. Vbi verò pontē attingunt Cartuſię diuina operatione (mirabile dictu) carnes vertuntur in piſces. In piſces, inquam, optimos, & inter ſe plurimum diuerſos. Emptores ergo cùm putāt exhibere carnes, piſces offerunt, admirantes & ipſi, nimiūq; ſtupentes. Indignati verò proceres, cùm neſcirent diuinam manum hic operari, quærunt à miniſtris, cur nō fecerint, quod eis fuerat imperatū. Reſpondent illi, in veritate ſe carnes coemiſſe, ſed vnde hi piſces venerint, ſe ignorare. Nō credūt illis, ét iuſiurandum dantibus, ſed à Conuerſo fratre, qui ſimul ierat, rem ſciſcitātur. Iurat ille, carnes quidē emptas eſſe, ſed Dei virtute verſas in piſces. Accerſitur quoq; & is, qui vendiderat: affirmat *Carnes mutātur in piſces.*

ſe illis carnes tradidiſſe, nec ſe vnquam piſces vendere ſoliturus. His cognitis, mirantur vniuerſi, miratur quoque, & gaudet Cartuſiæ Pater vnà cum ſacro conuentu, & diuina in communi præconia perſoluuntur. Coquuntur piſces, & fratribus pro pitantia miniſtrantur, & nunquam tã bonos piſces, tamq́ue ſapidos ſe aſſerunt manducaſſe. Porrò viri illi nobiles, plurimum ædificati, cum gaudio magno ad propria remearunt. Huius tempore Prioris, tota Cartuſiæ domus flebili eſt incendio conflagrata. Meridiano nempe ſopore fratribus occupatis, à parte coquinæ flammarum erupit inſania, Eccleſiam, cellas, officinaſq́ue omnes ambiens, ſub breui momento cuncta in fauillas cinereſq́ue redegit. Tum Prior, vt par erat, animo conſternatus, hortatur omnes, vt libros, quos poſſunt, é flammis eruant. Eruti ſunt plurimi, & plurimi conflagrati. Hinc oportuit omnes deſcendere ad domum inferiorem, ibiq́ue manere in magna neceſsitudine & penuria victitando. Cum autẽ ſanctus Pater VVilhelmus, vti erat vir admodum timoratus, formidaret, ne ob peccata aut ſua, aut ſuorum iſtud Deus incendium ſuſcitarit, hoc pacto meruit à Domino conſolari. Erat in Sabaudia virgo Sanctimonialis, Deo & familiaris & grata.

Comburitur denuò Maior Cartuſia.

grata. Hæc vt agnouit huius pijſsimi Patris anguſtias, poſt acceptum à ſupernis diuinum Oraculum, miſit Cartuſiam, qui Patri dicerent in hæc verba: *Noli Pater reuerende, noli mœrore tabeſcere, noli timere. Non enim ob culpam, aut tuam, aut tuorum hæc tibi calamitas obuenit, ſed maligni hoſtis inuidentia hæ flammæ ſuſcitatæ ſunt, qui domum tuam, ob ſacræ religionis obſeruantiam, molitur extinguere. Erit quidem peſtifer ille quod potuit, ſed citius commentum maligni in ſuum caput Deus optimus retorquebit. Nam quæ nunc domus iacet in cineres reſoluta, multo quàm ante excelſior reflorebit.* Quod quidem propheticiſſæ verbum ocyus completum eſt. Nam Summus Eccleſiæ Præſul, Gregorius vndecimus, audita domus conflagratione, ingemuit, & maximam auri ſummam, qua domus repararetur, impendit. Cardinales quoque, & Reges, tum Angliæ, tum Franciæ, tum Nauarræ, vnà cum Epiſcopis, & Eccleſiæ Prælatis, ſeculique diuitibus, largam manum adiutricem contulerunt. Et hęc ſecunda eſt domus Cartuſienſis deflagratio, ſed & reparatio prima facta eſt ſub Patre Haymone, ſecunda ſub hoc Patre. Cuius etiam tempore grande nimis & diuturnum ſchiſma in Eccleſia pullulauit. Quòd ſi, Lector, noſſe volueris, noſtri Ordinis Chronicas ſcruteris oportet. Præ- *VIDE NOTAS.*

fuit

ſuit autem almus Patre VVilhelmus toti Ordini annis ſex & triginta, & plenus dierum quieuit in pace, anno Domini milleſimo quadringenſimo tertio, menſe Iun. DION. Non dubium eſt hunc Sanctorum Patrum præcedentium Catalogo aſſcriptum: qui zelo iuſtitiæ feruens, eas leges nó eſt paſſus excidere, quas ante ſtatuerant Patres ſui. Nunc ergo progredere.

CAPVT XXV.

DE HONORABILI ERVDITISSImoq; Viro, Patre BONIFACIO, *cognomēto* FERRARIO, *vigeſimo quinto Ordinis* GENERALI.

BAS. Hūc VVilhelmū ſanctus ſubſequitur Bonifacius: vir nominis ſui ethymologiā egregiè exprimens: quippe qui à Deo didicerat benefacere, benedicere bene & ſalubriter cogitare. Hic Valētia, clariſsima Hiſpaniæ ciuitate oriundus, ex antiqua generoſaq; Ferrariorū familia ortus ſui pręmordia traxit. Habuit quippe parētes apprimè ſecundū ſeculūm nobiles, ſed multò, ſecundū Deū, nobiliores. Hi præter quæ illis erāt vſui, rei familiaris neceſſaria, bona ſua omnia pauperibus erogabant. BONIFACIVS autem à teneris annis bona agere incipiens, de rudi indole, futuræ probitatis optimum expreſsit indicium. A laudis nempe puerilibus animum

mum abdicans, optimis ſeſe ſtudijs mancipabat. Hinc factum eſt, vt ſtatim poſt viceſimum ætatis ſuæ annum, vtriuſque Iuriſconſultus, & omnium ſui temporis ſpectatiſsimus haberetur. Hic parentum voluntate compulſus, vxorem ſuo generi, ſuiſque moribus conſimilem duxit. Cuius tanta vitæ probitas, tantarum experientia rerum, prudentia quoque tam ſingularis emicuit, vt magnæ Valentiæ ſuæ Rector, omniumque primus inſtitueretur. Eminebat enim ſupra cæteros ſapientia, induſtria, cum grauitate ac fortitudine: quibus tam grandem atque illuſtrem vrbem cum fauore ac plauſu omnium moderabatur. Erat quidem ſublimi gloria conſpicuus, ſed animi bonitate ſubmiſſus; & ob id ab omnibus & colebatur & amabatur. Hic Bonifacius habebat fratrem Vincentium nomine: cuius ſanctitatem & gloriam totus concinebat orbis terrarum. Hic ille eſt magnus Vincentius, Apoſtolica ſublimitate non impar, vir magnarum virtutum, vir ſpiritalium opum, ac meritorum admodum glorioſus. Qui adultus, Ordinem Prædicatorum eſt ingreſſus, Diui Dominici Patris Regulam poſtmodum profeſſus. Hic cùm apud oēs fama celeberrimus haberetur, niſus eſt ei Diabolus turpiſſimam

Compellitur à parentibus uxorem ducere.

Fit Rector Valentiæ.

Eſt frater Vincentij Ferrarij.

VIDE NOTAS.

ſimam ſtruera infamiam, à qua per Boni-
facium hunc ſuum fratrem eſt liberatus.
Erat nempe in cœnobio, vbi ſanctus Vin-
centius morabatur, Sacerdos Monachus,
homo ſuperbus & lubricus, qui bona Vin-
centij opinione plurimum grauabatur.
Hic vnà traxit in cellam ſuam fœminam
meretricem, ad lucem obſcœnis operibus
ſeſe polluit. Cumque hanc abeuntem non
ſatis muneratur, illa pretij exiguitatem a-
ſpernata, quæſiuit ab eo, quo nomine vo-
caretur; vt illum publicè infamaret. Tunc
ille ſuo ſuppreſſo nomine, & vt Vincen-
tio inuidiam conciliaret, *ego*, inquit, *Vin-
centius vocor.* Egreſſa mulier, vt erat impu-
dentiſsima, cœpit vbique per vrbem Vin-
centium, quòd ſibi condormiſſet, inſama-
re, & pretium oſtendere, quod dediſſet.
Hinc homines repente innocentiſsimum
hunc virum execrãtes, hypocritam illum
falſariumq; paſsim vocitabant: adeo vt
nemo nomen Vincentij, niſi cum dedeco-
re proferebat. Audiuit hæc Bonifacius, &
ſciens fratris ſui caſtam inocentiam, vim
omnem adhibuit, vt erat acri ingenio,
quò à turpi infamia leuaretur. Et accer-
ſens in ſenatum meretricem, *dic mihi*, in-
quit, *ô mulier, ſi tecum frater Vincentius dormi-
uit.* Etiam, ait, illa & hos nummos dedi mi-
hi pro munere. Cui Bonifacius: *Etſi*, in-
quit,

Habes hoc exemplum lib. 1. vitæ S. Vincentij, cap. 14. Tom. 2. Surij.

quit, *hominem videres, poſſeſné illum de facie agnoſcere?* Poſſem illa reſpondit: Nam faciem eius abiens annotaui. Ecce, ait Bonifacius, hodie futura eſt in vrbe Proceſsio generalis, & neceſſe erit fratres Prædicatores iſtuc vnà cum cæteris præterire. Tu igitur cùm tranſeunt, digito nobis illum oſtendito. Faciã, inquit. Paulo poſt venit Proceſsio. Cumque fratres Ordinis Diui Dominici præterirent, præterijt & Vincentius. Et Bonifacius: *Eſt ne,* inquit, *iſte, quem tecum aſſeris rem habuiſſe? Non eſt,* ait mulier; *non eſt ipſe. Nam præterquam hodie, nunquam hunc hominem vidi. Poſt modicum venit alter ſacrilegus ille frater.* Tum mulier protenſa manu: *En illic vadit, qui integra me nocte abuſus eſt.* Statim iubet Poteſtas Monachum introduci: *Tune,* inquit; *ille es, ô frater qui huic fœminæ condormiſti?* Cumque ille negans palleſceret, ac tremeret, ait Poteſtas: *O inuide & immunde Sacerdos, non es veritus, offenſo Deo, teipſum cum meretrice polluere, ſed & luxuriam tuam homini innocentiſsimo imputaſti.* Certè nunc dabo operam, vt pœnam ſoluas ſcelerum tuorum. Ille territus, procidit gemens, ac veniam petens, ad Bonifacij pedes; & rem omnem, cunctis audientibus, enarrauit. Gratulantur omnes, Vincentium mala opinione ſolutum; & commentum maligni in pro-

prium caput retortum. Fiunt hæc nota vniuerſæ vrbi, & famam, quam amiſerat, germani ſui opera, ¡Vincentius recuperarauit. Porrò Monachus ille, conſcientia pellente iniqua, Vincentium, hæc omnia neſcientem, adijt: rem omnem ex ordine pandit, veniam cum lachrymis petit, & Vincentius, vti erat vir mitiſsimus, culpā omnem ocyus remittit. Non audet tamen ille ſine ingenti rubore vſpiam faciem attollere, ita ſeſe infamauerat, cùm Dei ſanctum cuperet infamare. DIONYS. Lætor hunc in foueam, quam parauerat, corruiſſe. Iam tu rem cœptam proſequere. BASI. Vxore defuncta, res omnes in pauperes diſpertiens, Ordinem noſtrum Bonifacius eſt ingreſſus. Nam ſpreta altiſsima ſeculi dignitate, & mundo valefaciens, domum noſtram iuxta Valentiam, quæ cæli Porta appellata eſt, deuotiſsimè ſubintrauit. Receptus, & probatus, fidelis inuentus eſt. Accepto verò habitu, tam ſublimia conuerſionis indicia cunctis oſtendit, vt iam in perfectorum numero poſſet meritò æſtimari. Tanta namque inerat illi in corde humilitas, in opere charitas, in mente puritas, in carne caſtitas, in pectore pietas, in ore veritas, in ſermone raritas, in victu parcitas, in habitu ſimplicitas,

Bonifacius ſeculo renuntiat.

Ingreditur Cartuſiam prope Valentiam.

Catalogus virtutum eius.

taſſin oratione ſedulitas, in contemplatione ſublimitas, in aduerſis longanimitas, & cunctos duceret in ſtuporem. Huius felicis ſanctitatis tanta fragrantia fuit, vt ad Cartuſiam vſque odorem aſpergeret ſuum. Vnde & pij fratres afflati, hunc BONIFACIVM, defuncto VVilhelmo, in Generalem Ordinis Patrem elegerunt. Venientem autem cum ſumma reuerentia exceperunt: quem & pro nobili dignitatis ſuæ ſanctimonia, vſque in finem magno ſtudio coluerunt. In vtraque etenim vita, vtraque manu pro dextera vtebatur: quippe qui plurimum toti Ordini, plurimum etiam Eccleſiæ contulit Chriſtianæ. Hæc enim tunc graui ſchiſmate laborabat, quatuor Pontificibus Papatum ſibi diſtrahentibus. Huic amariſsimo vulneri medicus acceſsit almus VINCENTIVS, & hic noſter BONIFACIVS. Erant namque hi duo gemina quædam luminaria mundi, & columnæ in templo DEI: quibus tota Eccleſiæ innitebatur fabrica, ne corrueret: Hi duæ oliuæ, & duo candelabra aurea, quæ lumen ſuum toto ſpargebant orbe terrarum. Hi duo triumphatores, & amici Dei, qui deprædantis lupi faucibus prædam eruebant, & ſuo Domino

Eligitur in Priorem Maioris Cartuſiæ

VIDE NOTAS.

conſignabant. Tandem Bonifacius poſt innumeras de inimico victorias, poſt cumulatas meritorum merces, Deum ardentiſsimo corde deſiderans, felicisſimè animam Chriſto conſignauit, fratre Vincentio in humanis ſuperſtite derelicto. DIO. Libens & gaudens audiui, quæ de hoc magnifico & præcellenti Patre memoraſti. Sed nunc ad reliqua perge. BASIL. Pareo libens. Dabis tamen veniam mihi, plurima ignoranti, & infirmæ memoriæ non facilè ad liquidum omnia retinentis. Impoſsibile enim mihi eſt, cunctos Cartuſiæ Patres laudibus proſequi, præſertim cùm geſta eorum, aut ſcripta non ſint, aut certè temporis diuturnitate deleta. In genere igitur pauca tangamus.

CAPVT XXVI.

DE RELIQVIS ALIQVOT MAIORIS *Cartuſiæ Patribus, ſeu Generalibus; quorum nomina, ac res geſtæ obiter hic commemorantur.*

BASIL. Fuerunt itaq; præter hos, quos prius commemorauimus, & alij complures Cartuſię priores, Ordinis ſacri moderatores præſtantiſsimi nempe Hugo, Bernardus, Riferius, Gerardus, VVilhelmus, Henricus, Ioannes, Franciſcus, Antonius, & plerique alij, quorum me & nomina latent, & opera. Hi omnes trium-

VIDE NOTAS.

pha-

phatores ſecularium voluptatum, corporumque ſuorum acerrimi domitores, mēte humiles, animo ſublimes, morum ſuauitate pollentes. Quorum ſemper in pectore pax, pietas, bonitas; quorum ſemper in ore veritas, in ſermone raritas, in opere autem charitas refulgebat. Diuitias omnes rerum caducarum, deliciaſq́; corporales, tanquam animarum peſtes, exterminiaque fugitabant, paucis contenti perſonis, certas agrorum, ac pecorum poſſeſſiones, ac limites, vt impoſturam facerent auaritiæ, ſtatuerunt. Horum ſemper fuit cura, non opibus creſcere, ſed virtutibus; & quicquid verarum opum, à Patre luminum impetrabant, id occultiſsimo ſecretorum ſinu curabant occulere. Hinc factū eſt, vt horum vnus Priorum Cartuſiæ, vir Deo ditiſsimus, vt vanæ gloriæ fugiens oſtentationem, propheticam ſemper vocē ore ſonaret: *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi.* Hic defunctus, cum magnis clareret miraculis, & multi remediorum gratia infirmi, eius ſepulchrum viſitarēt, & ob id tumultus non modicus ſanctis fratribus naſceretur, ſucceſſor eius adiens tumulum, virtute obedientiæ cohibuit vltra ſigna fieri, rogans cur Prophetæ ſermonem illum non ſeruaret extinctus, quē viuus docere ipſe conſueuerat. His admo- *Eſa.24.16.*

nitus, prodigia in reliquum exhibere ceſſauit. quanta quoque in his fratribus ſecularis honoris fuga, id me referente cognoſces. Cum tempore quodam vnus ex his Patribus ad Pontificatum eſſet electus, venirentque electores, vt eum ad ſuam Sedem cum honore traducerent, renuit illo vi maxima, ac penitus contradixit. Cumque illi acrius inſtarent, dixit vni eorum, qui præſtantior habebatur. *Scito*, inquit, *mi frater*, nolle me Epiſcopum fieri. Sed quæſo te, perſeuera mecum hoc in loco, vſque in lucem ſequentis diei. Cras enim huius rei rationem agnoſces. Illo permanente, obijt ſanctus Pater ipſa nocte, & humana exuens, cæleſtibus eſt inſertus. Manè facto in multa lucis gloria viro, vti promiſerat, apparuit, illo precibus incumbente: cui & dixit: *En, vt cernis, in numerum aſſcriptus ſum beatorum, ſed ſi Pontificis fuiſſem onus aggreſſus, damnatorum me numerus excepiſſet.* Hæc dicens, culmina cæli, viro inſpectante, lætus aſcendit. Fuerunt tamē nonnulli noſtri Ordinis Priores, qui in magnis Eccleſiæ dignitatibus degentes, nec labefactari poterant, nec corrumpi. Horum vnus, vt ceteros omittam, magnus ille Anthelmus eſt habitus. Qui cùm eſſet mortuus, inuētū eſt corpus eius exeſum, acutiſsimis vndiq; conſtrictum funiculis,

Cùm

Cùm Summus Pontifex quendam Cartuſiæ Priorem ad Cardinalis vellet gloriam ſublimare,& ille renueret, iratus Papa ſententiam excommunicationis in illum protulit. Quæ ille vincula, humilitatis amore,per menſes aliquot pertulit patienter. Aggreſsi itaque Cardinales Papam: *Quid*,inquiunt, *viſum eſt ſanctitati tuæ, beatiſſime Pater, obſtinatũ in humilitate Cartuſiæ Priorem diutius innodare? Diſſolue,ac dimitte hominem. Nam ſi huc venerit,ſuum equitabis aſellum, & equorum noſtrorum gloriam ſua paupertate confundet.* Acquieuit orantibus Papa, & ſolutus Prior,ſua eſt in pace dimiſſus. Vno dierum, cùm quidam ex ipſis Patribus Dominum precaretur, vt mitteret operarios in meſſem ſuam, eò quòd tum pauci in orbe eſſent, qui Dei verbum plebibus ſeminarent, flenti & lachrymanti dictum eſt à Domino: *Bono animo, mi fili,te eſſe iubeo. Videbis nempe in breui quadrifarium prædicantium numerum, qui & hæreſim Albigenſem extinguant, & fructum non paruum faciant in populo ſancto Dei.* Paruo itaq; poſt tẽpore venit Cartuſiã S.Pater Dominicus almos fratres inuiſere cõſiliũ,ab ipſis,vt prędicaret accipere, & habitũ aſſumere, ſine clauſura vittarũ. Hic habitus ẽt poſt per ſacrã Dei Genitricẽ cuidã fratri eſt per viſũ oſtẽſus: parũ tamẽ à noſtro diſcrepãs.PoſtDomini *S. Dominicus inuiſit Maiorem Cartuſiã.*

nos autem fratres, venerunt Minores, Carmelitæ, & Auguſtinenſes, qui in diem vſque hodiernum, magnos dant vndique in vitia hominum, ſcileraque latratus.

De quo lib. 4. cap. 10.

Vnus horum Patrum, quem ſanctum fuiſſe Baſilium autumant, cùm Miſſam celebraret, ea, quę ſoli Deo erat cognita, puritate, in ipſa ſacræ Hoſtiæ eleuatione vidit ſuus ſeruitor innumeros circum Hoſtiam cuneos Angelorum, qui alis ſuis Chriſtum attingere videbantur. Ille veritus, ne Sacramento aliquam facerent iniuriam, extra ſe poſitus, clamitabat: *Modeſtè* inquit, *modeſtè, ô Angeli, vos gerite, neſciens quid diceret.* O felicem errorem, qui de puritatis contemplatione deſcendit.

Quid non facit exaltatus in Deum affectus.

Sanctus Heliſiarius Pater cùm Sacriſtą ſuum (qui vltra horam conſuetam pulſare tardabat) è cella euocatum adueniſſet, vidit eum extra ſe raptum ſublimem in aere dependere, & magna vndique fulgentem luminis claritate.

Hiſpani, Cathalauni, & Itali Patres noſtri, dum ad Cartuſiam olim venire conſueuerant ad Capitulum Generale, collectos de ſanctorum Patrum ſepulchris herbarum ſuccos, in medelam ſeruabant febrientium, quòd multi (vt adſerebant) ſueti eſſent ijs remedijs ſubleuari. Vno dictum venerabiles viri Cartuſiam viſitan-

tes,

tes, cùm in fratrum quorundam infirmitatem, obſiſtente tamen Priore, carnes juſsiſſent afferri, vbi Cœnobij pontem attigerunt, in piſces optimos verſi ſunt. Qui cocti & infirmis appoſiti, omnem mox languorem depulerunt.

Tempore quodam, dum vnus è Prioribus circa domus ſuæ ſtructuram aliquid operis impenderet, acceſsit ad eum vir quidam magni nominis, cui tamen ſtomachus ardenti inuidia implebatur: *Vos Cartuſienſes*, ait, *circa vrbium municipia commorantes, Chriſtifidelium panem in otio & deſidia, plenis faucibus deuoratis. Nunquam populo Dei verbum dicitis. Nunquam aut Confeſsiones auditis, aut Sacramenta præbetis, ſed vacantes otio, tempus inſumitis. Id ego ſolus non dico, ſunt plurimi qui id aſſeuerant.* Erant autem vir iſte de numero fratrum Prædicantiū. Cui ſanctus Prior humiliter ita reſpondit: *Mi omnium chariſsime Pater, nos hic* (vt tu dicis) *otioſe non viuimus, ſed huc venimus, illud operibus viuendo complere, quod vos ſoletis verbis plebi prædicare. Et id multò libentius remotiſsimis deſerti, ac ſyluarum in locis faceremus, ſi eſſent qui nos à maleficis furibus, raptoribusq; defenſarent. Nam ſolos hos propter vicina vrbium loca delegimus* Qui humili hoc verbo in corde percuſſus, Cartuſienſibus ſemper poſthac ſeſe præbuit amatorem. Animaduertit enim

Cartuſienſes fratres eos eſſe, qui vitam ſalutiferā prædicant, non turgidis aut leuibus afflatā verbis, ſed ſacris moribus inſtitutam. Ipſi nempe ſunt, qui pro futuri iudicij teſtimonio crucem ſuam quotidie carnis mortificatione circumferūt; Chriſti fidem proprio ſanguine conſignantes, & nunquam in corpore (exemplo Hieremiæ) lætum diem hominis requirentes. Id enim multo plus ad bonam vitam proximum inuitat, quàm decem milia verborū. Ecce habes pauca de pluribus, reliqua autem, quæ dici poterant, aut edax rerum omnium obliuio aut ſcriptorum ſegnities amputauit, Verum quia in longam noctem ſermo hic noſter abijt reliquum eſt, vt lectis, Cōpletorijs, membra ſopori demus, vt Matutinam Synaxim alacriores Domino præſentemus. Quæ verò ſuperſunt, in aliud tempus exiſtimo reſeruanda Vale. Dion. Amo te, & gratias ago, optimè refectus. Tu quoquè ſal ue, gaude, & vale in Domino.

Hieremiæ 17. 17.

(?)

Finis Libri quarti.

PRAE-

PRAEFATIO BREVIS IN Librum quintum.

DEſcriptis quatuor Cartuſianæ coronæ libris, ad quintum progredi meditamur. Verum ſciens nonnullos eſſe fratrum noſtrorũ, quibus Dialogiſticus ſermo diſplicet: quippe qui quaſi minus idoneus ſit, vt poſſit in publicum recitari, ſtatui rogatus, prioris ſcriptionis formam dimittere, & reliqua quæ dicẽda ſunt, cõtinuata voce proferre. Et quoniam in ſuperioribus libris maiorũ Cartuſiæ Patrum ſanctorum laudes, vtcunq; tetigimus, nũc ſupereſt, vt vndequaq; collectos, de diuerſis domibus Ordinis noſtri Sanctos, ſuccincto ſermone premamus.

CHRONICI CARTVSIENSIS LIBER QVINTVS.

CAPVT I.

DE B. PETRO PETRONIO, SENENSI.

INter hos primus occurrit ſanctus Petrus Petronius, Senenſis, Pater admodũ ſanctitate venerabilis, Deo & hominibus verè dilectus. Hic ſubmiſſam ac profundã nimis noſcitur habuiſſe humilitatem: vſque adeo, vt pollicem ſibi abſciderit, ne ſacerdotij officio (quo ſe reputabat indignum) fungeretur, Marci Euangeliſtæ imitatus exemplum, & Ammonij, ſanctiſsimi heremitæ, qui ſibi *VIDE NOTAS.*

vnam

vnam aurē cultro præripuit, ne quaſi pollutus & mutilatus Sacramenta tangere cogeretur. Exempla autem hæc, etſi ſcripta ſint, tamen, niſi ſpiritu Dei cogente, imitanda non ſunt. Huius Diui Petri tam ſublimis vbiq; ſanctitas ac ſanctitatis ſerenitas promicabat, vt multa miraculorum, per populos, luce clareſceret, & plurimos à vitiorum tenebroſa caligine reuocatos, ad verum iuſtitiæ ſplendorem; qui Chriſtus eſt, reuocaret. *Hac eſt enim* (vt Leo Papa ait) *verarum natura virtutū, vt multos à tenebroſo abducat errore, qui earum clarus eſt lumine.*

Leo in Serm. de S. Laurentio, in princip.

Cap. II.

De Gvilielmo, Laico, sev Conuerſo Cartuſiæ Caſularum, prope Genuam.

** alias Genuenſium.*

DOmus Caſularum * non longè ab illuſtri Ianuenſium vrbe, vicinioris Lombardiæ ſita dinoſcitur. Hæc olim habuit virum beatiſsimum Guilielmum nomine, Conuerſum, laicum doctrina ăc ſcientia ſimplicem, ſed vita ſpiritali moribusq́; doctiſsimum, hunc ferunt innumeris claruiſſe miraculis in vita, & etiā poſt mortē. Hic vir beatus, ſolitus erat magna ſæpe pietate affici ad Chriſtum Deum noſtrum Crucis ligno affixum. Vnde quodam die cum infuſus lachrymis, ſtaret ante imaginem

ſiem crucifixi, & tanquam cum Deo præſente, ac patiente, dulci murmure muſſitaret, Chriſtus oſtendere illi volens, paratam ſibi eſſe hanc pietatis induſtriam, de cruce cœpit VVilhelmum benigniſsimè alloqui, & cor eius immenſa dulcedine conſolari, ac ſeſe in viſcera animæ eius traijciens, ſpiritum ſancti ſui ſecum pleniſsimè crucifixit. Hinc factum eſt, vt totus ille Chriſto immerſus, nunquam poſſet, niſi cum maximo fletu, crucifixi Saluatoris reminiſci.

CAPVT III.

DE B. MARGARITA LVGDVNENſi, Ordinis noſtri Moniali, ac Prioriſſa.

IN Diœceſi Lugdunenſi vnam duntaxat domum Monialium noſtri Ordinis ſitam cognouimus. In qua anno ſalutis milleſimo treceнteſimo quinto inter cæteras ſanctiſsimas virgines floruit alma ſoror Margareta, quæ ſicut cæteras officio dignitatis (erat nempe Prioriſſa) ita & eminentia ſanctitatis longiſsimè anteceſsit. Hæc ob virginitatis ſuaue olentem, adeò eſt Chriſto Domino familiaris effecta, vt cum eo, quaſi ſponſo dulciſsimo, ſæpe loqueretur. Apparens autem illi ſuauiſsimus integritatis amator, librum pulcherrimis literis ſcriptum, ſecum afferebat, quem ante eius faciem oppandens ac legens,

gens, cæleſtem virgini ſapientiam infundebat. Dehinc ſuauia inter ſe colloquia miſcentes, cùm longum tempus vitæ ſermonibus tranſegiſſent, Saluator, poſtquã eſt eam apprimè conſolatus, reuolauit ad ſuperos, eam & plenam relinquens & fameſcentem. Vno dierum cùm Miſſæ Sacrificio intereſſet, & Chriſti corpus ipſa ardentiſsimè eſuriret, Dominus ſciens ſponſæ ſuæ implacabilem famem, partem Hoſtiæ de manibus tulit Vicarij, tunc cõſecrantis, & in os ſuæ amatricis ocyus iniecit.

CAP. IV.

DE S. VIRGINE BEATRICE.

Circa annum ſcilicet 1305.

SAncta Beatrix virgo prudentiſsima floruit illo ipſo tempore, quod ſupra iam memini, in domo Ordinis noſtri, quã aliqui *permagine*, vocitant. Hæc ardentiſsimo amore ad Chriſti vulnera ferebatur. Vnde vnum dicam, mirabile quidem, nec imitabile tamen. Adeo illi IESV vulnera impreſſa atq; infixa manebant, vt non niſi vulnera cogitare, vel appetere poſſet. Hoc tali peruſta deſiderio, vno dierum amoris impatiens, duos clauos ferreos furtim corripuit, & adhibito malleo manus ambas ampliſsima plaga tranſfixit. Quis hãc virginem excuſet, niſi ardor ſpiritus, qui eam ad hoc opus adegit? Portabat clam ſemper

Valde afficitur erga Chriſti vulnera.

hæc

hæc vulnera ſub longioribus manicis abſconſa, & ſingulis ſextis ferijs, impreſsis infixiſque ſpiculis iterum inſcindens, nouo ſemper ſe martyrio cruciabat. Sed vnde pro Chriſto carnem vellicabat, inde mentem interna conſolatione fouebat, vt fieret cum Chriſto ſocia dulcedinis, quæ ſociam ſe crucis fideliter exhibuerat. Hinc factum eſt, vt ſæpe Chriſtus cruci affixus, oculis eius ſeſe palam oſtenderet, vnde incomparabilem amoris gratiam animæ ſuæ medullis ſenſit infundi. Habuit præterea plurium ſecretorum ſibi reuelata myſteria: quæ quia humilis erat, ac ſubmiſsi admodum animi, nunquam voluit promulgare.

CAPVT V.

DE FRATRE, QVEM VIRGO MAria confortauit.

IN Ducatu Gelriæ habemus Ordinis domum in oppido, quod Ruremundam dicimus. Olim illic, ſicut ipſe legi, habitauit ſanctus quidam frater, qui Diuam Virginem DEI Genitricem ardentiſsimo venerabatur affectu, & miris eam ſemper ac ſublimibus præconijs attollebat. SALVTATIONEM quoque ANGELICAM aſsiduè illi deuotus offerens, aures mitiſsimæ Genitricis

ſuaui

ſuaui modulamine demulcebat. Vndè quodam die, cum ſolus in Capella ſolitas laudes, ſed plus ſolito inflammatus inſonaret, & pium benedictionis eius Sacrificium, in holocauſta tranſiret, perfuſus lachrymis, in oſculum pulcherrimæ virginis totus exarſit, his eam vocibus compellans: *O roſa Virginum, ô philomena cælorum, ô chariſſima in delicijs ſuauiſſimè frangrans, quam Deus oris ſui oſculo eſt oſculatus, tu ſcis, quid maximè cupiam, ô mitiſſima, tu cordis mei vota ſcrutaris. Præſta nunc mihi (te deprecor) ſicut noſti cor ſerui atq; humilis amatoris tui.* Hæc diuino igne calentia vota, vt vidit meliflua virgo Maria, cuius venæ omnes melle ſunt plenæ, non ſe vltra valuit cohibere, ſed in ſua imagine ab altari deſcendens, ac ſplendenti luce coruſcans, Chriſtum Filium in altari depoſuit, & ad anhelantem famulum benignè deſcendit. In quem dulcia lumina figens, poſt complexum miſericordiſsimum, ori eius oſculum ſuauitatis impreſsit, quod in ipſa sanimi medullas inſiliens, geminam huius viri Dei ſubſtantiam refocillauit. Dehinc eum his eſt allocuta ſermonibus: *Ego te, fili mi, & tua vota libens accipio. Ex quo enim honorabilis factus es in oculis meis, & amoroſus, ego dilexi te, & in miſeratione tua cum filio meo recolligam te. Mecum regnabis, mecum gaudebis, mecum & ſemper epulaberis*

Anhelat ad oſculum Diuæ Virginis.

VIDE NOTAS.

B. Virgo viciſſim alloqui tur amaſium.

pulaberis. Quem & ad manum tenens, attraxit ad Filium; qui in altari puer dulciſsimus reſidebat. *Ore te*, inquit, *mi Vate, qui ſemper amatoribus meis faues, huic miſero ſeruitori meo teipſum præbe benignum: vt & hic tuam gratiam, & poſt tuam gloriam valeat conſequi.* Annuit lætus paruulus Saluator precibus genitricis, & fratrem in fœderis ſui vincula ſtringens, cæleſtem illi beatitudinem repromiſit. Hac glorioſa viſione Dei famulus magnificè roboratus, ſemper ſeipſo melior reddebatur.

CAPVT VI.

DE FRATRE STEPHANO, MAGdalenam diligente.

DOmus loci Dei, Ordinis noſtri domus in Anglia eſt, non longè à ciuitate Heſtonia. In hac fuit Monachus quidam egregiæ pietatis, Stephanus nomine: qui ad Mariã Magdalenã feruẽtiſsimo flagrabat amore. Hanc ſeruiens amabat, hãc æſtuãbat, ad hanc cuncta per ſomnia recurrebat. Et quia amor ſemper meretur impetrare, vno dierum, cum hanc ſuam amicã ſolita dulcedine cogitaret, raptus in mentis exceſſum, vidit ſe tranſpoſitum in cliuo montis altiſsimi; vbi hortus erat tantà amœnitate refertus, tanta ſuaue ſpirantium oderamentorum fragrantia delibutus, tanta diuerſorum fructuum florumq;

ornatu redimitus, vt ſeſe Paradiſi delitijs intereſſe putaret. Cumq; loci pulchritudinem ſecum miraretur, vidit obuiam ſibi fieri incomparabilis gratiæ ac formæ Dominam, cui de facie Solis radij defluebant. Huic de vertice crines pendebāt aurei fulgoris, ambroſium ſpirantes odoré, quæ holoſericis atque auro textis veſtibus renitebat, pulchra nimis, & cæleſtis formæ gloriam repræſentans. Quæ maturè procedens, cùm ſubſtitiſſet, dulci eloquio Stephanum conſalutat, dicens: MAGD. Salue mi Stephane, ô mi Stephane ſalue, amator meus. Ille tremefactus ad ſplendentem gloriam admirabilis mulieris, poſitis genibus, eam pronus honorat. At poſtquam in eius ſereniſsimum vultum oculos intendit, agnouit Magdalenam eſſe, amatricem ſuam: quam agnitionem ingenioſus illi infuderat amor: amor, inquã, qui & lynceos ſemper oculos habet, & omnia ſcrutatur, etiam alta Dei. Accepta itaque fiducia, ait; STEPH. Salue & tu, ô ſuauiſsima fæminarum mel meum, & lumen meum, pectoriſque mei incendium ſingulare. MAGD. Scio id equidem, mi Stephane, ſed quid à mea nunc pietate requiris? STEPH. Stephanus ipſe cùm ſim, ſimilis illi Stephano peccatori, quem poſt multa facinora, in tuam gratiam reuocaſti, oro te, lux mea, vt ſicut eius miſerta es

Colloquium fratris Stephani, cum B. Maria Magdalena.

ita & mei miſeri te miſereri non pigeat. MAGD. Et quo pacto vis miſerata ſim tui? STEPH. Vt iram, quam merui, iudicis ſempiterni, tua prece amoueas, ac me peccatorem ſua gratia dignum efficias. MAGD. Hoc & ego ſummopere, vt fiat, cupio. STEPH. Accede igitur ô mitiſsima, ad thronum gratię eius, facilè pro me, quod volueris, impetrabis. MAGD. Verũ tu dicis. Ego nempe & cæteri, qui in cælis ſunt, ſancti oẽs pro fideliũ ſalute ſemper exoratum habemus Altiſsimum. STEPH. Abſit vt de eo dubitem, mea mater. Sed cum ego poſt Virginem Dei Genitricem te complexer præ cæteris, ac venerer, da operam, precor, vt ſingularẽ pro me Domino precẽ offeras, & peculiari ꝓ me voto te patronã inſtituas. MAG. Ergo tu præ cæteris ſanctis me arbitraris idoneã, quæ tuam poſsim cauſam melius apud Altiſsimum promouere? Nullam exiſtimas magis idoneam? STEPH. Nulla mihi videtur magis idonea, ô mea fautrix, præter Dei ſanctiſsimam Genitricem. MAGDAL. Quid igitur de cæteris ſanctis ſentiendum reris? STEPHAN. Bene & optimè ſentiendum reor. At tu amaſia mea, tu protectrix & ſalus mea es, te matrem, te patronam, te ſemper meam conſtitui adiutricem. MAGD. Quam ob cauſam tu me

præ cæteris Dei ſanctis patronam & matrem elegiſti? STEPH. Tu meis ſenſibus dulcius influis, tu cor meum ſuauius afficis, & amore tuo animæ meæ venas perfundis. Tu tuo amore à Chriſto Domino ſpecialiter diligi meruiſti, quem & animæ tuæ conſolatorem, & fratrem, & ſponſum, & amicum perpetuò conquiſiſti. Hæc vna eſt ratio, cur plus ego te diligam. MAGD. Approbo rationem. Sed ſi aliam adhuc noſti, ne eam ſileas velim. STEPHAN. Stringit me reuerentia tua, cùm ſim puluis & cinis. At quoniam tu vis, dicam quod vis, orans interim, ne mihi ſuccenſeas, ô benigna. MAGD. Fidenter loquere, ne timeas. STEPH. Scimus olim (dicente Scriptura) te fuiſſe fęminam peccatricem, quæ ad Chriſti veſtigia, ſparſis vbertim lachrymis, tua crimina diluiſti. Hinc aptiſsima mihi viſa es, ad quam ego peccator, & multorum ſcelerum reus, debeam fidenter confugere, & tuam ſupplex gratiam deprecari. MAGD. Laudo, mi Stephane, conſilium tuum. Ego ſum, ego vtique ſum, præ alijs, qui in cælo ſunt, Sáctis peccantium omniũ aduocata, & inter Deum, miſeroſq; mortales, vnica poſt Dei Matrem mediatrix: quòd, dum ſcelera mea ad pedes Domini plangerem Saluatoris, ipſa promerui. STEPH. Hinc eſt, ô Ma-

ô Maria, quòd tuam opem peccator ſupplex efflagito,& quòd tuam ambiam gratiam vehementer. MAGD. Quid igitur tibi vis faciam? STEPH. Vt ſicut illum olim ſceleſtum Stephanum (quem *Flandrum nouimus) ita & me ad dulcem tuum componas amorem. MAGD. Grata mihi petitio tua. Tu ergo in reliquum confortare,& eſto robuſtus valde, ſciens ſtudiorum tuorum induſtriam requiri,vt gratiam inuenias in tempore & auxilio opportuno. STEPH. O dulcia plus melle labia tua. Et nunc, ô pijſsima, quia ad cor ſerui tui loqui dignata es, cupio tibi ſummopere nunc muneris aliquid adferre, ſed nihil in me dignum inuenio, quod tuæ queam Celſitudini impartiri. MAGD. Votũ pectoris tui libenter recipio, hoc ſi tribueris, ſat habeo. Externa etenim munera minima ſpernunt. STEPH. Quod igitur interni voti tibi munus impendã? MAGDAL. Gratulare ex corde beatitudini meæ,gratulare priuilegijs meis, gratulare inueniſſe ac poſſediſſe me quem diligit anima mea, & quòd illi ſim indiſſolubili iuncta complexu in cælis, quem totis animi mei viſceribus concupiui in terris. Tibi autem huius congratulationis hic erit fructus, quòd meo interuentu veniam reportabis, & gratiam, & lætitia mecum

*VIDE NOTAS.

perpetua perfrueris. Hæc vbi dixit, diſparuit, & Stephanum ad ſe reuerſum, apprimè conſolatum reliquit.

CAP. VII.

DE MIRABILI VIRTVTE ET EFFIcacia *vulgaris iſtius dicti:* Requieſcat in pace.

AT priuſquam ab Anglia transfretemus, dignum ducimus, quod in vna illic contigit domorũ noſtri Ordinis, ſubiungere. Vir admodũ diues, habens patrẽ ſuum, qui iam recens, obierat, illic cõſepultum in fratrũ Baſilica, venit vno dierũ Patres inuiſere: qui & præſente Priore, auri maſſam ingentis ponderis in eleemoſynã obtulit, orans obnixè, vt animam ſui genitoris apud Deum habeant cõmendatum. Statim Prior ad fratres: *Orate*, inquit, *ô filij, & huius amici noſtri ocyus vota complete.* Illi ad præceptum Patris omnes in communi dixerunt: *Requieſcat in pace.* At vbi Prior reſpondit, *Amen*, illi inclinantes, cum ſilentio repedarunt ad cellas. Porrò vir ille, ſecum penſitans, grandem auri maſſam, quã dediſſet, mirabatur afflictus, pro pretio tam ingenti, quàm breuem ac futilem precem reportaret. Et accedens humiliter ad Priorem, querimoniam mouẽs, ait: *Solam, ô mi Pater, pro oblato auro, hanc breuiſſimam fratrũ precem animæ genitoris habi-*

habitura eſt? Nihil vltra rependent? Prior hoc audito, admirans hominis ſimplicitatem: *Ergo tu*, inquit, *iuſtorum preces temporali vi pecunia coæquare? Non volo*, ait, *ſancte Pater, ſed quanti, quæſo, hoc meriti eſt, aut quæ digna compenſatio tria tantum breuiſſima verba pro grandi pecunia rependere?* Cui Prior: *Sta parumper, dabo operam, vt ab errore reſipiſcas.* Statim iubet fratres ad colloquium reuerti, & verba, quę in communi ante dixerant, papyro à ſingulis inſcripta ſecum deferre. Tunc præcepit, ſpectante viro, in parte vna ſtateræ auri pondus, quod dederat, immitti quo ſtatim ſuo pondere preſſa deſcendit in terram. Dehinc Prior, præmiſſa ad Deũ prece, conuerſus ad virũ: *Nũc*, ait, *tuis oculis ipſe videbis, quanti ſit ponderis breuis illa oratio quam aſpernaris.* Et accipiens de manibus ſingulorum ſchedulas, in quibus ſcriptum erat: *Requieſcat in pace*, alteri libræ parti impoſuit. O rẽ mirabilẽ, aurum, etſi grauiſsimum eſſet, breuiũ tamen verborũ pondus obiectũ ferre nõ ſuſtinẽs, ac ſi pluuia ſeu feſtuca eſſet, ſurſũ aſcendit, chartulis deorsũ cũ ſancto verborũ pondere decidẽtibus. Obſtupuêre omnes, fatetur vir culpã cũ lachrymis, veniã petijt, meruitq;. Statim iubet grandem ac pretioſum lapidẽ parari, & inſculpi per totum literis arte confectis: *Requieſcat in pace*, & chari pa-

rentis ſui tumulo ſuperponi. Sub quo & ipſe nunc conditus, requieſcat in pace. Amen.

CAPVT VIII.

DE PARTICIPATIONE ORDINIS, & quid valeat.

VNum dicam, quod huic pręmiſſæ ſententiæ videtur opitulari. Vir quidam Ordini noſtro largifluus ac deuotus, emerùit precibus ac beneficijs à Capitulo noſtro Generali Ordinis confraternitatem: quam nos *participationem* conſueuimus appellare. Hanc impetratam, ſcrinio incluſit, grandi eam auro pluris faciens. Hic cũ obijſſet, & vxor eius per incuriam literas ipſas non faceret præſentari, nec eius obitum, vti literæ exigunt, intimari, nocturno ſilentio anima viri, ciſtam ipſam ingrediens, maximo ſtrepitu omnia quatiebat, & vxorem domeſticoſque omnes timore exagitabat horribili. Cumque hæc tempeſtas duraret indies, & ſemper ſæuior redderetur, conſuluit mulier ſanctum aliquem, & doctum hominem, ſi ijs poſſet cladibus imponere finem. Intrat vir Dei mulieris domum, quęrit, vbinam ille ſtrepitus maior audiatur. Circa hoc ſcrinium, ait vxor, timor & clamor omnis exurgit. Et ille: Vide, ait, ne hic literæ forſitan obligatoriæ lateant, quæ virum tuum ſupplicijs

tijs teneant irretitum. Ante obitum, ait mulier, debita omnia cautus perſoluit, necꝗ credo eum nunc inde torqueri. Apertum eſt ſcrinium, nec literas alias inueniunt, quàm Ordinis noſtri gratiam, ſigillo munitam. Has cùm ille legiſſet, dixit ad mulierem: Ex ijs patet, quod vir tuus habet ſpiritale apud omnes Cartuſienſes beneficium, & idcirco ijs fragoribus exagitata es, quòd diem obitus eius, vti oportuit, non propalaſti. Hac etenim gratia facilè eius anima poterit abſolui. Vade igitur, & adnitere ocyus, vt beneficium Ordini innoteſcat, & teipſam à periculis, & virum à ſupplicijs redimas. Quod vt fecit, omnis illa tempeſtas mox conquieuit.

CAP. IX.

CVR ORDO CARTVSIENSIS QVOtidie *Miſſam de Domina publicè priuatimq́; perſoluat.*

OLim in aliquibus Ordinis noſtri domibus tam grauis, agente Sathana, vis tentationum incubuit, quòd omnis ſacræ inſtitutionis diſciplina fratribus tædio eſſet & horrori. Erat nimirum mors in olla, quam Helizæi farinula nondum temperarat. Pſallere, orare, abſtinere, ieiunare moleſtiſsimum videbatur. Cumq́; ingens cum luctu & lachrymis omnium clamor ad Deum fieret pro remedio à facie tribu-

Conſule vitã D. Brunonis circa finem fermè.

lătis, miſit Deus Angelum ſanctum ſuum, qui vni ex ijs pijſsimo viro loquebatur, dicens: Propitiabitur veſtri mater miſericordiæ virgo Maria, ſi in Horis ſuis, quas legitis. *Salue ſancta parēs*. Inter primā &tertiā inſerere volueritis, & Miſſam ſingulis diebus in eius gloriā celebrare. Ipſa nēpe eſt propitia maris ſtella quæ mentium ſolet tempeſtates elidere, & ſerenas auras ac gratiæ ſpiramenta humanis cordibus indulgere. Hęc vbi promulgata ſunt, omnes in communi laudes has ac ſacrificia complectuntur, tuti in reliquum facti ab incurſu Sathanæ, & à rugientibus præparatis ad eſcam. Et reuera poſteaquam Ordo noſter has diuæ virginis laudes aſſumpſit, Dei ſemper Genetricis & virginis eſt ſuffragijs ſublimatus. Memini me antea, de Horis almæ virginis, vt in ordine noſtro canerentur, tale quid ſcriptitaſſe.

Nempe lib. 4. cap. 1.

CAPVT X.

DE QVODAM FRATRE HENrico, *Colonienſis Cartuſiæ Monacho.*

Fortè hic fuit P. Henricus Kalkar, cui dicitur Diua virgo apparuiſſe.

Legi ego apud veridicum ſcriptorem, fuiſſe olim Coloniæ in noſtra ibidem domo Monachum, Henricum nomine, virum magna præditum pietate, & gratia copioſa. Hic ſacratiſsimam virginem Dei Genetricem, maximis æſtuabat incendiis.

Poſt

Poſt hanc & beatiſsimam Vrſulam cum vndena ſua turma miro venerabatur affectu. Vnde quadam nocte, cum ſopori ſe dediſſet, quædam ex iſtis virginibus, immenſo lumine coruſcans, è cælo illi apparuit, in hæc verba prorumpens: *Miſit me diuus Virginum chorus, cui tu ſemper afficeris, vt te doceam, qua debeas laude ſingulis diebus, Dei ſalutare, ac benedicere Genetricem. Dic. O Virgo Regina Virginum, ſummum Trinitatis ſacrarium, Angelorum ſpeculum, ſcala Sanctorum omnium, tutum peccatorum refugium, cerne, ô pia, noſtrũ periculum, in morte tuum, placatum nobis oſtende filium, & tuum vultum gratioſum.* Hanc precẽ ſi aſsiduè (inquit) dixeris, diuæ Mariæ, ac omnium noſtrum gratiam aſſequeris. Ille ſtatim poſt diſceſſum virginis euigilans, cum laudes ipſas totaliter non retinuiſſet, ſupplex cum lachrymis orat, vt rurſum ſua doctrix appareat, laudes ipſas denuo canitura. Elabuntur dies aliquot, adeſt ipſa virgo quæ prius, & obliuioſum iterum iterumq; informat. Laudis formulã ad integrũ receptã, cæli Reginæ quotidie decãtat Monachus, non ſine ingenti animæ ſuæ fructu. Enimuerò, expleto aliquãto tẽpore, illa ipſa, quę hoc docuit præconiũ, numeroſo virginũ comitata choro, mirabilique cõcentu, odã ſupra memoratã, ad fratris Henrici, magnificè exultãtis aures cõcrepuerunt.

Oratio Deuota, ad Diuam virginem.

CAP.

CAPVT XI.

DE QVODAM CONVERSO MIRAE *ſimplicitatis & innocentiæ, perperam recitante primum verſiculum Pſalmi quinquageſimi.*

ANte noſtra tempora fuit in Ordine frater Conuerſus, vir ſanctus quidem, ſed mira ſimplicitate præditus. Hic præter Dominicam Orationẽ & Angelicã Salutationẽ diſcere plus nõ potuit, & præter primũ 50. Pſalmi verſiculum: *Miſerere mei Deus.* Hunc tamen verſiculum, neſciens quid diceret, dicebat orans: *Miſerere tui Deus.* Hac oratione ſimplicis viri Deus noſter (cuius cor humile eſt) plurimum delectatus, tantam boni odoris fragrantiam cellæ illius infudit, vt foris erumpens, prætereuntes omnes apprimè recrearet. Accedit Prior domus, inquirit à fratre & ſuauis odoris cauſam, & ſimplicis orationis formulam. Ille humiliter ſe ſubmittens, ratio, inquit, mi Pater, orationis meæ eſt, vt dicam: *Miſerere tui Deus.* Stupuit Pater, & iubet vt deinceps dicam: *Miſerere mei Deus.* Paruit ille, ſed ſolita fragrantia diſceſsit, donec rurſum à Priore eſt monitus, cõſuetam precationis reſumere formam.

CAPVT

CAPVT XII.

DE ALIO-QVODAM EXIMII CANdoris ac columbinæ ſimplicitatis Conuerſo.

CErtiſsima relatione cognoui, fuiſſe olim conuerſum quendam columbinæ ſimplicitatis virum, & Chriſto Domino (cui cum ſimplicibus ſermocinatio eſt) plurimum placuiſſe. Hic, cùm aliquot diebus ſolita eſſet deuotionis gratia ſpoliatus, vnâ noctium, cùm aridus ad nocturnam ſinaxim aſtaret, nec legere eum; aut meditari delectaret, ipſe in Chriſtum iniuriá intorquens, vdos; cũ gemitu oculos leuans ad cælum, ait: *Tu Chriſte Ieſu, tu nunc tuam mihi gratiam ſubtraxiſti, qui niſi eam mihi ocyus reddideris, Matri tuæ de te querimoniam faciam.* Statim ille ſimplicium cordium amator, quaſi timeret deferendum ſe ad ſuam Genitricem, gratiam ereptam fratri reſtituit, & vberiori munere cumulauit. Latitabat poſt hunc conuerſum, cùm hæc diceret, frater quidam, qui iſta in publicum promulgauit. Incident forſan in hæc ſcripta noſtra viri docti, qui Tullio gaudent oratore, aut peritiſsimo Poetarum Virgilio: quibus crepitantes buccæ Rhetorum, & Tragicus placet, comicuſq; boatus. Sed cunctos hos rogatos velim, ne ſimplicia hæc noſtra contemnant; ſed potius

Prou. 3.32.

Simplicitas & ſyncera in Deum intentio potuit hûc excuſaſſe.

tiuŝ

tius meminerit Pauli, gentium Doctoris, monentis *non alta ſapere nos oportere*: ſed humilibus conſentire. Nam & *Deus alta à longè cognoſcit, & humilia reſpicit in cælo, & in terra.*

Rom. 12. 16.

Pſal. 112. 6.

CAPVT XIII.

DE FELICI MORTE DEVOTI PAtris, D. ALBERTI *Arnhemienſis, iſtius olim Cartuſiæ Prioris.*

IVxta Arnhemium, Geldriæ oppidum, no parum inſigne, olim floruit honorãdus Pater Dominus Albertus, ex ipſo oppido oriundus: vir pius ac iuſtitiæ tenax, magnorumq; meritorum poſſeſſor, & admodũ opulentus. Hic Prior domus * Monachorum poſt inſtitutus, in innocentia cordis ſui gregem ſibi commiſſum paſcere, & in intellectibus manuum ſuarum deducere maturabat: diui Apoſtoli Petri ſententiam complens, *non quaſi Dominator in Clero, ſed forma gregis factus ex animo.* Hic cõplens vitæ ſuæ curſum in iuſtitia, quadam nocte cùm annos ſuos omnes in animæ ſuæ amaritudine recogitaret, anxiareturque ſuper ipſum ſpiritus eius, modico preſſus ſopore, audiuit cæli concentum, hęc verba dulciter modulantem: *Vitam petijt à te, & tribuiſti ei Domine longitudinem dierum in ſeculum & in ſeculum ſeculi.* Cantus huius verſiculi, noſtro erat ſimillimus, ſed harmo-

* *Eſt propriũ nomen Arnheimenſis Cartuſiæ.*

1. Petr. 5. 2.

Eſa. 38. 15.

Pſal. 20. 5.

harmonia valde diſsimilis. Ille ex hoc iubilo maximam mentis lætitiam, & ſalutis ſuæ perpetuæ ſpem capiens, cùm vni ſuo fideli hęc cum lachrymis enarraſſet, morbo corporis ingraueſcente, felici obitu migrauit ad Dominum.

CAP. XIV.

DE CLERICO QVODAM FRATRE, *cui à Deo reuelatum erat, quando moriturus foret.*

PRior quidam domus noſtræ, quæ iuxta Gandauum eſt, qui & tunc temporis erat huius noſtræ Prouincię Viſitator, hoc, quod nunc dicimus, (vti ſcriptum reperi) enarrare ſolebat. *Scio,* ait, *fuiſſe nuper clericum fratrem noſtro in Ordine, virum venerabilem,* ſed ſenio grauem. Hic multũ humilis licet apud ſe paruus & modicus, paruis modiciſque contentus, quẽ tamen omnes pro ſuis meritis quaſi magnũ, ac ſublimẽ Patrem venerabantur. Hic Ordinis ſtatuta indefeſſus obſeruabat, ſolitudinis ac ſilentij perſeuerans æmulator. Hic mitis, ſuauis, affabilis, obſequioſus, omnium in ſe fratrũ ſuorũ cõprehendebat affectũ. Hic ad diuinas laudes primus occurrebat, pſallebat fortiter, & feruẽter, ſomniculoſã deſidiã ꝓcul expellẽs. Cũq; his bonis operib. Chriſtus vellet numerator accedere, per corporis morbos famulũ deuotum ſtatuit

euo-

euocare. Ingraueſcente itaque languore; quærit Prior ſuus, an velit Chriſti corpore & Vnctionis Sacamento muniri. Volo, ait, quã maximè, mi Pater, ſed nõdum venit hora, qua tranſeam ex hoc mundo ad Patrem. Hoc autem ideo dixit, quòd ſuus illi eſſet à Domino obitus reuelatus. At vbi reſolutionis ſuæ cœpit hora appropinquare, voce magna clamauit, dicens: *Hora eſt.* Qui ſacroſancto Chriſti Corpore ſuſcepto, cùm eſſet ſacro delibutus oleo, piam efflans animam, exuens, tranquillè obdormiuit in pace.

CAPVT XV.

PRIOR QVIDAM SACRIS OPERANS, in altum diuinæ virtutis ope ſubleuatur.

FVit ante nos in vna domorum Ordinis noſtri in Brabantia (quam idcirco ſilentio volui præterire, ne propalatã laudem, iniuriam putet) quæ habuit Priorem, diuinarum literarum Theologum ſingularem, cuius ſanctimonia tam clarè reſplẽduit, vt longè latèq; ſuum iubar effunderet. Hic, ſicuti erat omnibus admirabundus, ita apud ſe (quod in viro virtutis præcellentiſsimum iudicatur) omnium ſe viliſsimũ reputabat. Hic viſus eſt aliquoties inter celebrandum, altius à terra ſuſpendi, vt ſpiritũ in ſublimia atq; ad diuina porrectum,

rectum', ipſa in altum corporis eleuatio denotaret. Quidam autem Conuerſus frater, vir admodum bonus, qui huic Patri ad Miſſas ſolitus erat deſeruire, hoc ipſum eius poſt obitum patefecit; dignus cui pro meritis habeatur fides.

CAPVT XVI.

DE MONACHO QVODAM ADMOdum conſolatorio, atq; in diuinarum laudum perſolutione admodum vigili, ſtrenuoq;.

ADmirabile eſt quod de quodam noſtri Ordinis Monacho memini me legiſſe, eiuſdem domus profeſſo, vnde & is, de quo ſupra. Huic fluenta ſacrorum voluminum ita pectus inebriauerant, vt copioſo profluuio ab eius ore ſcaturirent. Dederat enim illi Deus linguam eruditã, *Eſa. 50. 4.* vt ſuſtentare poſſet eum, qui lapſus eſt verbo. Hinc factum eſt, vt ſuis alloquijs mœſtos confoueret, anxios deliniret, tepidos remiſſoſq; inflammaret, ægris mentibus remedia donaret. Et licet multi eum crebrò exagitarent corporis morbi, hos tamen ipſe deſpiciens, aliorum ſeſe incommodis mancipabat. Hic venerabilis Pater quaterdenos annos in Ordine degens, diuinas laudes aſsiduè, & nocturnam ſynaxim impiger frequentabat: qui robuſta &

reſonanti voce donatus, pleniſsimo cantu chorum omnem, Præcantor egregius fulciebat. Cui tantam gratiam contulerat Dominus, vt toto Monachatus ſui tempore, nemo illum vnquam viderit in Dei laudibus, aut ſacris precibus dormitãtem. Vnde indicium maximi feruoris agnoſcere licet. Ego enim has huius viri gratias pluris æſtimo (iudicent, vt velint, alij) quã ſi tetras, ab obſeſsis corporibus vmbras fugaſſet, aut curaſſet verbo omne genus morborum. Hic placidò demum fine quieſcens, meritorum ſuorum eſt præmium aſſecutus.

CAP. XVII.

DE CONVERSO SIMPLICI AC RECTO, cuius anima Angelicorum miniſterio ſpirituum, in cælum ferri viſa eſt.

EST in Comitatu Loſſenſi domus Ordinis noſtri, quam diui * Ioannis Baptiſtæ nomen exornat. In hac fuit aliquando (vti ſcriptum reperi) frater Conuerſus, vir ſimplex & rectus, iuſtus & bonus: cuius vita omnis de virtute pendebat. Hic miſſus pro domus negotijs ad Hagam Comititis, locum in Hollandia, quem pro ſui illuſtri fama omnes norunt, à fideli Ordinis amico hoſpitio reuerenter ſuſceptus eſt. Illic autẽ paululum demoratus, à peremptoria ægrotatione interceptus, in

* *Cartuſiam Dieſtẽſem intelligit, in qua aliquamdiu Prior fuit.*

in Domino deuotus occubuit. Vnde illo pro meritis in cælos commigrante, viderunt, qui tunc temporis circa ipſam domũ reſidebant, aliqui animam morientis luce conſpicuam, à ſereniſsimis ſpiritibus in ſuperna deferri, & Chriſto Domino cum canticis præſentari. Quæ vbi ſuus, à referentibus, hoſpes agnouit, compũctus corde eſt, gratias agens Deo, quòd tam ſanctũ virum è ſuo domicilio euocaſſet ad ſuperos. Ipſe verò poſt viduatus vxore, loco defuncti, ſe in domum illam S. Ioannis Baptiſtæ collocauit, & in diem vſq; ſuæ emigrationis, pœnitentiam agens, annos ſuos optimo fine concluſit.

CAPVT XVIII.

VT RELIGIOSI NON DIFFERANT tempeſtiuè ſuas perſoluere Horas, debitoq; tempore concedere.

CAuenda nobis ſemper eſt omnis negligẽtia, de qua malorũ multorum germen emergit. Fuit ante nos, vti ſcriptum reperi, in vna Ordinis domo Monachus, cui cõſuetudo erat, poſt Completorij pulſum, in longas horas vigilias protrahere, nec Deũ reueritus, nec ſtatuta conſiderãs. Cũq; hunc diuina cenſura, in noſtrum exemplum, mitius corrigere ſtatuiſſet, quodam veſpertino tẽpore, cũ futilibus occupatus, tẽpus quietis inſumeret, audiuit de

ſupernis vocem, dicentem ſibi: *Vade dormitum ô Monache, quid moraris?* Ille noua hac increpatione tremefactus, cùm vndique circumſpiceret, & nullum adeſſe notaret, lecto citius Completorio, feſtinauit ad lectum. Vtinam hæc dignentur aduertere fratres noſtri, ad quos reuera hæc admonitio ſpectat, qui, ſuaſore atque impulſore Sathana, libenter vigilias protrahunt: vigilias certè leues, infructuoſas, prohibitas, damnoſas, quibus nocturna ſynaxis, & ſacræ laudes ſomniculoſa negligentia, aut præciduntur, penitus ſuffocantur.

CAPVT XIX.

DE SACERDOTE QVODAM SECVlari, qui cæleſti vocatione admonitus, Ordinem ingreſſus eſt Cartuſienſium.

RArò viri ſeculares noſtrum Ordinem (quia paulo videtur rigidior) aggredi tentant, niſi aut ſuperna reuelatione, aut interna inſpiratione permoti. Excipio tamen eos (quod ſine gemitu nequit audiri) qui Zabulo inſtigante, ac Deo permittente, Ordinem ſubeunt, vt vel delicatius vel quietius viuant, vel vt ſanctos fratres tentent, vexent, examinent, coronent. Enimuerò quod per ſe dæmon facere non poteſt, per ſua id ſæpe membra molitur. Hos non Spiritus ſanctus, ſed Diabolus vocauit. At aliter iſte, de quo nunc loquimur,

mur, Sacerdos venit: qui ante nos fuit Moguntiæ non ſatis commendatæ vitæ. Vnde vno dierum, cùm in maiori Eccleſia Miſſa celebraret, audiuit vocem ad ſe de ſupernis illapſam, in hæc verba: *Ocyus feſtina Cartuſienſem ingredi Ordinem, & ſcito te hoc completo biennio, moriturum.* Ille non ſurdus diuinæ vocis auditor, animum intendit, Ordinem intrauit, & ita vitam ad veram virtutem inſtituit, vt omnes palam aduerterent, eum fuiſſe cælitus deſtinatum. Ingrediens autem Ordinem, crus ſecum intulit tabefactum, corroſum vndiq; & diuturno vulnere ſciſſum. Quod tamen præter ſpem citò conualuit, diuino medicamine confouente. Vixit verò hic Lodouicus (hoc enim viro nomen erat) biennium totum in Ordine diſciplinatè plurimum, & religiosè ac ſtatim poſt ſalutifero fine quieuit.

CAPVT. XX

QVAM SEVERE A DEO PVNITI ſint prædones aliquot, qui Cartuſienſium diripuerant bona.

OLim accidit, (vt ſcriptū reperi) quod viri militares Ducis Iuliacenſis vina quæ Procurator domus noſtrę Ruremundanæ fratribus infirmis coemerat, duratura in annos plurimos, vt prædones ad ſe raperent, ſuiſq; vſibus manciparent. Mo-

uit Procurator querimoniam Duci, ſupplicans ſibi vina reſtitui. Mandat Dux ocyus, vt reſtituantur. Verùm is, qui huius mali caput extiterat, preſſus Ducis imperio, vina reddidit; vno tamen retento vaſe, quod dulciori vino & ſuauiori plenum erat. Hoc namque ſibi & vxori prægnanti ſtatuit reſeruandum. Adducitur vas, plauſtro vectum ad ianuam prædatoris. Agnoſcens vxor, referente marito, optima vina prę foribus eſſe, læta iubet ocyus ſibi inde propinari, vt appetitum ſatiaret ſuum. Acceſsit vnus, vt hauriret. Mirabile dictu, ſtatim vt homo vas attigit, quod fortiſsimis tunc erat vinculis colligatum, ita ſubitò vincula eius nexuſque omnes dirupti ſunt, ac ſi aſcijs aut ſecuribus ſcinderentur. Repente tabulæ omnes diſsiliunt, & vinum, quod in longos vſus prædator aptauerat, magno profluuio decurrit in terram. Sic caſſata eſt rapina maligni, & nihil inuenit, qui ſibi plurimum viſus eſt acquiſiſſe. Fiunt hæc nota ciuibus, & tota ciuitas admirans, gratulatur Dominum pro ſuis famulis Cartuſienſibus depugnaſſe. Hinc in maiori reuerentia & honore fratres ipſi deinceps ſunt habiti. Memini quoq; ſupra me tetigiſſe de nobili quodam viro; qui cùm eſſet vni domui Ordinis noſtri infeſtiſsimus deprædator, & mul-

Lib. 4. cap. 11. in fine.

multas quotidie irrogaret iniurias, nec vlla poſſet, aut ratione, aut pietate compeſci, percuſsit eum Dominus, & vxorem eius plaga admodum crudeli & formidata. Nam vxor eius, cùm eſſet admodum fœcunda, ſingulis annis prolem mortuam, & monſtro ſimilem pariebat, triſte reuera ac intolerabile malum. Verùm ille eruditus ex verbere, ad corredijt, & agnoſcens ſibi hoc malum ob ſua ſcelera rapinaſq́;, quas in ſanctos fratres exercuerat, eueniſſe, rapinas ocyus omnes reſtituit, veniam cum lachrymis à fratribus petijt, & accepta remiſsione, ex hoſte acerrimo, factus eſt Ordini amicus optimus, vxorq́; eius deinceps ſobolé viuam, ſuperſtitéq́; produxit. Scio præterea tẽporibus meis prædatores aliquos repentinis gladijs obtruncatos, qui domibus noſtris dãna, clades, iniuriaſq́; aliquando intulerant. Fuit & his temporibus noſtris vir quidam vicinus domui cuidam Ordinis noſtri. Qui ſuetus erat multa furari ex opibus Monaſterij: inter cætera autem & piſces & carpiones, quibus ſe ſuoſque paſcebat. Sed non impunè. Nam cùm vxor eius pareret, peperit monſtrum, quod carpionis geſtabat caput. Hoc obſtetrix cùm vidiſſet, necatum abſcondit ſabulo.

CAPVT XXI.

DE QVODAM CVSTODE TEMPLI admodum ſtrenuè & exemplari.

LEgi fuiſſe olim in Ordine noſtro Sacriſtam Monachum, qui officium ſibi commiſſum ſtrenus ac deuotus ad finem vſque peregerat. Hic viſus eſt à quodam probabili & religioſo fratre, quem neceſſitas de nocturna ſynaxi exire compulerat; viſus eſt, inquam, poſtquam aliquanto tempore obierat mortem, de ſepulchro, deque cæmiterio egredi in eam celiam, vbi ipſe ſolitus fuerat ſuum exercere officium. Erat etenim (prout per tenebras noctis hic frater potuit intueri) candidiſſimis veſtibus circumamictus, quæ gloriam meritorum ſuorum prætendere videbantur. Conſiderent hæc Sacriſtæ, & matricularij noſtri, & dignitatis ſuæ miniſteria non deſpiciant: quia reuera inæſtimabilis meriti (ſi dignentur aduertere) eorum obſequia apud Altiſsimum computantur: cui ipſi peculiarius, propinquius, propenſiuſque, tanquam in Dei thalamo famulantur.

CAPVT

CAPVT XXII.

BIGAMVS QVIDAM, AD LAICAlem Redditorum admiſſus ſtatum, ac laudabiliter in Ordine perſeuerans, poſt obitum glorioſus apparet.

LEgi ſimiliter ante noſtra tempora fuiſſe receptum ad Ordinem noſtrum bigamum quendam, arte medicum: cuius tanta in ea arte induſtria fuit, vt omnes medici mirarentur. Hic factus * Redditus Clericus, magnum de ſe præbuit cunctis humilitatis & deuotionis exemplum: vtpote pius, alacer, mitis, ac ſupra modũ obſequioſus: omnibus omnia factus, vt lucrifaceret vniuerſos. Hic poſt decurſam vitæ ſuæ laudabilem metam, ſuaui eſt tandem & benigna morte defunctus. Inſtante nãq; tempore, quo anniuerſarius obitus eius dies occurrebat, viſus eſt candidiſsima ac mirũ in modũ ſplendenti veſte contectus aſtare ante cellã, in qua morari conſueuerat. lætus, hilaris, & ſerena facie promicãs: qui & lucernam ardentem geſtabat in manibus; oſtendens ſe in illorum numerũ deputatum, quibus Saluator dicit; *Sint, lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Hoc itaque oſtendit in ſigno, quod ante geſsit in opere; quippe qui carnis delicias & ſpurcitiã mundi prius ipſe contẽpſerat, vt poſſet diuino lumine reſplendere.

* *Redditi ſunt infra conuerſos: quo tamen iam Ordo abdicauit.*

CAPVT XXIII.

DE FRATRE QVODAM, CIRCA DOminicæ paſſionis exercitium ſtudioſe ſeſe exercente, cui Chriſtus in cruce apparuit.

IN ſcriptis cuiuſdam fratris memini me legiſſe, fuiſſe olim quendam venerabilem virum in Ordine noſtro, cuius mens omnis, omnis cogitatio, dilectio, & actio, circa Dominicam paſsionem intentiſsimè verſabatur. Hic ad hoc culmen pietatis increuerat, vt Chriſtus illi ſemper quaſi præſens ante cordis oculos appareret, affixuſq; cruci. Mirum dicã, atq; hoc noſtro ſeculo penitus inauditum. Hic nempe vſq; adeo Chriſtum ardebat, & hunc crucifixum, vt vno dierum (votis eius volens ſatisfacere) Dominus venerit, ipſo orãte, in eo ſchemate, quo Saluator generis humani olim in crucis ligno pependerat clauis affixus, diſtentus, laceratus, ſanguine reſperſus, mœſtus, anxius, lachrymoſus. Hac tali viua imagine ſeruum ſuum Chriſtus inuitans, prouocans, inflammans, vt tali ſe formula præpararet, quo poſſet Dominũ ſuum imitari, iuxta quod ſcriptum eſt: *Vide omnia feceris ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Sunt nonnulli ex noſtris, qui dicunt, Chriſtum in ea forma conſpectum eſſe, ſicut eum ſanctiſsimus Papa Gregorius inter Miſſarum ſuarum ſolem-

Exod. 25. 40.

ſolemnia vidit cum armis vniuerſis ſuæ Paſsionis doloroſiſsimè apparentem. *VIDE NOTAS.*

CAPVT XXIV.

DE PRIORE PROVINCIAE THEVtoniæ circa Ordinis diſciplinam ſtrenuo, è cuius tumulo pulcherrimi prodiere flores.

LEgi apud eundem venerabilem fratrem, fuiſſe olim in Ordine noſtro, imò in noſtra Prouincia Priorem, virum verè præſtantiſsimum, gemini Iuris Doctorem apprimè excellentem, & in regulari diſciplina valde ſtrenuum, in corrigendis exceſsibus ſeuerũ ac benignum, & quantum ad ſe pertinet magna ſanctitate cóſpicuum. Hic maximis precibus inſtare ſolebat apud noſtram matrem Cartuſiam, vt officio viſitationis, quo fungebatur, poſſet abſolui. Quod tandem (vim faciens) obtinuit. Sibi ergo & ſuis redditus, totum ſe contulit diuino ſeruitio, & ad arctiorem diſciplinam Monaſticæ diſtrictionis. Cuius ſanctitatis præconium vndique volitabat, & per ora multorum mortalium ferebatur. Hic venerandus Pater, cùm in breui expleſſet tempora multa, quòd DEO placita erat anima eius, ad æternæ ſalutis brauiũ euocatur à Domino, & peremptoria morte ad vitæ ſuæ terminum euocatur. Nõ opus eſt hic

hîc ſcribere, quanta ſit compunctione, deuotione, ac pietate affectus, dum hora ſui exitus immineret, quod aſtantium fratrũ fletus ac gemitus teſtabantur. Hoc igitur Patre dulciſsima morte conſopito, ac terræ reddito, cùm illic aliquanto tempore quieuiſſet, humatus, flores pulcherrimi, & nunquã illic antea viſi, è tumulo ꝓdierũt, flores inquam, qui & amœnitate redolebant, & fragrantia admodum delectabili, flores cæteros ſuperabant. Hoc vno miraculo ſatis hic Pater ſua merita palam oſtendit: etſi priores actus eius nihil de eo fuiſſent antea proloquuti.

CAPVT XXV.

DE FELICI EX HOC SECVLO *emigratione Sacriſtani cuiuſdam, qui infirmorum exiſtens Præfectus, cùm erga peſte correptos valde eſſet obſequioſus, ac benignus; tandem etiam ipſe eadem infectus lue, leni ſuauiq; morte, piè in Domino obdormiuit.*

INueui ſcriptis conſignatum, fuiſſe in noſtro Ordine Monachum huius noſtræ Prouinciæ magnarum virtutum virum, fama celebrẽ, & in religione ſacra obſeruantiſsimũ pugnatorem. Qui lachrymis, ſuſpirijs, ieiunijs, ac precibus Dominum Saluatorem ſibi placabilem reddebat. Et ſi quãdo etiam neſcius aliquem verbo aut facto

ſacto offendebat, ſtatim toto in terrâ corpore proſtratus, veniam precabatur. Hic factus Infirmarius, (quod eſt officiũ pietatis ac miſerationis) ita ſe in illo opere geſsit, vt magnis laudibus ab omnibus extolleretur. Volente autem Deo peſtis, acerba domum illius omnem inuaſit, cuius plurimi virulenta clade attacti, emigrârunt è ſeculo. At Infirmarius iſte, his ignibus audacter ſe ingerens, timore poſtpoſito, nequaquam ſuo corpori parcendũ exiſtimabat; dummodò poſſet infirmantium fratrum cladibus ſubuenire. Quid vltra? Cùm ipſe voluit peſtes aliorum piè curare, peſte ipſa contigit eum tabefieri, Domino tali ægritudine ſua merita procurante. Igitur cùm his flammis peruſtus iaceret in lecto, totum ſe contulit, vt paſſionibus Chriſti communicare poſſet, & ſalutiferi crucifixi imitari exemplũ. Venit autem Prior inuiſere infirmum, ſciſcitans quo pacto ſe haberet. Cui ille: Scito, inquit, mi Pater, quòd cras pia morte defungar, & ſuſcipient me ſancti Angeli Dei, eritq; fratribus noſtris ſolennitas duplex: vna quidem ex ea parte, qua Diuus Hieronymus celebris habetur, altera verò, qua corpuſculum hoc terræ mandabitur. Credulus Pater verbis eius, intellexit à Spiritu ſancto illum ſuæ mortis accepiſſe reſponſum.

ſum. Inſtante igitur tranſitus ſui hora, palàm dixit aſtantibus. *Afferte candelam ceream conſecratam, ac porrigite.* Cui vnus ita reſpondit: Cur frater candelam expetis, cùm nondum videamus ſigna mortis inſtare? Cui ille: *Sine modò, nam tempus reſolutionis meæ inſtat.* Hoc dicto, cùm candelam accepiſſet, ait: Adhuc modicum, & vado ad eum qui me miſit. Et paulo poſt ſpiritum emittens, tranquilla obdormiuit in pace. Audiant hæc Infirmarij noſtri, & vires omnes impendant humiliter infirmantibus: quia magna, reuera, manet illos merces bonorum operum. Huic miraculo iungebantur alia duo præclara & inſignia, de viris duobus noſtri Ordinis admodum illuſtribus: quibus, Deo inſpirante, datum eſt noſſe vitę ſuæ terminum: quem ſpectantibus qui aderãt fratribus. vt prædixerant, concluſerunt.

CAPVT XXVI.

DE IVVENE, QVI PLVRIMOS *vidit Cartuſienſes in cælo.*

FVIT Romæ adoleſcens quidam, qui in conſcientiæ nitidiſsima puritate diem clauſit extremum. Qui & ad Paradiſum, atque poſt, ad cælum tranſlatus, vidit & guſtauit, quæ illic ſibi gaudia parabantur. Multa etiam illic (nec mirum) ſecre-

creta conſpexit. Cùm iam duodecimus dies volueretur, quo fuerat traditus ſepulturæ, & iam eſſet penè à parentibus obliuioni traditus, reuelatum eſt à Domino, cuidam ſanctæ Recluſæ, quæ Romæ erat, vt conuocatis parentibus, iuberet aperto ſepulchro, iuuenem exhumari. Parentes aſſumpto ſacerdote, & innumera vulgi multitudine, ſepulchrum pandunt, & viuentem poſt tot dies iuuenẽ educunt. Ille primùm apud ſe ſtupidus aliquandiu permanens, ob res mirabiles, quas viderat in cælis, & in ſupplicijs. Dehinc aſtantes ad hoc ſpectaculum innumera hominum multitudine, aperiens os ſuum cœpit quæ viderat ſtupenda, enarrare. Accurrit & Prior domus ſanctæ Crucis Ordinis Cartuſienſium. Qui domum ingreſſus, vbi hic loquebatur, ob turbam propinquare non poterat. At iuuenis repente in ſpiritu agnoſcens adeſſe Priorem, ſurgit, & viam ſibi per populos faciens; cùm veniſſet ad Priorem, eumque reuerenter ſalutaſſet, appræhendens vittam ſuperioris veſtis, quam nos cucullam dicimus, conuerſus ad aſtantem plebem dixit. *Scitote fratres, quod cælum omne talibus perſonis plenum ſit.* Hæc dicens, veſtem ſancti Patris fermè hora integra manibus contrectans, tandem iterum ſalutatum, abire permiſit.

Præ-

Præclarum de noſtro Ordine, deque eius ſanctitate præmium: tribuat miſericors Deus, vt fratrum noſtrorũ in numerum, quos hic vidit apud Superos, adſcribi mereamur. Cumq; hic adoleſcens ſancta adhortatione plurimos tum Prælatos, tum ſubditos, & caſtigaſſet, & conuertiſſet, expleſſetque omnia, pro quibus eum miſerat Deus, poſt decimum ſuæ reſuſcitationis diem, placida requieuit in pace.

Capvt XXVII.

De qvodam Hieronymiano, ſeu Fratrenſe (vt vocant) qui Dauentriæ moriens, faſſus eſt, ſe vidiſſe innumeram Cartuſianorum multitudinem in cælis.

Dauentriæ in Cœnobio fratrum, quos Diui Hieronymi appellamus, contigit, quod narrabo, iucundiſsimum exemplum. Nam frater religioſus, ſimplex, ac deuotus, peſtilentiæ morbo deductus eſt ad extrema. Cumque iam per horas plurimas ita iaceret, vt mortuus crederetur, tãdem quaſi de graui ſomno expergefactus, corpus ſuum arctè cõtraxit, & læto nimis ac placido vultu, cœpit eos, qui aſtabant, cunctos aſpicere. Et aperiens os ſuum narrabat, quæ & quanta viderit in cælis: nempe Dei gloriam, altitudinem, maieſtatem, potentiam, & Sanctorum omnium in-

nai-

narrabilem beatitudinem. Mirabantur omnes in verbis gratiæ, quæ frater ille ſuo promebat ore. Narrabat etiam, ſe plurimos illic diuerſorum Ordinum Religioſos homines conſpexiſſe. Porrò Dominus Godefridus, illius tunc congregationis Prior, ſeu Pater, cùm præſens eſſet, quærit à frater, an etiam inter cæteros illic viderit Cartuſienſes, qui hic tam duram ducunt vitam, & rigidam peragunt abſtinentiam. Cui ille cito, & læta voce reſpondit: *Vidi*, inquit, *mi Pater, vidi; & quaſi apum examina illic confluunt, atq; ebulliunt Cartuſienſes. Cælum ijs plenum eſt.* Hæc vbi dixit, cæteraque, quæ dicere iuſſus fuerat à Deo, obdormiuit in domino.

CAPVT XXVIII.

DE MONACHI SANCTISSIMI ET humillimi beatiſſimo exitu, cuius cella tota comburi viſa eſt.

LEgi apud ſcriptorem, pium quendam & benignum virum extitiſſe aliquando in vna domorum Prouinciæ huius noſtræ Monachum, virum omnium iudicio, ſanctiſsimum: cuius ea prærogatiua fulgebat, quòd in diuino amore flagrantiſſimus haberetur. Erat quoque ſicut humilimus ita & in altiſsima contemplatione ſuſpenſus: qui propter humilitatem paratus erat dare percutienti ſe maxillam; prop-

ter contemplationem verò leuabat ſe ſupra ſe. Cùm igitur ſic procumberet orans, ſuſpirans, deſiderans, ac brachia ad cælum protendens; cernens Deus ardentiſsimum eius affectum, abſentiam eius vltra ferre non ſuſtinens, leni mortis ſopore depreſſum, animam eius ſibi chariſsimam, in ſuam gloriam euocauit. Accidit verò vt iſta eadem hora mercatores tranſirent illa via, vbi domus ſita erat. Vnde volens Deus defuncti meritum palàm cunctis oſtendere, tali miraculo eius obitum propalauit. Viderunt namq; hi viri cellam, in qua vir iſte ſanctus obierat, flãmis ardentibus vndiq; vallatã. Vnde putantes Monaſterium omne flãmis voracibus comburendũ, veloci curſu properant ad portã, vbi Priorẽ, & Procuratorem domus, inter ſe neſcio quid conferẽtes, ſedere viderũt. Quid vos, inquiunt, hic otioſi ſedetis, cũ domus veſtra tota incendijs defatiſcat? Illi territi hoc verbo, & ſurſum oculos leuantes, vident cellam vnam in clauſtro vndiq; flãmis circumdatã, quã putabant caſuali igne ſuccẽſam. Accurrunt anheli, anxij, tremebundi, & vi ianuã rumpentes, cùm nemo eſſet qui aperiret, ingreſsi in hortum, inuenerũt fratrẽ, quem requirebant: incendij autem veſtigium nullum inueniũt. Inuentus eſt verò hic frater mortuus quidẽ,
ſed

ſed flexis in terram genibus, facie in cælū cum manibus protenſa: quippe qui iam recens ad ſuperna animā exhalarat. Super caput vero ipſius in modum ignis ſuccenſa columna viſebatur: quo palam poterat agnoſci, non morte cogente, ſed flammantiſſimo amore vim faciente ſpiritum (vocante Chriſto) ſuperis reddidiſſe.

Capvt. XXIX.

De qvodam probatissimae vitæ Procuratore, cuius precibus mater, iuxta ac matertera, ex purgatorijs erepta pœnis, cælum læta conſcenderunt.

MEminime legiſſe, Ordinem noſtrum aliquando habuiſſe Monachum Procuratorem, qui à primo ſuæ conuerſionis ingreſſu, tam ſtrenuè, tam piè, tam deuotè, tam patienter, tamque humiliter conuerſabatur, vt omnibus eſſet & admirationi & amori. Patientia tamen & humilitas quàm maximè in eo excellebant. Hic vno dierum, cùm ligna ſua, quæ illi ad cōburendum annuatim data erant, ſolus in ſolarium cellæ ſuæ, non ſine ſudore & labore inferret (vt nimirum impleret, quod ſanctus Apoſtolus Paulus hortatur, dicēs: *Cum ſilentio operantes, panem ſuum manducēt*) 2.Theſſ.3.12. & interim pias orationes Oratoriū ingreſſus, inſereret; vidit illic matrē ſuā, quæ nuper obierat, in hæc verba loquentem ſibi:

curatores noſtri, & inter commendandum à vanis ſe ſermocinationibus temperent, ſeſeque ad interna recolligant, exceſſus & mille defectus ſuos in amaritudine animæ ſuæ recogitent; Domino in oratione ſe offerant, redimentes tempus quoniam dies mali ſunt. Contigit vno dierum, cum hic honorandus Pater iter ageret, vt videret ſibi obuiam venire fœminam lugubri vultu ac veſte contectam. Ille eam aſpiciens, ſciſcitabatur quænam ipſa eſſet. *Ego ſum*, inquit, *matertera tua, iam dudum defuncta, opem tuam auxiliumq́; deſiderans. Fateor, & gratias habeo, crebrò me adiutam eſſe orationibus tuis, & magnam flammarum partem iam mihi remiſſam eſſe. Deprecor tamen, vt tricennarium, quod ante aliquot menſes pro me inchoaſti, nec terminaſti, perficere citius matures. Reſtant enim adhuc, vt noſti, quindecim Miſſæ, quas dum compleueris, gaudia me ſtatim recipient ſuperna.* Hoc dicto, ſtatim illa diſparuit, & virum Dei ſtupidum, ſuique ſollicitum dereliquit.

CAPVT XXX.

QVO PACTO IDEM PROCVRATOR ab Apoſtolorum Principe viſitatus, conſolatusq́; fuerit.

HIc idem vni ex ſpecialibus ſuis amicis clam aliquando aperuit, ſeſe à Principe Apoſtolorum Petro (quem vehementiſſimè diligebat) vno dierum viſitatum

fuiſſe, & mira conſolatione refectum: à quo & ſpem veniæ & gratiæ incrementū, & futurę glorię pignus accepit. Erat quippe hic Procurator vir pius admodum, benignus & beneficus plurimum in pauperes, miſerabileſq́; perſonas: qui charitatis ſuæ viſcera in illos diffundebat. Nam in perſona propria ſæpiſsimè pauperculas eorum caſas ac tugoriola, humilitate Deo placida, viſitabat; & omnē quam poterat conſolationem, auxilium, ſubſidiūq́; ſubinferebat. Veſtes, cibos, ligna, cæteraq́; neceſſaria ſubminiſtrabat; corpora illorum, ſimul & corda conſolans, refouebat.

CAPVT XXXI.

CLARVIT QVOQVE IDEM PROphetiæ ſpiritu, vti duobus comprobatur exemplis.

LEgi de hoc ipſo Patre, quod ſpiritu claruerit Prophetiæ. Nam in ſua domo tunc temporis erat infirmus quidam, longa fractus, ægritudine, qui omnium iudicio ſemper fore inutilis putabatur. Cumque hoc ipſum eo præſente aliqui enarrarent, & quererentur, ille reſpondit: *Quid, ô fratres, vos querulamini? Infirmus iſte, quem cernitis, ac contemnitis, diuina poſt gratia roboratus, & Procuratoris, & Prioris officium gubernabit: inſuper & Viſitatoris dignitate, non ſine multorum profectu, potietur.* Legi & hunc de

de Leodienſi Epiſcopo prædixiſſe: *Video, inquit, Epiſcopum noſtrum ad omnia ſcelera reſolutum, ſtupris, adulterijs, rapinis, ac multis inquinari flagitijs, & ea mala aſsiduè actitare, quæ ipſe in alijs compeſcere ac prohibere debuerat. Hinc video & illi, & toti patriæ cladem maximã adfuturam. Nam ille gladio obtruncatus cadet in mortem, ac deinceps calamitas magna totam patriam peſſundabit* Prophetia hæc fuerit, an non, cæteri iudicent: nos tamen vidimus ſub oculis omnia cõpleri, quæ ille prædixerat adfutura. Rurſum, cũ illi moriendũ eſſet, nonũ ante diebus mortẽ ſibi prędixit imminere, nec vltra nonũ diem ſe victurũ certiſsimè dixit. Vti & factũ eſt. Nã nono die hac luce functus, lucem, vti piè credimus, ingredi meruit æternam.

Prædicit Leodienſi Epiſcopo infœlicem obitum.

CAP. XXXII.

DE QVODAM RELIGIOSO MONtis Dei, Dominicæ Crucis zelatore ac amatore feruentiſsimo.

LEgi extitiſſe quondam in domo Montis DEI, Ordinis noſtri, Monachum, virum magnis virtutibus conſpicuum, & hoc vno ſingulari munere præditum, quòd pia & feruentiſsima deuotione ad Chriſti Crucem, plagas, & verbera ferebatur. Nam præter cæteras humilitatis, charitatis, & patientiæ virtutes, erat ad CHRISTI Paſsionem zelator ar-

dentiſsimus: quam & mente & corpore, (dilectionis igne flagrans) æmulabatur. Ob conceptum huius ſalutiferæ Paſsionis ſæpe (dum ſolus eſſet) ſeſe flagris acerrimis verberabat, ita vt copioſi riui ſanguinis per latera in terram decurrerent. Alapis quoque & colaphis tam crebrò faciem ac ceruicem quatiebat, vt niſi illum virtus diuina ſuſtentaret, nunquam in tam fragili corpore hos potuiſſet diros impetus ſuſtinere. Et erat reuera mirabile, quod in tanta verborum aſperitate nihil aſperum, nihil moleſtum ſentiebat: ſed erant illi hæ plagæ, hæc verba ſuper mel & fauum dulciſsima, tamque delectabiliter, ac ſuauiter illius cordi Chriſti paſsio ſapiebat. Nam quantò durius, quantoque inhumanius ſe ob Chriſti vulnera affligebat, tantò mens eius maiori conſolatione, & corpus dulcedine complebatur. Non eſt ergo Crux Chriſti, ô fratres dilectiſsimi, ſpinoſa, nec ſylueſtris arbor, ſed fructum pacatiſsimũ iuſtitiæ affert dilectoribus, & guſtatoribus ſuis.

CAPVT. XXXIII.

DE FRATRE MORIENTE, QVEM auicula cæleſtis ſuauiſsimo cantu ante obitum demulcebat.

CVM ſcrutarer aliquos libros, reperi ſcriptum fuiſſe, Monachum Ordinis noſtri

Meihuſus noſtræ Prouinciæ virum in religione probatiſſimum, & vere Cartuſienſem, hoc eſt, carnem tundentem, qui eò vſque profecerat, vt inter perfectos poſſet Monachos reputari. Quo infirmante, & ad extrema vergente, cum iam penè agonizaret, auis quædam incomparabilis decoris & pulchritudinis per feneſtras in cellam inuolauit, ſpectantibus, qui aderant, fratribus, & mirum in modum ſtupentibus. Tum illa roſtrum aperiens, tam ſuauem cœpit melodiam concinere, & tam dulces modulos depromere, vt omnes Paradiſi ſe delicijs intereſſe putarent. Tacebant omnes, auicula concrepante, & modulata carmina ſuauiſsimamq́; vocem intentis auribus capiebant. Nonnulli ex fratribus arbitrantes, hunc ſomnum modulatæ vocis infirmo nocituram, nitebantur volucrem abigere, verùm illa nuſquam ſe patiebatur per apertas etiam feneſtras expelli, nec cœptam voluit modulationem linquare; donec, qui decumbebat, ſpiritum Domino exhalaſſet. Illo igitur ad ſuperos euolante, auicula quoque in cœlum ſe recepit, nec vltra comparuit. Adſtantium verò quidam, huius defuncti fratris Angelum fuiſſe arbitrabantur, qui exitum fidelis ſerui Dei, ſua veniſſet modulatione ſolari, & in Sponſi thalamum Angelico

 cantu

cantu deducere. Beati igitur mortui, qui in Domino moriuntur, & qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt.

CAPVT XXXIV.

QVAEDAM EXIMIAE SANCTItatis noſtri Ordinis Monialis, poſt quintum exhumata diem, integra, ac ſuauiter fragrans eſt reperta.

MOnialis olim noſtri Ordinis, illuſtri genere orta, & virgo prudentiſsima, ſanctitatiſque titulo admodum inſignita, cuius bonarum virtutum odor cæteras ſorores aſpergebat, quæ talem (vti ipſe legi) ſcribtiur habuiſſe ſepulturam. Cùm iam defuncta eſſet, inſtar aliarum ſororum in communi cœmeterio ſepulta eſt. Affines autem eius, alto ſanguine nati, illiuſq; cœnobij fundatores, indignè ferentes, neptem ſuam cõmuni humatam ſepultura, nimis inſtant acriter, vt exhumata, in Eccleſiã cũ ſuis parentibus ſepeliatur. Annuunt omnes vim facere paratis, & virginem exhumare cõtendunt. Mira res. Iacuerat corpus quinq; iã diebus ſub terra, vbi ex canalibus abundãs pluuia ſtillauerat, & tamen nec in veſtibus maculę vllæ, aut ſordes cõſpiciebãtur, nec fætor vllus è corpore erũpebat. Sic candida, ſic integra, florida, obeſa, & ſuauiter fragrans erat ac ſi eſſet tunc primum ſepulta, & ſuauibus aromatibus delibuta.

CAPVT XXXV.

COLONIENSIS QVAEDAM Matrona filium ſuum ab Ordinis Cartuſienſis ingreſſu auocare modis omnibus ſtudens, nulla tamen id ratione efficere valet.

COlonienſis matrona quædam, honeſta quidem ſecundùm ſeculum, ſed nõ ſatis Deo deuota, cum puerum eſſet enixa, contigit paulo poſt ſubingredi ad ſe perſonam religioſam & ſpiritualem. Qui attactus diuina reuelatione, ita reſpondit: *Paruulus iſte, ô mulier quem nunc eniſa es, ſi vixerit, apud albos Monachos vitam ducet religioſam, & eam vitã, quã ipſe Dominus ſua eſt benignitate probaturus.* Illa magis carnalẽ, quàm ſpiritualem vitam in filio diligens, ſurda hæc aure percepit, & creſcentem bonæ indolis iuuenem, ad mundanam laſciuiam attrahere nitebatur. *Sed non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.* Prou. 21. 30. Quantò enim illa deorſum, tantò Deus iuuenem ſurſum trahebat, & deſiderijs cœleſtibus inflammabat. Trahente autem Deo, fruſtra oẽs nititur creatura. Attactus igitur diuina gratia in ſtudijs Scripturarum, moribuſq; ſemper probitate creſcebat, & ſeipſo ſemper melior reddebatur. Venit aũt tempus, quo debuit vox vaticinantis impleri: hinc itaque iuuenis mundũ, & quæ in mũdo ſunt omnia relinquens, ad domũ Montis

tis Dei, Ordinis noſtri properans, illic ſe probari poſtulat, & clementer admitti. Admiſſus eſt, probatus eſt, bonus, conſtans, & fidelis inuentus eſt. Qui primam gratiam poſteriore conſummans, ad perfectiſſimum vſque finem deductus eſt. Hinc patet (vti antea dixi) fruſtra niti ſecularem induſtriam, quando nimirum diuina ſeſe manus obijcit.

CAPVT XXXVI.

PASTORI CVIDAM SECVLARI à quodam Franciſcanæ familiæ Monacho prædictum fuit, quòd Religioſus aliquando eſſet futurus.

IN ſimili caſu legi, quod nunc ſubijcio. Fuit aliquando ſacerdos ſecularis Paſtor Eccleſiarum, qui ouiculas ſuas ſtrenuè regens, bonis ſermonibus ſanctiſque prædicationibus imbuebat. Hic non ſe mercenarium, qui fugit aduentante lupo, ſed fidelem paſtorem, etiam in aduerſis omnibus, exhibebat. Nam & Principibus & poteſtatibus obuiabat, & raptores ſacrilegoſque, & qui immunitates Eccleſiarum diminuere ſatagebant, pro viribus repellebat; vſque adeo, vt pro hac re mors illi ſæpius fuerit intentata. Accidit autem, vt cum quodam religioſo & ſpirituali Patre veſceretur ad menſam, qui poſt aliquot deuotas ſermocinationes, dixit ad eum:

Ord

Oro te, bone ſacerdos, vt Ordinem noſtrum ingre-di velis, & eum fructum facere, ad quem te diſpoſuit Deus. Erat nempe Religioſus iſte, Diui Patris Franciſci Ordinis, & in Obſeruantia præcellentiſsimus. Sacerdos vero nec animum ſibi eſſe aliquem pro religione captanda, quaſi irridens, ita reſpondit: *Abſit a me, abſit vt religioſus fiam, qui hoc ſeculo ſatis delector, nec facile me patiar ab eius amore diuelli.* Tunc ille diuino ſpiritu (vti credo) concitatus, ſeuериоrem illum oculo reſpiciens, ita ait: *Credo, & firmiter credo quia nunquam in hac vitæ ſeculari morieris.* Completa eſt prophetia hæc. Nam & hic paulo poſt Monachus eſt Cartuſienſis factus, & tali eſt vita conſummatus, vt felici cum morte credamus perfunctum.

CAPVT XXXVII.

QVO PACTO IDEM ILLE PASTOR ſuam differens conuerſionem, verberibus à Deo adactus ſit, Religionem ingredi, atq; à Prioratus officio, quod aliquandiu exercuerat, poſtmodum amoueri.

HIc Sacerdos, cuius iam memini, cùm eam mentem concepiſſet, vt Ordinem Cartuſienſem ingrederetur, & ob ſecularia negotia quæ illi imminebant, ſua voto tardaret, dicens cum Perſio poeta, *Cras hoc fiet*, ſed terminus te religioſus excipit,

VIDE NOTAS. cipiet, & Monachus procul dubio morieris, idem fiet cras, id eſt, hanc fatuam procraſtinationem Dominus volens illi oſtendere, quàm indignè ferret, tali illum ſtatuit terrore concutere, quo vexatio
Eſa. 28. 19. illi immiſſa, tribueret intellectum. Quadam nocte, cùm in lecto dormiens pauſaret, territus eſt per acerba ſomnia, & per viſiones horrore commotus. Vidit etenim ſe dæmonum manibus longius auferri & in profundiſsimum puteum, aquis ſulphureis ſcatentem, collo tenus immergi: ita vt penè præfocatus, animam videretur exuere. Dehinc extractum ex vaſtante voragine, terribilibus illum verberibus quatere cœperunt, & magnis agitare turbinibus. Clamabat autem ille, & Domini miſericordiam crebris vocibus flagitabat. Tandem ſibi redditus, inuenit ſe anhelum, gemebundum, & anxium. Et admirans, an hæc ipſa veraciter eſſet perpeſſus, cœpit ſe vndiq; palpare, & ad lucem conſpicere. Inuenit itaque ſe diuerſis in partibus corporis, liuidum, lacerum, tumefactum. Nam veſtigia verberum, quæ remanſerant, indicabant plagam, qua percuſſus erat. Cumque nec ſic caſtigatus, poſſet eatenus emolliri, vt vota compleret: amabat enim tenacius hoc ſeculum, appoſuit Dominus rurſus

nouis

nouis eum caſtigare flagellis, vt mentē adamātinam crebra cocuſsione perſtringeret. Rurſus igitur datus eſt in manus impij, & ſub tortorū poteſtate redditus, & tantis tamq; immanibus eſt verberibus exagitatus, vt tandē duritiā cordis emollirēt vulnera corporis. Talibus ergo cladibus fatigatus, animū promiſsis apponens, propoſitum implere maturauit, timens ne iterum, aut plagis durioribus traderetur, aut certè grauioribus periculis periturus perpetuò ſeruaretur. Contigit verò hunc eundem Patrem, cùm ad Ordinem receptus eſſet, magna quadā tentatione cōprehēdi, & nimia tēpeſtate animi percelli, ita vt nec dormire, nec quieſcere poſſet. Vnde vidit quadam intempeſta nocte, cùm vigil lecto decumberet, aliquem coram ſe ſtantē, & leniter his verbis inſonantē: *Et tu, ô frater, quare non dormis?* Et ille: *Et tu,* inquit, *cur me interrogas, cùm ipſe ſcias omne malum, quod patior? Ego recens cum dedecore, ſine meo merito, à Prioratus officio reiectus, & turpiter exploſus, cùm ipſe ſcias, quiſquis es, quam fuerim cuſtos ſolicitus viarum mearum.* Ad quem ille: *Et quis eſt, rogo, ab officio reiectus?* Reſpondit: *Ego. Et quis* (ait) *ad officiū te vocauit?* Reſpondit: *Deus, vti optimè confido. Nā diuina operatione omniū fratrū vocibus electus ſū.* Ad quē ille: *Si Deus* (inquit) *te vocauit, nō ergo*

ergo tu: ſed Deus in te reiectus eſt Ego te de mundo ad Religionem verberibus euocaui, ego te in Religione promoui. Ego itaq́ ſum, qui in te reiectus & deſtitutus ſum Hæc dicens, cœpit abire is, qui loquebatur. Tunc frater: *Quid igitur facturus ſum? Nihil aliud (ait) quàm vt patienter agens, quieſcas de cætero, dormiasq́ ſecurus, alioquin me ex amico reſiſtentem tibi inuenies.*

CAPVT XXXVIII.

PERDICES PRO INFIRMO QVOdam ad ignem, de medicorum conſilio, aſſa, in piſces commutantur.

NOuimus olim fuiſſe (vt ſcriptum reperi) in domo Ordinis noſtri Colonienſi, ſacerdotem quendam, omni laude dignißimum, quem pro ſuarum virtutum claritudine, omnes vti Dei ſanctum, & iuſtum Monachum proſpectabāt. Erat enim acerrimus corporis ſui caſtigator, crucis mortificationem iugiter in ſua carne portans. Et quia grauem corporis macerationem communiter ſequitur moleſta carnis ægritudo, ideo hunc tam miſera quædam inuaſit valetudo, vt ad mortem vſque fractis viribus ægrotaret. Erant verò omnes ſoliciti fratres pro huius tanti Patris bona valetudine; timentes, ne ſi obiret, Religionis totius ſpeculum cadere videretur. Aduocantur igitur medici, rogantur, vt infirmo

infirmo opem ferant. Scrutatis venis, & vrina conſpecta, omnes in commune iudicant, hunc veraciter moriturum, niſi emortuas vires eſu carnium refocillet. Prior ſolicitus pro huius conſeruanda vita, hortatur, & præcipit, obedientiæq; ſacramento iniungit, vt acquieſcat medicorum votis, quò poſsit priſtinum virtutis robur recuperare. Rogat ille Priorem maximè, ne ſibi talia præcipiat, cùm iam dudum carniū eſum ipſe non ſolū abdicauerit, ſed & ex toto corde aſpernatus ſit. Nihilominus, authoritate Prioris vrgente, coctæ ſunt perdices, & ad ignem optimè aſſatæ, vt tali edulio conſpecto, eius excitaretur appetitus. Allatas perdices ille vt vidit, vehementer inhorruit, ſobrietatis ſuæ ac parſimoniæ conſcius; ſtringebat tamen eum vi magna iuſsio præſidentis. Cùmque illi eſſent perdices appoſitæ, ſuſpirans vdis oculis ſuſpexit in cælum, & tacitus Dominum precabatur. Cumque ille oculos demiſiſſet in menſam, aliquid guſtaturus (mirabile dictu) carnes illæ in piſces optimos conuertuntur, mirantibus qui aderant vniuerſis, & Dominum altiſsimis collaudantibus præconijs. Sed hoc penè prætereieram, quòd hæ perdices verſæ in in piſces, tam mirabilem, tamque ſuauem ipſi infirmo cæteriſque, qui inde guſtarūt,

attulerint ſaporem, vt & ipſi edentes, & qui audire hæc poterant omnes mirarentur.

CAPVT XXIX.

NOVITIVS QVIDAM DE CARNIum eſu à Diabolo, qui eas attulerat, tentatus, ad ſuum ſe Superiorem conſilij cauſſa recipiens, dæmonis euaſit technas.

ET quia de non edendis carnibus iam mentio facta eſt, dignum duxi, quod nuper legi exemplum, relatu dignſsimũ, ſubijcere, quod tale eſt. Ante hæc noſtra tempora venit ad Ordinem Cartuſienſem Nouitius quidam, vir multæ probitatis, cui Diabolus talem ruinam eſt machinatus. Immiſit illi guſtandarum carnium appetitum tam vehementem, vt ille vix ferre præualeret. Luctabatur nihilominus contra hanc virulentam immiſsionem: ſciens carnalia deſideria aduerſus animam iuſti militare: interdum tamen, vti fragilis, quæ aſpernabatur, appetebat. Lex nãque carnis, contra ſpiritum præliabatur. Vnde quodam die, poſt longa certamina, Diabolus credens hunc iam facile ceſſurum, ſpeciem formoſi iuuenis induens, aſſas ſimul & elixas carnes palàm illi ad menſam inferens, vbi ſolus prandij tempore reſidebat in cella, ait: *Surge ocyus, ſurge,*

ge, & cupitas iamdudum eſcas, atq; optimè præparatas carnes, pro tua voluntate manduca. En, vide quàm molles, quàm delicatulæ ſint. Ille nihil territus (etſi ſciret Diabolum eſſe) ait illi: *Expecta paulìſper, ego ad te citius reuertens, faciam quod hortaris.* Statim ille pergit ad Priorem; inſinuans quid ſecum Diabolus actitaſſet, & quas illi exſtruxiſſet fraudes. Interrogat autem Patrem, an etiā carnes debeat appoſitas manducare. Ille vti vir erat ſpiritualis, ſciens dæmonem nihil ſua calliditate contra obedientiæ virtutem præualere poſſe, iuſsit nouitio, vt appoſitas carnes, nihil hæſitans, manducet. Qui reuerſus ad cellam, ait Diabolo: *Adfer huc carnes tuas, & ocyus eas manducabo.* At Zabulus cernens aſtutias ſuas obedientię virtute euacuari, cum fantaſticis cibis repente diſparuit, & mirantem iuuenem, liberum vacuumque reliquit. Quippe qui didicerat, technas omnes & fraudes calidiſsimi hoſtis, ſola perfectæ humilitatis obedientia poſſe ſuperari: ſi modò tētatus, ſuas velit impugnationes, & virulentas dæmonū immiſsiones, ſuis aperire Superioribus, & nihil apud ſe, in mētis ſuæ angulis occultare. Antiquum etenim pręceptū eſt SS Patrū, & verè tutiſſimū, vt ſi volumus à dęmonū deceptionibus tuti atq; integri perdurare, tetationes

noſtras omnes illis, aperire non vereamur, qui noſtrarum curam gerunt animarum. Odit namque Diabolus omnes, qui immiſſas ſibi ſuggeſtiones accuſantes ſemper palam efferunt.

Cap. XL.

Alivs qvidam ab eodem maligno tentatus ſpiritu, vt gulæ ſatisfaciens, piſorum veſceretur iuſculo, conſimili conſeruatus eſt modo.

AD hoc ipſum etiam conducit, quod nunc ſubijcimus. Legi quippe ſcriptum, fuiſſe ante nos Cartuſienſem quendam Religioſum, virum pia memoria dignum. Qui vno dierum, cùm vehementiſſimè eſuriret, (vt pote qui præcedenti die parum guſtarat, & longum iam ieiunium protraxiſſet) intrat in cellam eius repente dæmon, in habitu præclaræ ac pulcherrimæ mulieris, pulmentum calidum piſorum, ac ſuaue redolens, geſtans in manibus, dicenſque: *Surge, mi frater, & hoc edulio famem tuam extingue: nunquam (vt credo) piſa meliora guſtaſti.* Ille ſtatim Priori quæ geſta ſunt, expoſuit: quærens an appoſitam debeat manducare eſcam. Quo annuente, ille ſtatim reuerſus, præſente Diabolo, ſed iam frendente, ſcutellam totam inſorbuit; ipſumque, qui decipere venerat, virtute obedientiæ decepit. Solebat hic frater

narra-

narrare fratribus alijs, & ludens dicere, nunquam ſe eſcam tam ſapidam, tamq́ue ſuauem degustaſſe.

CAPVT XLI.

RESPONDETVR CALVMNIATORibus, reprehendentibus Cartuſianorum inſtitutum, quòd perpetuis temporibus carnium eſui renuntiauerint.

SVnt nunc temporis, & olim ſæpe fuerunt homines, non ſolùm illiterati, verùm etiam qui volunt videri doctiſsimi, latrantes contra hunc ſacrum Ordinem, aſſerenteſq́ue eum durum, rigidum, atque inhumanum eſſe, & omnino carni fragili repugnantiſsimum, eò quòd vetet carnium eſum, eumq́ue penitus (etiam in extremis neceſsitatibus) auerſetur. Cæteri (inquiunt) Ordines omnes, quos Eccleſia celebres ducit, admittunt eſum carnium ægritudinis tempore: at iſti Cartuſienſes inexorabiles ſui corporis domitores, carnes damnant, nec vlla volunt admittere ratione, etiamſi ſcirent inſtantem iam mortem ſe euaſuros, aut ęgritudinem aliquam grandem propulſuros. Sic homines non Deum, ſed Carnem ſapientes, cùm mentis oculos nequeant ſupra carnem attollere, in ſola carne remanere malunt. Nos autem, qui plus aliquid quàm carnem ſapimus, aliter de hoc Ordine ſacratiſsimo

Vide Notas. iudicamus. Omitto medicos peritiſsimos, qui ſuis in ſcriptis, ac publicis diſputationibus adſeuerarunt, nulla ratione opus eſſe comedere carnes infirmis Cartuſienſibus: cùm ad recuperandam bonam valetudinem, vitelli ouorum melius aut æquiualẽtius id agere poſsint. Sed reſpiciamus ad eos homines, qui ante Diluuium nongentos & vltra annos attingebant, quando *Vide Notas.* nec carnes nominabantur quidem, minus autem edebantur. Sed, vt canit Ouidius:

Lib. 1. Metamorph. Fab. 3

Arbuteos fœtus, montanaq́; fragra legebant,
Cornaq́;, & in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula Iouis arbore glãdes.

Ecce his epulis homines illius tẽporis, inter quos etiã maximi gigantes erant, lõgeuæ vitæ, ſua corpora nutriebant. Sed his dimiſsis, veniamus ad eos Patres, quos lõgè poſt Diluuium Aegyptus & Palæſtina ſacratiſsimos habuit. Ipſi namq; Patres heremicolæ tã longè erant ab omni eſu carnium, vt Hieronymi etiam *coctum quid accepiſſe, luxuria fuerit.* Nam ſicco pane, & ſale contenti, aut lactucis agreſtibus, dactilis quoque, ſeu caſtaneis vitam omnem tranſigebãt. Prætereo plurimos, qui ſolis herbis crudis victitantes, non ſolùm carnes aut piſces, ſed nec panẽ quidẽ ſæpius agnoſcebãt. Ab hac parſimonia longiſsimè noſter Ordo recedit, cui & oua, & lacticinia, & piſ-

& piſces, vinum & iam tandem, ob corporum debilitatem, indulta ſunt: cùm tamen priſtinis temporibus plurimi ſolo pane & aqua contentabantur. Non ſit igitur murmur de nimia Ordinis auſteritate & inclementia, quando nimirum reſpectu præcedentium Patrum tot ſint nobis ciborum munera contributa, quibus potitis, meritò carnes appetere, vel querere nõ debeamus. Sic dignẽtur aduertere, qui hunc Ordinem arguũt inhumanitatis, quòd inuenient vitæ longæuioris fratres apud nos, quã in alijs Ordinibus, vbi ad libitũ carnes miniſtrantur. Nam ſæpenumerò inueniũtur in noſtris, qui non ſolũ Iubilarij ſunt, verùmetiã annos vel ſexaginta vel ſeptuaginta ſuperãt, ſemper alacres, viuidi, ſani, integri: qui in multa mentis viuacitate diẽ complent extremum. Nã & nuper noſtro hoc tempore defunctus eſt, iuxta nobiliſſimã ciuitatẽ Pariſienſem Monachus Cartuſianus, qui annos cẽtum laudata virtute in Ordine exegerat, qui vſq; ad vltimum vitæ ſuæ terminum, & nocturnam ſynaxim, & diurnas laudes ſtrenuiſsimè frequentauerat. Atque hoc modo quintum huius laboris noſtri librum terminabimus.

Finis Libri quinti.

CHRONICI CARTVSIENSIS LIBER SEXTVS.

TRACTANS DE NOVITIIS, & miraculoſa quarundam Ordinis Domorum conſtructione.

PRAEFATIO.

LIBRVM hunc ſextum, quem nunc ad manum deducimus, ita inſtituemus, vt primum de noſtri Ordinis Nouitÿs, deinde de quarūdam domorū noſtrarum miraculoſa, ſeu diuinitus procurata fundatione loquamur. Hoc namq́ pacto & Lectorem ædificabimus, & Dei gloriam depromemus. Vnum hoc deprecantes, ne nos putent, qui hæc lecturi ſunt, fabulas texuiſſe, ſed ea duntaxat ſcripſiſſe, quæ ab alÿs diligentiſsimo ſtudio exarata reperimus. Non enim (vt in libro Iob ſcribitur:) eget noſtro mendacio Deus, vt pro illo loquamur dolos, ſed nos veritate ipſius indigemus. Sola nempe veritate honoratur veritas Deus, nec poteſt vllis mendaciorum phaleris decorari, aut delectari. Is enim, qui amictus eſt lumine ſicut veſtimento, fucatas verborum tenebras non requirit. Huc accedat, quòd res geſtas hiſtoriaśq́ ſcribentem, ſolidum ac veracem eſſe oporteat, alioquin plurimos ipſe decipiet, cùm fuerit ipſe ante deceptus, & falſa dicendorum opinione contenebratus. His ita præ-

Pſal. 103. 2.

præmiſſis, noueris Lector, nos ea in ijs libris omnibus, quæ ſparſim apud diuerſos authores annotata inuenimus, in vnum aceruum condidiſſe, vt præſto ad manum eſſent, ſiquis ea aut legere cuperet, aut commemorare. Nunc ergo primò de Nouitijs ordiamur.

CAPVT I.

NOVITIVS QVIDAM FVGAM ADornans, ac muro inſidens, Magiſtri ſui, iam pridem defuncti, monitu reuocatur, ad ſeculum ne redeat; ſed potius laudabiliter in Ordine perſeueret.

OLIM Eccleſia Cathedralis Gratianopolitana Canonicum habuit, qui corde compunctus maiorem Cartuſiam eſt ingreſſus. Hic poſt aliquot menſes, cùm nouus ille feruor iam penè intepuiſſet, cœpit de vomitu cogitare. Semper enim tepor non longè diſtat à vomitu: Huic tepori importuna ſe Diaboli tentatio ſociabat, & tam frequens, tamque continua, vt nouella plantatio, & parum adhuc gratiarum fluentis irrigata, tempeſtates tam aſſiduas ferre non poſſet. Non enim recurrebat ad orationis ſuffragia, nec piorum Patrum monita capiebat. Victor igitur Diabolus, miſerum eò perduxit, vt nocte iam inſtante, clam turpem fugam meditaretur. Sedente igitur illo ſuper murum, qui cingit Cœnobium, horto ſuo proxi-

mum, ſuum (qui illum in nouitiatu iampridem inſtruxerat, quique iam mortem obierat) è cælis ad ſe venientem, multa luce conſpicuum, & magna circumdatũ gloria, dicentem ſibi: *Quorſum, ô fili, tu fugere maturas in parditionis tuæ periculum? Mane, mane, & in Ordine perſeuera, & ego tibi promitto perpetuæ felicitatis regnum, quod ipſe percipies, ſi in Ordine ad finem vſq; laudabili conuerſatione durаueris.* Ille territus primùm dein apprimè animatus, ſeſe ad mentem ſanioré recepit, cellam introijt, habitum reſumpſit, & virtute ac longanimitate proficiens, feliciſsimo eſt fine conſummatus.

CAP. II.

ALIVS QVIDAM NOVITIVS CONconſimilem volens ludum ludere, voce defuncti reuocatur.

IN hac ipſa domo Cartuſiæ, quæ eſt mater noſtra, fuit ante nos Nouitius quidã, qui ſuadente Diabolo, ac iam etiã poſsidẽte, nocturno ſilẽtio fugere ad ſeculũ moliebatur. Cũq; per Cœmeteriũ Clauſtri trãſitum haberet, audiuit de ſepulchro cuiuſdã, nuper defuncti Patris, vocé, manifeſtè dicenté ſibi: *Quo fugis, ô miſer, quò fugis? Prædico tibi, ſi hinc abieris, filius gehennæ & perditionis alumnus eris* Ille hac voce correptus, ſtupefactus diriguit, & ad ſe reuerſus, cellam repetijt, & in ea vſque in finé laudabiliter perdurauit.

CAPVT

CAPVT III.

NOVITIVS CAPPAM NIGRAM, QVAM Nouitiatus tempore nouelli tyrones apud Cartuſianos geſtant, cum tædio portans, à Chriſto arguitur.

LEGI Nouitiũ quendam, hunc noſtrum Ordinem ingreſſum, primis quidem menſibus ſatis ſtrenuum, poſtea aũt (quia non ſatis ſpiritui intendebat) cœpit à primo feruore tepeſcere. Et cùm ille plurima ſibi moleſta duceret, cappam tamen nigram, quam Nouitij ferre habent, moleſtiſsimã deputabat. Vnde quodam die, cùm meridianum ſomnum carperet, vidit Dominũ Ieſum cruce longiſsima prægrauatũ: qui anhelus & feſſus ſcalam, quæ illic ſtabat, nitebatur aſcendere. Sed crux grauiſsima tranſuerſim ſumpta, illum impediebat, nec cupitum præbebat aſcéſum. Quod cernens Nouitius, Chriſto compaſſus, aptabat ſe vt illum iuuaret, quò facilius poſſet aſcendere, dicens: *Oro te, mi Domine, vt æquanimiter feras, ſi ego te iuuem, & partem crucis tuæ ſuſtentem; video enim te nimis miſerè laborantem.* Statim CHRISTVS hunc ſeuerus atque indignans iuſsit abire, tali eum voce compellans: *Quid tu te iactitas, quaſi trabem hanc meam ferre ac leuare velis, qui cappam tuam, quamuis leuiſsimam pro me ferre contemnis?* Hoc dicto, viſio diſpa-

diſparuit, & euigilantem Nouitium ſalubri confuſione repleuit: qui tantò poſt cappam libentius tulit, quantò eam antea faſtidiuerat.

CAPVT IV.

ORATIONIBVS LIBERATVR NOuitius, rei Muſicæ peritiſſimus; cui Diabolo procurante, & vox, & cantandi peritia ſubtracta fuerat.

SCriptum reperi, Flandrenſem quendam muſicum, domum noſtram, quæ apud Pariſios eſt, vt ſe conuerteret, petiuiſſe. Hic & vocem habebat ſonoram ac laudabilem, eratque artis muſicæ peritiſſimus. Prior domus, ſcire volens an legere ſciret ac cantare, (ſic enim omnes probari ſolent, qui ad noſtrum Ordinem admittuntur) aperto libro, iuuenem canere præcepit. Statim vt ille parere voluit, Diabolus affuit, qui illi ita guttur occluſit, vt nec vocem edere, nec notulam concinere poſſet. Prior (vti erat vir ſpiritualis) agnoſcens aſtutias inimici, iuuenem in Oratorium duxit, ſecumque vt oraret, indixit. Erat nempe nimium ſtupidus, & ſupra quàm dici poteſt verecundus, quòd ſibi peritiſſimo cantori ſic repente & vox omnis, & ars dudum cognita, præerepta eſſet. Orant igitur, inſtant, deprecantur, & ſtatim, fugato dæmone, iuuenis vocem cum arte pari-

Vide notas.

pariter recepit, gaudiumque Priori ac fratribus non paruum attulit. Receptus ad habitum, cùm laudabiliter conuerſaretur, tentatorem Diabolum in ſe prouocauit, cui ſemper virtus omnis odioſa eſt: qui ſæpiſsimè illum fatigabat, quò eum poſſet ab incepto deducere. Nam nigerrimi AEthiopis formam induens, in teterrimam formidatamque ſæpè ſpeciem Nouitium affligebat: hoc vnum cogitans, vt crebris aſſultibus, hominem è ſua cella eijceret. Sed videns tandem nihil ſua figméta proficere, ijs eum verbis aggreſſus eſt; dicens: *Recede hinc miſer, recede, & noli rem inſolitam vltra vires moliri: meum olim fuiſti mancipium, meo famulatui paruiſti, Deo & huic Ordini parere non potes. Nonne legiſti, dicente Chriſto, nemine duobus Dominis ſeruire poſſe? Quid igitur fruſtra conaris? Reuertere, inquam, quia parentes tui de tua abſentia nimium affliguntur. Parant enim te ad maximam dignitatem attollere, & huic mũdo conſpicabilem promouere.* Porrò ille terrentem æquè vt blandientem Diabolum aſpernatus, ſtabilis in ſua vocatione permanſit; impoſturam faciens impoſtori, & ſancta ſua conuerſatione prophanum, impiumque contemnens. Matth. 6.24.

CAPVT V.

NOVITIVS QVIDAM, DVM Sororis irretitus blanditijs, vocationem ſuam deſerit, habitumq́; abijcit, in propinquo nemore vnà cum ſorore, ab ignotis beſtijs miſerè diſcerpitur.

VTINAM qui nunc ſequitur Nouitius Itali quoque potuiſſet induſtria Diabolum ſuperare. Nam iſte, de quo nunc loquemur, cùm Ordinem noſtrum eſſet ingreſſus, nec eſſet ſedulus cuſtos mentis ſuæ, facilem ſe præbuit Diabolicæ voluntati. Nam ſoror eius illum veniens inuiſere, cùm copiam haberet ſecum ſermocinandi, multis ſermonibus implicuit miſerum fratrem, vt votis aſſentiret ſuis, & ſecum ad ſeculum repedaret. Ille ſtatim abiecto habitu (licet in contrarium ſancti Patres hortarentur) retrorſum veſtigia intorquens, poſt Diabolum ambulabat. Sed heu non impunè. Fratre namque cum ſorore læto animo ad ſeculum remeantibus, triſtis ſubitò eis ſuperuenit interitus. Cùm enim præterirent nemus, quod Cœnobio adiacet, repente exiliunt rabidiſsimæ feræ, nunquam illic prius cognitæ; quæ miſeros hoſce nimis mordaciter inuadunt, ſtrangulant, occidunt: & dicto citius in ventrem deglutiunt, paucis reliquijs remanen-

nentibus. Viderunt hæc paſtores & agricolæ, qui huic ſpectaculo non longè aberant, & ſtatim quæ geſta fuerant, nuntiant Monaſterio. Illi audientes funeſtam cladem, & nimis amarum Dei iudicium, in communi omnes lachrymantur, & amaros gemitus effundunt ad cælos dicentes: *Quàm terribilia ſunt opera tua Domine, nimis profunda factæ ſunt cogitationes tuæ. Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget, quàm terribilis ſis in conſilÿs ſuper filios hominum.* Pſal.91.6. Pſal.56.5.

CAPVT VI.

NOVITIVS QVIDAM INSOLITA vermium diuexatione afflictus, cum de abitu cogitationem inſtitueret, facta profeſsione, iuxta Prioris promiſſum, quàm ocyſsimè liberatur.

FVIT ante nos Nouitius in Ordine noſtro, vt legi, vir quidem pius, & Ordini deuotus, ſed non ſatis in aduerſis conſtans: quippe quem vermiculi (quos pediculos dicimus) affligebant. Et reuera hæ beſtiolæ præter communem conſuetudinem, qua alios fatigant, in tanto numero illi aderant, vt Diaboli factione immiſsi haud dubio crederentur. Itaque his vermibus hic nimium fatigatus Nouitius, ac penè deſperans, Priorem domus aggreſſus, cœpit cum illo de ſua egreſsio-

egreſsione tractare. At Prior ſciens illum virum bonæ eſſe conſcientiæ, multis ſermonibus hortatur, vt maneat; nec ſe à viliſsimis vermibus patiatur expelli. Dehinc mœſtũ cõſolans: *Mane* (inquit) *fili, mane, & in Ordine perſeuera.* Iuro .n. tibi, quòd facta profeſsione ab ijs vermib. liberaberis, nec vltra tuam carnẽ attingẽt: vt noueris hanc immiſsionem pediculorum Diaboli factionem eſſe, qua te ab Ordine faciat extorrem. Acquieuit ille, & in Ordine profitens, ſtatim ita liber eſt redditus, vt ne vermiculus vel vnicus in eius poſſet veſtibus inueniri.

CAPVT VII.

NOVITIVS DIABOLI ARTE DEcem petitus aureis, intelligens tartarei hoſtis inſidias, abiecta animi inſtabilitate, laudabiliter in Ordine perſeuerat.

NOuitius quidam in ſuperiori Alemania cùm noſtrum eſſet Ordinem ingreſſus, nec ſatis firmaſſet mentẽ in obſequium Dei, cœpit de vomitu cogitare. Et iam reſolutus: O, inquit, *ſi haberem ad manum aureos decem, nequaquam hic vltra perdurarem, ſed ſtatim me ſeculo redderem, quod reliqui. Odi enim hunc Ordinũ rigorem, odi piſa & fabas, & duriſſimam Ordinis diſciplinam. Sine pecunia autem nuſquam tuta, nuſquam honeſtá profectio eſt.* Cumque vndique per cellam

circum

circumſpiceret, vidit (mirabile dictu) illos ipſos aureos iacere ſibi ſub oculis probatæ monetæ & publicæ. Tũ ille attonitus nimium: *Vnde*, inquit, *hoc aurum, vnde hi nummi tam ſubitò prouenerunt? hoc præſertim in loco, vbi nunquam pecunia conſueuit inueniri? Certè hoc artificium, ô Zabule, tuum eſt, hi doli tui ſunt, quò me ab Ordine eijcias, faciaſq; extorrem. Nunc magis ipſe manebo (vt tibi crepent oculi) me perſeuerantem videbis, & quæ ſancta ſunt æmulantem, pecunia verò tua tecum abeat in perditionem.*

CAPVT VIII.

IN CARTVSIA VLTRAIECTINA Nouitius quidam priſtinarum memor diuitiarum deliciarumq; , cùm abitum tacitus ſecum meditaretur, ab auicula perſeuerantiam eſt edoctus.

OLIM in domum noſtram, quæ iuxta inferius Traiectum eſt, vir magnarum opum, & qui in ſeculo multa fuerat claritate conſpicuus, ingreſſus, habitum Ordinemque ſuſcepit. Verùm, vt Iſaias ait, *qui receſſit à malo, prædæ patuit:* inuidia namque Cap. 59. 15. Diaboli agitatus, qui prædam ſuam ad ſe reuocare curabat, multis & magnis cœpit tentationibus fatigari. Cogitabat nempe quas diuitias, quaſque delicias dudum habuerat, & quantis fuerat honoribus ſublimatus: & hæc cogitans, de vomitu penſi-

 tabat,

tabat. Cumque iam in id mentem non ſatis ſanam impuliſſet, vt recederet, tali ſigno eſt ab amentia reuocatus. Habebat nēpe, de voluntate Prioris, auiculam arte canentem in cella ſua, qua cum ludere ſolitus, ſuas temperabat anguſtias. Inſtante igitur die, quo abire decreuerat, acceptam auiculam, emiſit ex cauea: ad quam, apertis cellæ feneſtris, loquebatur, dicens: *Vola, vola, & liberè quò nunc volueris, perge. Perge, inquam: nam mox ego te conſequar, eam cupiens libertatem, qua te nunc ipſe donaui.* Mirum dictu, auicula indomitum ac libertatis amans animal, omniſque ſemper clauſuræ impatiens, licet omnia paterent, & ſub nudo aere locaretur, diuino (vt puto) inſtinctu, nuſquam tentabat aufugere, nuſquam voluit de cella commigrare. Ille, cùm ſagacis eſſet ingenij, ſignum hoc Dei muneri adſcribens, paſſus eſt ſe ab irrationabili animante edoceri, intelligens multo magis illum nuſquam oportere auolare, nec vana libertate potiri, nec inſtar vxoris Loth, ad fumigantem Sodomam oculos retorquere. Manſit igitur ſtabilis, & perſeuerans, pluris faciens gazis Aegyptiorum, improperium Chriſti.

Geneſ. 19. 26. *Hebr. 11. 26.*

CAPVT

CAPVT IX.

NOVITIVS PER SCALAM SIBI A dæmone ad deſcendendum in profundum malorum præparatam, in bonum conuertit omen, ſtabiliſque permanſit.

LEGI Ordinem noſtrum olim Nouitiũ admiſiſſe, qui ſub prima quidem conuerſatione ſatis ſe laudabilis vitæ Monachum exhibebat. Verùm illo agente, qui ſuo anhelitu prunas ardere facit, nullam neq; die, neq; nocte requiẽ habuit, ſtimulatus à Sathana, vt ad ſeculum remearet. *Iob. 41. 12.* Vicit tandem improbus exactor, & in eam inſaniam miſerum perduxit, vt ſcalã quærere inciperet, qua poſſet per murum, cellæ contiguum, ſe tranſmittere. Sic igitur affectus, cùm de receſſu anxius cogitaret, & per hortum æſtuans crebrò deambularet, ſcalam, quam antea illic nunquam viderat, factione diabolica ſtare conſpexit, & nimium admiratus, ait: *Agnoſco, ô dæmon, fraudes tuas, & deceptionis laqueos patenter agnoſco. Hæc ſcala, quam video, nunquam me leuaret in cælum magis autem me mergeret in infernum. Vt igitur tua te arte decipiam, dabo operam, vt hæc ſcala mihi fiat aſcenſus in cælum, quam tu mihi præparaſti ad gehennæ puteum.* Hæc dicens, & ad ſe reuertens, in cellam rediit, & apud ſe deinceps ſedulus permanſit. Semper autem multis la-

chrymis affectum illum impium ac tetrũ plangens, mentis ſuæ perfidiam, gemitibus expiabat aſsiduis.

CAPVT X.

DVO NOVITII, PARENTVM LEconijs ad ſecularem reuocati vitam, ocyſsimè cum illis peſtifera infecti contagione, infeliciter hinc emigrarunt.

DVo Nouitij, cum ſeculo renuntiaſſent, & ſe noſtro Ordini mancipaſſent, Diabolus hominum inuidens ſaluti, vtriuſq; parentes aggreſſus, de ſuorum pignorum abſentia vſque adeò inflammauit, quòd eam nimis impatienter tolerarent. Cùm igitur carnales affectiones ſuas non vellent freno rationis comprimere, vno animo inflammati, ambo Cœnobium intrãt, orantes, vt ſuis cum filijs eis liceat habere ſermonem. Annuit Prior, nihil ſuſpicatus ſiniſtri. Illi ſtatim vt ſunt admiſsi, nouos tyrunculos virulentis hortaminibus ſuadere cœperunt, vt moleſtum Ordinem, & rigoribus atq; auſteritatibus plenum, deſerant, ſecumque ad ſeculi delicias reuertantur: *Nos*, inquiunt, *iam ſenes ſumus, veſtro ſolatio carere non poſſumus, præſertim cùm hæreditates noſtræ in periculo ſint futuræ, niſi vos hæredes præſentes habeant.* Quid plura? Hortantur, & vincunt: & quibus ſaluti eſſe debuerant, hos ſecum perituros ad ſeculum tra-

trahunt. Sequuntur captiui iuuenes deceptos ſenes, non longo tempore de ſua perfidia gauiſuri. Nam paulo poſt, ſæuiente Deo, & patres, & filij in inguine percuſsi, virulenta ſunt peſte in mortem reprobam (vt vereor) præcipitati. Vnde & factum eſt, vt ſeſe, & filios nimis acerbè perderent, qui ſe per hos reparari, ac conſolari arbitrabantur.

CAPVT XI.

NOVITIVS, POSTQVAM MONASTIcum deſeruiſſet habitum, ingerens ſe laſciuis puellarum choreis, tegula è tecto in cerebrum decidente, miſerè expirauit.

NOuitius quidam noſtrum Ordinem ingreſſus, cùm prior illi feruor tepeſceret, cœpit Ordinem paulatim exoſum habere, atque per hoc etiam de exitu meditari. Vicit tandem, quæ illi importuna erat, diaboli vis, & captiuum miſerũ traxit ad ſeculum. Hic vno dierum cùm in platea choreas duceret, mixtus conſortio puellarum, ac parui penderet quòd ſanctum Ordinem temeraſſet, cùm crebrò ſaltitãs circũiret, ac leuiſsimas cantilenas ipſe præcineret, vltor perfidiæ Deus, tantam procacitatem ferre non ſuſtinens, repentinam in mortem inſanum iuuenem præcipitem dedit. Nam inter circumeundem, cùm ſub

tecto vicinæ domus incederet, tegula vna repente è tecto exiliens, cerebrum illi illiſit, excuſsitque & tetram in necem rapiens, ad gehennæ (vti verendum) incendia deſtinauit.

CAPVT XII.

NOVITIVS NON IMPERITVS Artis Muſicæ, poſt ternam inſtabilitatem, in gutture à Deo horribiliter punitus, vita infeliciter priuatur.

MEmini me legiſſe de Nouitio quodam, ad Ordinem recepto apud noſtros, qui quia peritiſsimus erat muſicus, & voce optima dotatus, ab omnibus fratribus amabatur. Et quia id genus hominũ vagum atque inſtabile eſt; Diabolo ſuadẽte, Ordinem dereliquit. Poſt, neſcio quo ſpiritu compunctus, redijt: & ſe recipi petijt, obtinuitque. Probatus igitur rurſum, & reueſtitus, in cellam intromittitur. At ille ſemper ſuam ſequutus inconſtantiam, iterum vomuit, & habitum proijciens, ſeculum, quod diligebat, repetijt. Tertiò compunctus, rurſum aliam aggreſſus eſt noſtri Ordinis domum, vbi tunc mores eius neſciebãtur. Et quia Ordo noſter ſemper appetit ſonoras canentium voces, ſicut recipi ſe petijt, ita & impetrauit. Sed ò perfidam humanæ mentis inſaniam. Nos ſemper vagi, ſemper inſtabiles, ſemper muta-

mutabundi, niſi ille nos ſtabiliat, ille nos roboret, qui ſiſtit maria, & fluenta Iordanis retro retorquet. Nam ſine Deo, nihil validum, nihil ſtabile, nihil ſanctum. *Omnis etenim plantatio, quam non plantauerit Pater cæleſtis, eradicabitur.* Matth 15. 13. Iſte igitur tertiò probatus, tertiò veſtitus, tertiò reprobus, & reprobatus inuentus eſt. Habitum namque indignè proijciens, mundi ſe iterum actionibus implicuit. Sed non impunè. Terna nempe apoſtaſia Dominus offenſus, quartò vindictam vibrare cenſuit, & miſerum, terribili plaga in gutture percuſsit. Quam peſte ille correptus, citò de medio ſublatus eſt, & Chriſti tribunalibus reſeruatus. Eodem nempe quo exijt anno, etiam obijt, eodem corporis membro punitus, quo ſæpius Deum offenderat. Nam guttur ſuum, quod crebrò aperuerat ad vanitatem, Deo ſæuiente, occluſum eſt per vindictam.

CAPVT XIII.

NOVITIVS QVIDAM COLONIAE ad Ordinem admiſſus, cùm ſemel diſceſsiſſet, ac poſtmodum denuò admitti poſtulaſſet, nequaquam voto quiuit potiri ſuo.

HAbemus domũ Ordinis in Agrippina Colon. ad quã ſcholaris quidã ſe contulit cõuerſionis gratia. Receptus, ꝓbat⁹, appẽ-

ſus eſt, ſed inuentus eſt minus habẽs. Nam ſuadente ſalutis noſtræ aduerſario, qui illi importunus atque aſsiduus incumbebat, ceſsit improbiſsimo exactori, & dans locum Diabolo, mundi palæſtrum iterum aggreſſus eſt. Hæc eſt illa palæſtra, qua perditiſsimi homines Diabolo militant, brauiũ æternæ perditionis ſortituri. Huic tentationi ceſsit, & locum dedit in die beatiſsimi Thomæ Apoſtoli, ſed rogantibus eum Priore & fratribus, acquieuit vſq; in diem Protomartyris Stephani permanere. Vltra autem non ſuſtinens, totum ſeſe hoſti tradidit, & eodem die (non animaduertens præſentes ſolemniſsimos dies) habitum reiecit, & ad ſeculum, ad fumigantem Sodomam, quam ardebat, recucurrit. Compunctus tamen paulo poſt, ipſo ſacro Theophaniæ die rurſum recipi ſe petiјt, non tamen impetrauit. Et meritò quidẽ. Suadet namq; ſanctiſsimus Hugo noſter, Lincolnienſis Præſul, Ordini ſemper cauẽdum eſſe à lenitate inſtabiliũ palearũ. Hic igitur non admiſſus, cernens ſe non poſſe recepi, iſta ſubintulit, dicens: *Meritò fratres nunc recipiendus eſſem, ſi expulſionis cauſam aduertere dignaremini.* Nam ipſa Vigilia Thomæ Apoſtoli vidi hoc Monaſterium nigerrimis canibus plenum, qui latratibus & rictibus fugere hinc me compel-

pellebant. Quia igitur non mea ſponte, ſed Zabuli importunitate victus, terga præbui, oro, vt veſtra me clementia benignè recipiat, quem malignitas hoſtis eijcere cogitarat. Non eſt tamen, ob hæc, ad Ordinem reaſſumptus, occulto Dei iudicio aliud aliquid de eo diſponente.

CAPVT. XIV.

NOVITIVS OPIBVS AC ERVDItione pollens, Diaboli technis amicorumq; moleſtijs toto Nouitiatus ſui tempore mirum in modum exercitatus, tandem pridie quàm profeſſionem editurus eſſet, tentationibus omnibus miraculoſe eripitur.

FVit circa hæc tempore noſtra vir doctrina & eruditione admodum clarus, qui noſtrum Ordinem aſſumens, maximis cœpit tentationibus fatigari. Nam ab ipſo Ordinis ingreſſu, ſemper ſibi omnia in contrarium vertebantur. Amici, propinqui, neceſſarij, fraudes ac tendicula illi parabant, & quæ in ſeculo aliquando iuſtè poſſederat, detrahebant. Ad hæc acceſsit illi infirmitas corporis moleſtiſsima, quæ illum probabat, diſcutiebatque, an fidelis, & Deo dignus perduraret. His tantis agitatus anguſtijs, nullatenus ceſsit. quippe qui fundatus erat ſupra firmam petram, quem nec flumina, nec imbrium vis, Matth. 7. 24.

vis, nec ventorum impetus poterat commouere. Sed non defuit militi ſuo adiutor Deus, quippe qui illi conſtantiſsimum in aduerſis animum dedit, & præcedenti die, qua erat profeſsionem facturus, omnem illi corporis ægritudinem ac moleſtiam abſtulit, & in Chriſti victoria exultantem, de cunctis ſibi aduerſantibus, triumphi gloriam præparauit.

CAPVT XV.

MVSICVS QVIDAM DE SVA gloriatus inſigni animi conſtantia, leui momento à ſuo quondam collega euertitur.

LONGE aliter iſte, de quo loquimur nunc. Muſicus quidam in ſeculo peritiſsimus, neſcio quo compuctus ſpiritu diſciplinæ noſtræ rigorem aggreſſus eſt. Hic quidem videbatur feruentiſsimus eſſe; quippe qui ſuis viribus confidebat, ſicut gigas ille, quem Dauid arguit ſua virtute confidentem. Cumque fratres ſuam conſtantiam mirarentur, & eum coram de ſuo feruore laudarent, interrogarentque, an non illi eſſet dæmon infeſtus, qui illi exitum perſuaderet, reſpondit ille: *Nec diabolum, nec matrem eius curo. Vſque adeò mihi animus in perſeuerantia robuſtus eſt, vt ci-*

tius

tius arborem illam (quercum demonſtrans) poſſetis manibus euellere, quam animum meum poſſet diabolus à ſancto propoſito detorquere. Sed nunquam profuerunt verba ventoſa: ſemper enim alta cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur. Nam paulo poſt venit illum inuiſere vnus ex amicis cantoribus, qui modica ſuaſione facillimè illum retraxit ad ſeculum: non euulſus, nec vim aliquam paſſus, ſed tenuiſsimo tentationis vento afflatus, loco ceſsit; priſtinæque ſe muſicę vanitati reſtituit. Adhuc ſtat arbor illa, quam ille monſtrârat, tot agitata turbinibus, tot nimbis interea fatigata; ille autem vel leuiſsimo flatu à fundamento reuulſus, & expulſus eſt: quia propter ſuperbiam, pede motus, ſtare non potuit.

CAPVT XVI.

CVR NONNVLLI RELIGIOSI *inſtabiles fiant, minuſue proficiant, nempe ob humilitatis defectum.*

COmmuniter videmus omnes, qui in Ordine aut non perſiſtunt, aut non proficiunt, ſuperbia agitari, viam humilitatis, veritatiſque aſpernari. Hi ſunt, qui monita pietatis deſpiciunt, qui indignè ferunt, quando de ſuis exceſsibus emen-

emendantur, quando ad viam virtutis impelluntur. Semper turgidi, inflati, ac rebelles ſempiterno lumini. Hinc fit, vt ſemper ſeipſis reddantur deteriores, cæci, nudi, miſerabiles, calamitoſi. Dicit Ariſtoteles, addiſcentem oportere credere, & diſcipulum ſuo magiſtro non reluctari. Nam qui hæc non peragunt, crebrò apoſtaſias incurrunt.

In lib. Ethic.

Capvt XVII.

Novitivs institvtoris svi monita deſpiciens, irridensq; ſeculum repetens, miſerabili eſt morte præreptus.

Circa hæc noſtra tempora fuit Nouitius, vt obſcurus genere, ita & virtute ignobilis. Hic Ordinem ingreſſus, noſtrum, ita ſe geſsit, vt omnia inſtitutoris ſui monita contemnenda duceret, atque etiam irridenda putaret. De hoc habebatur ſuſpicio, etiam violenta, quòd veſpertino tempore etiam cum habitu ad proximum oppidum conuolabat, amicam illic, quam ante poſſederat, allocuturus. Cautè tamen ſemper id agebat, vt ad Matutinam Synaxim inueniretur in choro. Verùm hos dolos, hanc fraudis nequitiam Devs ferre non ſuſtinens (quippe qui pro Ordinis honeſtate zelabatur) hunc in reprobum ſen-

ſenſum tradidit, & in illius manus deuenire conceſsit, qui animæ eius ſanguinem ſitiebat. Vnde ſtatim infernali miniſtro attributus, ſeculum repetijt, & vitam omnem proſtituit inimico. Non impunè tamen. Nam paulo poſt peſtilenti igne tactus, cùm ad extrema ſe vrgeri cerneret, & mortem inuitiſsimè admitteret, his vocibus querebatur: *Ah iam hanc iuuentutem mori neceſſe erit, quæ longiſsima adhuc vitæ poſſet idonea inueniri?* Ille igitur omnem animum intendens, quò poſſet præſens periculum fugere, & vitam fragilem emereri, nihil de ſempiterna vita, aut morte ſollicitus, cum monita ſalutis ab ijs qui aderāt aſpernanter acciperet, nec quicquam ſalutiferum cogitaret, miſerabili & flebili morte præreptus, vitam non ſolum temporalem, ſed & perpetuam, vt timemus, amiſit.

CAPVT XVIII.

NOVITIVS TIMIDIOR HOMInum, quàm Dei, cauſam redeundi ad ſeculum fingit.

SAcerdos quidam ex Selandiæ partibus oriundus, noſtrum habitum induens, cùm rigorem diſciplinæ ferre non poſſet, cœpit animum inducere ad egreſſum; & quia grandæuus erat: quippe cui conuerſio neceſſaria videbatur: fraudibus inniti

cœpit,

cœpit,& texere dolos. Finxit enim ſe olim habuiſſe vxorē,& hanc illi in ſomnis apparuiſſe,rogaſſeq; virum,vt peregrinationem in vita promiſſam, per ſe ipſe cōpleret: atque hoc pacto à tormentis eam ingruentibus liberaret. Fratres etſi ſatis aduerterent hominis calliditatē,cùm nollent tamen votis eius magnoperè reluctari,egrediendi, & vxoris (vt dicebat) vota complendi, liberum ei tranſitum contulerunt. Verùm ille nec peregre profectus eſt, nec de reditu cogitauit; ſatis dans intelligere, quòd fraudem contra animam ſuam molitus ſit.Nihil etenim Ordini nocitum eſt,ſed ſibi plurimum.

CAPVT. XIX.

ADOLESCENS QVIDAM BONAE indolis,Religionis ingreſſum procraſtinans, enſe ex inopinato transfoditur.

ADoleſcens quidam bonæ indolis, ac proborum morum, quem omnes pro ſua manſuetudine plurimum diligebant: Erat enim (vti videbatur) totus Deo deuotus,& fugitans laſciuiarum,cuius & honeſtiſsimam vitam plurimi commendabant.Hic diligens Ordinem noſtrū, ardētiſsimo propoſito ingredi inſtituit, ſed, heu,nullatenus adimpleuit.Semper enim, coruo ſimilis, cras, cras, clamitabat, licet id votis omnibus ſe completurum aſſeret.

ret Sed qui ſcrutatur renos & corda Deus, non ſolùm aſpiciens quæ diceret, ſed etiã quid in ipſis animi medullis cogitaret, huic iuueni tribuit, ſecundùm quod viderat cor eius. Et licet ille procraſtinaret conuerſionem, Deus tamen non diſtulit vltionem: licetq́; ille tardaret conuerti ad vitam, Deus tamen non moratus eſt repentinam inducere mortem. Nam cùm minus cautè obambularet, & circa quarundam muliercularum domunculns (neſcio quid ſcrutaturos) crebrò iter haberet, in ſuſpicionem venit, illic quampiam adamare; vnde ab alio quodam proco repente gladio impetitus, crudeli funere abſorptus eſt. Sic pereunt, qui pulchra Deo, ſanctiſq́; promittant: *quia ruina eſt hominis, ſanctos deuotare, & poſt vota non reddere.* *Prou. 20. 25.*

CAP. XX.

DE MIRACVLOSA CARTVSIARVM quarundam conſtructione, ac primo quidem de cella B. Virginis Mariæ, iuxta Nurebergam diuinitus olim erecta.

PRima iam huius operis explicita parte, nũc reliquũ eſt, vt ſecũdæ partis materiã citius abſoluamus. Hic etenim loquuturi ſumus (vt ſupra tetigimus) quibus ſignis prodigiiſq́; ac miraculis plurimæ noſtri Ordinis domus ſuam ceperunt originẽ. Et primò quidẽ de domo noſtra, quã iuxta Nurenbergam habemus, dicedũ eſt,

Erat in hac vrbe olim vir diues & inclytus, cuius menti inſpirauerat Deus, vt ſuis redditibus Cœnobium Cartuſiẽſibus præpararet. Cumque ille locum aptiſsimum prouidiſſet, & iam impenſas plurimas aggeràſſet, ciues vrbis id ægrè ferentes, eius deuotioni vehementer obſiſtunt, eumq́; ne ædificet, prohibent. Ille obſtaculum paſſus, nimium indoluit, & cum lachrymis queſtus ſuos Dei explicuit Genetrici. Cui illa magna luce reſplendens, impenſâ conſolatione, ita reſpondit: *Noli, fili mi, ſuper hac re nimia fatigari mœſtitudine. Ego aderò tibi, & vrbis aſſenſum ad tua vota conquiram: tu tantum quæ incepiſti, ne deſeras. Ego tibi omnium corda ad tua faciam incepta concurrere. Quod ego tibi, dum præſtitero, hanc domum, quam ſtructurus es, Cellam Mariæ nuncupabis.* Hic taliter animatus, circa diem Pentecoſtes ciues, ciuiumq; Magiſtros aggreditur, orans vt ſuis cœptis dignentur annuere. Mirum dictu, qui dudum animo pertinaci reſtiterant, Dei Spiritu afflati, vno omnes tunc fœdere fauent, annuũt adhortantur, auxilium ſubſidiũmqe ſpondent. Erat verò in hac vrbe Sacerdos vir multarũ virtutum, qui olim huius ſtructoris extiterat pædagogus. Hic cùm per Virginem Matrem in ſomnis ſimiliter eſſet admonitus, ſtatim ſub aurora hominem adijt, & quæ ex Diua

Virgine audierat, intimauit, dicens: *Age quod agis, mandat tibi Dei Genitrix Virgo Maria, vt cœptam domum perficias, eiq; cellæ Mariæ nomen indas.* Gemina igitur Virginis reuelatione commonitus, domum ipſam ad finem vſque compleuit. Porrò ſacerdos ille, Monachi illic habitum ſuſcepit, qui ſua induſtria factus poſtmodum Procurator, domum ipſam magnificè promouit.

CAPVT XXI.

DE CONSTRVCTIONE CARTVSIÆ *Colonienſis, quam Archiepiſcopus VValramus, in honorem* D. BARBARAE, *cæleſti edoctus monitu ibidem, ædificauit.*

HABVIT olim Colonia Agrippina Archiepiſcopum Sanctorum memoria dignum, VValramum nomine. Qui ad noſtrum Ordinem vehementer affectus; operam omnem impendit, vt Cartuſienſibus in prædicta vrbe vſpiam domum fabricaret. Cumque diuerſa loca huic ſtructioni apta perquireret, nuſquam potuit inuenire donec in eum locum, Dei nutu; diuertiſſet, quem vulgò illic nuncupant; *ſent Martens vellt*, quod nos Latinè, ſancti Martini campum appellamus. Hic ille eſt locus, in quo ſanctus Seuerinus Archipræſul audiuit Angelorum concentus, Diui Martini animam in cælum laudibus & carmi- VIDE NOTAS.

carminibus deferentium. In hunc igitur locum cùm VValramus incidiſſet, tactus diuino ſpiritu, datis ampliſsimis impenſis, domum iuſsit noſtri Ordinis fabricari; quæ nunc Beatæ Virginis Barbaræ nuncupatur: domus vtique celebris, & famoſa, multiſque eximijs clara Virtutibus.

CAPVT XXII.

DE ARNHEMIENSI CARTVSIA, quæ vulgò Monachorum domus nuncupata eſt; quam Dux Geldriæ propè Arenauim magnificè olim conſtruxit; idq́ ideo, quòd Angelicæ illic aliquamdiu melodiæ eſſent inauditæ.

NVNC ad domum Monachorum, quæ iuxta *Arnhem*, Gelriæ inſigne oppidũ, ſita eſt, trãſitum faciamus. Habuit olim Gelria Ducẽ, inſigni pietate virũ, qui ad Cartuſianum Ordinem miro afficiebatur amore. Hic vno dierum ſuis cum nobilibus equitans, dum locum conſtruendæ domus vſpiã aptã inquireret, occurrit illi pauper quidam vir, Deo deuotus, & ætate grandæuus, qui ſciens Principis ſui vota, ſupplex acceſsit, & dixit: *Ego hoc in agro, sereniſſime Princeps, à multis retro annis celebres audiui Angelorum concentus. Vidi namque hic ſolennia feſta pompoſis carminibus duci, & ardentia luminaria multo fulgore reſplendere conſpexi. Credo idcirco hoc in loco Dei hæc* pro-

prouidentia actitata eſſe, quo locum hunc dignum oſtenderet, in quo tua vota compleres. Dignum perfectò, vt vbi Angeli cecinerunt, Angelici quoque homines commorentur, & Angelicis laudibus Domino famulentur. Habebat verò idem Dux in comitatu ſuo honorabilem, & Deo dignum Patrem Abbatem domus cuiuſdam Præmonſtratenſis, quæ vulgo *Mariæ VVerde* dicitur, quod nos inſulam MARIAE poſſumus interpretari. Hic audiens quæ à ſancto paupere dicebantur. confeſtim ab equo deſilijt, & genibus in terram fixis, orationem Domino attentiſsima mente profudit. Illo itaque orante; talis de cælo vox inſonuit: *Hunc ego locum Deus elegi.* Porrò Dux ad tanta ſigna plurimum ſtupefactus, & totus in noſtrũ Ordinem inflammatus, ampliſsimis impenſis, & magnifico apparatu Cœnobium conſtruxit. Inſuper & largiſsimos redditus annuos eidem aſsignauit.

CAP. XXIII.

CARTVSIA RVREMVNDANA, VBI olim meretricum contubernium fuerat, poſtmodum Bethleehemitica cœpit eſſe Domus, ac caſtiſsimæ Dei Genitrici dedicari.

NON multum diſsimili modo domus, quam nos Ruremundæ habemus, in

Gelria, conſtructa eſſe ſcribitur, cui nomen eſt, Bethleem Mariæ. Hic locus ante domus conſtructionem fertur fuiſſe contubernium ſpurcitiei, & ſcortorum diuerticulum. Nunc autem caſtitatis Mater illic dignata eſt habere hoſpitium, vbi ſpurca Venus olim habitaculum poſsidebat. Sic & Pantheon Romæ in Dei templum cõmutatur, & ara Apollinis per S Benedictum deſtructa, Ioanni Baptiſtæ in Baſilicam conſecratur.

VIDE NOTAS.

CAPVT XXIV.

DE MONTE S. BEATI, PROPE Confluentiam, quando, & à quo, quaue occaſione in Cartuſiam ſit erectus dedicatusq;.

MONS Diui Beati, prope Confluentiam, (vti habent vetuſtiſsima ſcripta) locus eſt multa celebritate ſanctiſsimus. Enimuerò hic olim pagana crudelitas multos Martyres, fuſo ſanguine, tranſmiſit ad cælum. Hoc in loco poſt curricula temporum noſtri Ordinis domus inſtituta eſt, agente id Archiepiſcopo Treuerenſi Baldeino, cuius frater erat germanus diuus Hēricus Imperator, vir magnarum virtutum operumq́ue patrator. Iſte Balduinus, ſicuti apud Confluentiam, ita & apud Treuerim Cartuſienſibus domum erexit, ſeſeque etiam Ordini mancipauit,

VIDE NOTAS.

factus

factus ſocius pœnitentię, vt ſocius fieret & gloriæ. Nam fratrum abſtinentias conſectatus, vigilijs, laudibuſque & ſacrificijs ſeſe inſerens, humilem aſsiduò famulatum Domino exhibebat. Vt autem Dominus oſtenderet eum locum, qui iuxta Confluentiam eſt, ſibi acceptiſsimum eſſe, tali hoc voluit miraculo declarare. Nam eo tempore, quo Traiectenſes, poſt obitum Ottonis tertij, propter inuaſores quoſdam potentes ſuarum poſſeſsionum, quas iuxta Confluentiam poſsident in loco, quem *Bulſam* prædium vocitant, corpus ſui Patroni ſanctiſsimi Seruatij, illuc traducerent, tanquam qui contra ſuos inuaſores eſſet pugnaturus, contigit hoc miraculum, quod ſubijcimus. Enimuerò Traiectigenæ allato Patroni ſui feretrō, tanquam bellatore fortiſsimo, in hoſtes irruunt, fundunt, & clara victoria potiuntur. Nam repente omnes ſcelerum complices vindicta terribilis occupauit. Nempe inter epularum delicias conuiuantes, & Traiectenſibus inſultantes, infernalis eos Sathanas præfocauit. Alij id videntes, nimia formidine tabefacti, in fugam verſi ſunt. At Confluentini hoc grande miraculum animaduertentes, ſupplici voto petunt à Traiectenſibus, vt ſacer illuc loculus, benedictionis gratia deportetur. Annuitur

votis, defertur Confluentiam ſacer Seruatius. Appropinquante verò illo ad montem, vbi ſanctus Beatus ſepulchrum obtinet glorioſum, & Confluentinis cum magna laudum gloria crucibus & cereis obuiam illis occurrentibus, B Seruatius dans honorem ſancto Monti, & Religioſis, qui illic degebant, fratribus, feretrum ſuum à capite in aerem vltro leuauit, atque ad Montem meridianum, in quo ſancti Beati memoria colitur, tertiò ſeſe, quaſi conſortem ſuum ſalutans, inclinauit. Vnde tali miraculo ſatis liquet, loci illius celeberrimi quæ ſit ſanctitatis opinio. Nam, vti non contemptibiles ſcriptores ſuis in tractatibus reliquerunt, hoc ipſo in loco, ſancti Cornelij Papæ & Martyris, & ſancti Seruatij, Diui quoq; Beati corpora tribus in capſulis pretioſis requieſcunt.

CAPVT XXV.

CARTVSIA ARGENTINENSIS QVO pacto à quadam ſolitaria diuinitus præuiſa, pari ciuium alacritate ac ſubuentione ædificari cœpta ſit.

HAbitabat olim apud Argentinam, inclytam vrbem, miræ virtutis Incluſa quædam ſanctimonialis fæmina. Hæc ſueta erat diuinis illuſtrationibus ſæpenumerò clarificari, & ſacris reuelationibus

cæ-

cælitus fæcundari. Hæc vna dierum vidit in ſpiritu non longè ab Argentina, locum ſibi præmonſtrari, & dici, futurum eſſe, vt Cartuſienſis Ordinis domus illic certiſsimè ſtrueretur. Hac viſione illuſtrata, cùm gratias retuliſſet autori, cœpit eos, qui ſe veniebant inuiſere, crebro adhortari, vt tali in loco domum noſtri Ordinis condere maturarent. Cùm igitur ciues cõplures præfatæ vrbis, in id opus animum acuiſſet, eò per Dei gratiam res proceſsit, vt plurimi ſuas hæreditates illi domui deſtinarent. Porrò inuidia agente Diaboli, horum ciuium vxores furijs agitatæ, totis niſibus virorum ſuorum vota ſubuertunt. Clamabant enim ita vt vſque ad vrbis Conſules querela deſcenderet, dicentes iniuſtiſsimum eſſe, velle liberos exhæredare, & nouis alieniſque inſtructionibus inſiſtere, & vnius mulierculæ fictis reuelationibus nimium credulos, accommodare animos. His queſtibus Conſules moti, iuſtiſsima virorum cœpta, ad tempus aliquod retardarunt. Erant verò à tunc illic aliqua ædificia cõſtructa, & Monachi ad certũ numerũ congregati. At illorum Rector ſeu Præſidens, cernens impedimentum ſibi factum, & ſubſidium vndique ſubtractum, ſtatuit ſuis ad loca, vnde exierant, repedare.

Quod dum Sanctimonialis agnouit, prohibuit omnino ne id faceret; aſſerens in veritate futurum, & id breui vt cœpta iam domus, proſpero fine abſoluatur. Quippe quæ mox erat & diuitijs prædijſque amplianda, & clariſsimis illuſtranda perſonis. Acquieuit ille, & vt ſibi fuerat promiſſum, ſic citò vidit impletum.

Capvt XXVI.

Fvndatio domvs Portae Mariæ, iuxta Danubium fluuium, in Axpach, *Auſtriacæ Prouinciæ.*

Est domus noſtri Ordinis ſupra Danubium fluuium ſita, cui nomen inditum eſt, *Porta ſanctæ Mariæ*. Hanc matrona quædam venerabilis, aliquanto, priuſquã conſtrueretur, tempore, vidit in ſomnis, reuelante Deo, conſtructam in loco quodam ſatis ad hoc inconuenienti. Erat enim hic talis locus, de quo ad talem ſtructuram nulla poterat ſuſpicio haberi. Vidit nempe ſe ſtare in Baſilica præfatæ domus, & pulſando campanam frangere quam trahebat. Præterea ſymphoniacus quidam non improbus, vidit, illuſtrante ſe Deo, in eadem Baſilica ſe ſtare, & carmen muſicũ coram altari Diuæ Mariæ Virginis altiſonis vocibus concrepare: atque hoc pacto Virgini matri laudis ſuæ penſum perſoluere. Poſt has viſiones, ſuſcitauit Deus animam

nimam cuiuſdam ditiſsimi hominis, & in id ſpiritum eius commouit, vt Ordini noſtro magnificis impenſis domum cuperet fabricare. Statim ille artificibus acquiſitis, Cœnobium extraxit, & aſsignatis, ampliſſimis redditibus, fratres vndecunque, qui eam inhabitarent, adſciuit. Poſt ſtructam domum verò antequam Eccleſia dedicaretur, iubet illam Dominam aduocari, cui audierat reuelationem factam; quòd ſcilicet tali debuerat in loco domus Cartuſiana collocari. Ingreſſam itaque mulierem iubet adire Eccleſiam, & pulſare campanam. Quam cùm illa trahendo quateret (iuxta quod ſibi fuerat reuelatum) pulſando confregit: hoc damno afficiens fundatorē, vt ea amota, aliam ſubrogaret. Paulo poſt ſuperuenit ille, de quo ante diximus ſymphoniacus, & cùm in ſuo inſtrumento muſico almæ Virgini Genitrici dulcia carmina ceciniſſet, dixit fundatori, id ſibi fuiſſe diuinitus oſtenſum etiam priuſquam illic domus ædificata eſſet, iſto in loco ſe Mariæ Virgini odas & carmina caniturum. Quibus equidem reuelationibus fundator plurimum exhilaratus, agnouit obſequium, quod Deo impenderat, longè ante præuiſum, & iam completum, ſibi eſſe gratiſsimum.

CAPVT XXVII.

FVNDATIO DOMVS ORDINIS noſtri iuxta Tornacum.

HAbemus domum Ordinis præclaram non longè à Tornaco Galliæ ciuitate ſitam. Habuit hæc ciuitas olim ſæpe Epiſcopos magna ſanctitate conſpicuos. Inter quos vnus floruit, qui diuino ſpiritu afflatus, ſequentibus ſe dicere ſolebat, quando eum locum præteribat, vbi nunc noſtrum Cœnobium ſitum: *Ecce dilectiſsimi, hoc in loco, ſi in vera noſſe per me cupitis, præclarus Dei theſaurus reconditus iacet, qui ſuo in tempore, Deo manifeſtante, pateſcet. Nam poſt ducentos annos, hoc in loco, aliam rerum faciem, & verè præclaram huius loci incolæ viſuri ſunt.* Dicebat autẽ hoc cæleſti lumine illuſtratus, de ſublimi noſtri Ordinis domo, quæ illic fuerat conſtruenda. Poſt hunc igitur Præſulem ducentis iam elapſis annis, Tornacenſes ciues, quorum tetigerat præcordia Deus, datis impenſis, & aſsignatis redditibus, cùm Monaſterium alibi ſtruere molirentur, & diuerſa hincinde loca ſcrutarentur, nuſquam magis aptum locum, quàm eum, quem ſanctus Præſul digito ſæpe notârat, repererunt. Hoc igitur in loco fodientes, inuenerunt ibidem mineram lapidum opulentiſsimum: de qua petras præclaras & prægrandes extrahentes, offi-

officinas omnes, & ipſam Eccleſiam cum clauſtro & ambito cõdiderunt. Eo nempe tempore cũ circa huius domus ſtructurã multi opifices vocarentur, & in lapidũ effoſsionibus laborarent, contigit ſæpe, vt minus cauti, ab alto inter lapidũ aceruos caderent, & periculoſa prçcipitatione, deorſum ruerent, nec tamen læderentur, ſed contra ſpem omnium, incolumes de graui concuſsione ſurgentes, ad opus ſuum læti atq; alacres remeabãt. Quod opus diuino miraculo omnes in communi adſcribant, nec aliter qui erepti fuerant, habebantur, quàm ſi de ipſis mortis faucibus eriperentur.

CAPVT XXVIII.

QVAM ADMIRABILI EVENTV conſtructa ſit Cartuſia S. Maria de Pratis prope Monaſteriolum in Morinis ſeu Picardia; & ex quo auctore Dorlandus hæc exempla deſumpſerit.

HOnorabilis dominus Hĕricus Kalkar, Prior quondam domus noſtræ Colonienſis, in ſuo tractatu, quem edidit de ortu Cartuſiano, dicit, rariſsimè domos Ordinis noſtri vſpiã fundari, niſi diuinis miraculis præeuntibus, & cçleſti atteſtatione prodente. Ex hoc viro cuncta habemus, quæ hic ſcribimus, ne Lector nos putet fabulas texere, & de noſtris, quæ hic ſcribimus, *VIDE NOTAS.*

bimus,ſenſibus,fabricare. Hic igitur Kalkar ſcribit ſuo tempore in Picardiæ Prouincia domum ortam eſſe noſtri Ordinis, cuius tale fertur fuiſſe principium. Fundator huius domus cũ vno Dierũ veniſſet in oppidũ Picardiæ,quod Monſteriolũ dicitur,& ciues loci eum inuitaſſent ad videndã Verouicã,faciẽ Chriſti ſudario impreſſam habentem, quã nonnulli eã autũnãt eſſe,quã in ſudario impreſsit & per pictorẽ (qui ad pingendã ſuam faciem aduenerat) regi Abagaro Chriſtus tranſmiſit. Hoc igitur ſudariũ cũ oppãſum eſſet ante oculos fundatoris, aſpexit faciem Chriſti quaſi indignatam à ſe diuerti, tanquam quem indignum arbitraretur, qui ſe conſpiceret. Cumque ille iterum, iterumque conſpiceret, ſemper vidit à ſe faciem Saluatoris auerti. Super quo ille multum attonitus,ab tremefactus, intelligens id reatus ſui conſcientia contigiſſe,ſtatuit Priorem noſtri Ordinis, virum, in religione probatiſsimum: quem & aliquando in ſcholis præceptorem habuerat,conſulendum. Cui cùm rem geſtam enarraſſet,ille tactus(vt credo)diuino ſpiritu,ita reſpondit: *Ingredere ô frater, ad temetipſum,& vide, ſe non aliquo promiſſo Deo tuo obnoxius ſis. Audiui enim ego ſæpenumerò te dicere, firmiſsimi eſſe propoſiti, vt domum noſtro Ordini fabricares.*

De hoc Baronius in Annalibus.

Cui

Cui ille: *Aſſentior me* (inquit) *id & dixiſſe, & facere voluiſſe; & neſcio quo Dei iudicio oblitus ſim.* Ad quem Prior: *Scriptum eſt Vouete; & reddite Domino Deo veſtro. Tu igitur quòd ſpopondiſti, adimplere contende, & venerabilem Chriſti faciem lætis poteris obtutibus intueri.* Ille hoc audito, iterum vouit, & voto emiſſo, iter arripuit ad videndum. Et ecce (mirum dictu) ſancta Dei facies, quæ prius illum repudiauerat, ac ſeſe ab illo diuerterat, iam plano ore, ac læto aſpectu in faciem ſe contuentis ingeſsit, ſeſeque illius oculis & menti imprimens vſque adeò, vt quocunque ſe verteret, ſemper ſibi præſentem faciem contueretur. Mirum igitur in modum exhilaratus, hoc tam ſuaui prodigio operam omnem impendit, nobiliſſimam Ordini noſtro inſtituere Domum, diuitijs eam augens & prædijs. Hic Prior ſuprà memoratus, cùm oborta occaſione eſſet ab officio dimiſſus, huic eſt domui Rector adſcitus: ſub cuius moderamine in ſpiritalibus bonis non mediocrem adepta eſt profectum.

CAPVT XXIX.

QVIBVS DE CAVSSIS INDVCTVS ſit Odo, Abbas S. Remigij, vt celebrem illam, ac peruetuſtam Montis Dei Cartuſiam, Ordini ædificaret.

FElicis recordationis, Dominus Odo, Abbas

VIDE NOTAS. Abbas Sancti Remigij, quod Rheuus ſitum eſt, Dei ſeruorum noſcitur amator feruentiſsimus extitiſſe. Hic aſſenſu ſuorum fratrum ; promptiſsima deuotioni domus noſtræ, videlicet Montis Dei, fundator extitit & conſummator. Nam fundum ipſum ; qui ad ſuam pertinebat Eccleſiam, vnà cum terris, pratis nemoribuſque profuſa admodum largitate conceſsit. Qui & Eccleſiam, & officinas, ædesque ac cellas omnes incredibili feruore & cœpit, & conſummauit. Huic, poſt Deum, ſuper omnia mella Mons Dei ſapiebat. Hunc Montem corde voluebat, ore ſonabat, & laus eius omnis in noſtra religione feruebat. Hac occaſione ſumpta, quam dicemus in ſequentibus. Cùm enim ipſe quodam tempore pro negotijs Eccleſiæ ſuæ Romã attractus eſſet, & moram ibi aliquantum faceret, vidit ſæpenumerò in ſomnis Monachos albicãtibus veſtibus indutos, cæremonias, quos ante non viderat, obſeruantes. Vidit ẽt eos, nunc in Eccleſia pſallere, nunc in refectorio parciſsimè victitare, nunc in cellis ſeparatim ſolitarios diuerſari, cæteraſq; ſacri Ordinis Cartuſienſis Regulas obſeruantiaſq; exercere. Hæc videns, ſtupensque, ſcire cupidus geſtiebat, cuius hi noui Monachi Religionis exiſterent. Cùm hæc reuelante ſpiritu eſſet intuitus;

tultus, tandem contigit eum expeditis ad ſuum Monaſterium negotijs remeare. Inter ambulandum autem caſu inſcius deuiauit in montes, & poſt longos errores, ad quoddam declinans hoſpitium, intellexit ab hoſpite; ſe longius ab itinere declinaſſe. Dato igitur pretio, hominem optimè itinera ſcientem accerſijt, quem & viæ ſuæ ductorem inſtituit. Sed tenbroſa nebula præpediente, iterum (vt creditur Dei nutu) erraticus cœpit viator incedere, nec ante deſtitit quã ad Maiorem noſtri Ordinis domum (quam Cartuſiam dicimus) feſſus & anhelus, ſtupente etiam ductore, applicuerit. Ingreſſus verò, à memorabili & ſancto Patre * Guigone; tunc Cartuſiæ Priore cum omni ſua familia deuotè hilariterque exceptus eſt, & tantam illic expertus humanitatem, vt erroris ſui deuia & detrimentum ſui itineris apprimè ſolaretur. Hic Odo venerabilis, ductus à Priore ad ECCLESIAM eſt, & cùm dies feſtus adeſſet, conſiderabat intentus Monachos diuinum officium ſuo illo more celebrantes, & ceremonias ac ritus, quos ante in viſu perſpexerat, peragentes. Tunc cœpit apud ſe recolere, illos ipſos eſſe Monachos, quos ante in viſu, DEO monſtrante, vidiſſet, ac tunc primùm agnouit diuina

* *Fuit hic quintus Ordinis generalis, cuius vitam habes ſupra lib. 4. cap. 1.*

ſe illuc

ſe illuc voluntate (poſt longos terrarum tractus) eſſe deductum. Interrogans igitur, & cuncta conſiderans, magno cœpit affectionis igne ſuccendi, & erga Religionem noſtram flammatiſsima deuotione conſtringi. Dehinc ſupplicat Priori & multa eum ambiens reuerentia; poſtulat fratres aliquos ex ſuis ſibi tranſmitti; firmiſsimè promittens, domum illis ſuæ inſtitutioni commodam, in ſua ſe diœceſi fundaturum. Cuius equidem petitioni fauit Guigo honorabilis, & fratres omnes, concurrente ad hæc vota ſanctiſsimo Hugone Gratianopolitano Præſule, cuius tūc virtus & ſanctimonia longiſsimè reflorebat. Votorum igitur compos ſuorum, ſacer Odo Abbas proſpero curſu ad propria remeauit, & ardoris ſui flammam non capiens, non ante deſtitit, quàm domum Montis Dei noſtro Ordini fabricaret. Priore ſuo Domino Hugone, ſuiſq; fratribus conſilium auxiliumq; præbentibus. Huic ſtructioni & molitioni manus iungunt Dominus Richardus Abbas * Moſomenſis, & Vrcio, Diui Dionyſij Remenſis, & nonnulli ſolennes proceres, qui poſſeſsiones ſuas aliquot, quas in dicto confinio loci Montis Dei poſſederant, contulerunt: nam & hoc pietatis officium, hos viros, celeberrimus Odo ſua adhortatione inflam-

flammauit. Plurimis igitur ædificijs iam extructis, cùm Eccleſia inciperet ædificari, deficientibus impenſis, prope ab incœpto deſtitum eſt. Sed Chriſtus Dominus, fidelis ſerui ſui volens fidus cooperator aſsiſtere, modum inſtituit reperitque, quo denuo poſſet copioſa pecunia coaceruari. Erat namque olim in Eccleſia ſancti Remigij (vbi Odo Abbatem agebat) ſepultus ſanctiſsimus Dei Confeſſor * Gibrianus, ſed temporum vetuſtate erat ſepulchrum eius obliuione ſepultum. Dominus igitur ſciens non commoda parua adfutura, hoc Corpus Sancti ſui primùm, reuelante ſpiritu, declarauit, & ſtupendis deinde ſignis prodigijſque longè lateque per populos clarum reddidit. Nam cùm quotidie inaudita ſigna crebreſcerent, accurrentibus vndique populis, & vota muneraque non exigua offerentibus, cœperunt gazophilacia pecunijs impleri, & mirum, in modum magnis diuitijs abundare. Quas Odo pecunias accipiens (impellentibus fratribus) Eccleſiam in Dei Monte compleuit, & quicquid ſupererat ſtruendum, in integrum conſummauit. Hic ſanctus Gibrianus, ſciens ſtructuræ neceſsitudinem, tamdiu patrandis miraculis operam impendit, donec ædificia omnia finirentur. At poſtquam ſunt completa, repente vir-

Quibuſnam hic S. Gibrianus Confeſſor ſit, incompertum habeo.

te virtutes operari deſtitit, ita vt ne vnum quidem ſignum poſt oſtendere ſit compertus.

CAPVT XXX.

DE INSTITVTIONE DOMVS LEODienſis.

EST domus celeberrima Ordinis noſtri, non longè à Leodio, ciuitate admodum illuſtri ſita: quam olim Præmonſtratenſium Ordinis fratres ſueti erant incolere. Hunc locum cùm Præſul quidam Leodienſis, ob res bellicas vehementer ambiret; egit multo conamine; præfatos fratres ad alium, in ciuitate, locum traduceret: & hunc locum conſtructa fortiſsima arce ſuis vſibus manciparet. Dehinc temporis progreſſu, alio quodam Epiſcopo largiente, non ſine diuino nutu, hoc caſtrum Cartuſiēſibus adſignatum eſt. Idque tali oraculo præeunte. Adoleſcens quidam illuſtris vitæ, & qui apud plurimos magno in pretio habebatur, vidit in viſu manifeſtè candidiſsimos viros hoc in loco conſtitutos, facto agmine Eccleſiam ingredi, & vnum poſt alium, campanam, quæ in medio chori dependebat, pulſantes attingere, ſeque vnum eſſe ex compulſantibus. Hac reuelatione Præſul commonitus, & inflammatus, locum ipſum vſibus Cartuſienſium fratrum delega-

legauit, ſtructa illic primùm Eccleſia cum pauciſsimis cellulis & officinis. Dehinc ipſe cum ſacro Collegio, miſsis nuntijs ſupplicant noſtro Capitulo Generali, vt fratrum aliquantum numerum iſtuc trãſmittere dignaretur. Mittitur ergo Prior, & Monachi quinque; ſed agente incuria & negligentia Præſulis, & Prælatorum, ad magnam rerum omnium penuriam ſe conuocatos inueniunt, toto animo in loca vnde venerant, remeare cupientes. Sed Dominus Deus, locum hunc ſua promouere gratia parabat; & ſublimem ac præclarum (ſicuti nunc eſt) reddere, immiſit in cor vnius nobiliſsimi viri, qui Canonicum Leodij in maiori Eccleſia agebat, cui & diuitiæ plurimum abundabant, vt ſeruis ſuis, penuriam grandem patientibus, & prouiſor liberalis, promotorq; ac conſotor exiſteret. Huius itaque auxilio freti, & in neceſsitatibus ſuis apprimè adiuti & conſolati; incipiunt fratres ardentius diuinis inſiſtere, & ſe ad Ordinis inſtituta componere, & incorporata per Ordinem domo, clericos & laicos ad ſuum conſortiũ habitũq; euocare. Ad quos omniũ primus accurrit adoleſcẽs, quẽ Deus nuper cę leſti viſione donauerat, & pulſantes fratres in ſpiritu viderat. Hic deuotè receptus, ét deuotius cõuerſatus eſt. Cumq; crebrò, vt

moris eſt, campanam ipſe pulſaret, viſionis ſuę memor, Domino alacri ſpiritu ſeruiebat.

CAPVT XXX.

DE FVNDATIONE DOMVS SANctæ Catharinæ iuxta Antuerpiam.

Diuæ virginis Catharinæ domus noſtra non longè ſita à Mercuriali oppido Antuerpienſi, tale fertur ſumpſiſſe exordium. Per annos enim aliquot, priuſquam hæc domus in eo, *in quo nunc eſt cõdita, loco ſtrueretur, viſa ſunt illic nocturnis horis clariſsima cæli luminaria refulgere, quæ diuerſis vicibus ab illius loci incolis, non ſine futurorum præſagio viſebantur. Porrò, qui curioſius ſe dabant ad hæc luminaria exploranda, nonnunquam territi confuſiquè, in propria remeabãt. Pleriq; verò cum propius accederent, nihil fulgoris aut luminis perſpicere potuerunt: quippe qui digni non erant, vt immundis oculis ſacra cæli lumina contuerentur. Igitur cum hæ reuelationes luminum per populos ſpargerentur inflammatis multorum animis, domus noſtri Ordinis illic conſtrui cœpta eſt. Sed quibuſdam neceſſarijs manſionibus erectis ad perfectũ vſq; deduci non potuit. Nam redditibus deficientibus, fratrũ neceſſaria ſuſtentatio multũ difficilis facta eſt, inopia vndiq; & paupertate

** Hæc Antuerpienſis Cartuſia Liram non ita pridẽ eſt tranſlata.*

pertate

pertate ingruentibus. Sed miſericors Deus, qui ſuos nunquam patitur, ſupra quam vires ſinũt, affligi, ſtupendo quodam miraculo ſuorum inopiæ ſtatuit conſulendũ. Contigit nempe ciuem quendam præfati oppidi, Dancardum nomine, venationi vti, ſæpe illi mos erat, operam impendere. Hic vno dierum, cum canes venaticos per terrarum defoſſa ſequeretur, cauernam altã ſubijt, cui deſuper rupes imminebat. Illo itaq; ingreſſo, nutu Dei, moles lapidea deſuper pendens cecidit, & hominem ipſum penitus incluſit. Cumq; omnes, qui illum ſequebantur oppreſſum, attritumq; penitus & extinctum putarent, & miſeros eiulatus efferrẽt in cælum, tandem accepto conſilio, ferramentis foſſorijs agentes, laborabant, ſi poſſent hominem effodere, effoſſumque ſepulturæ tradere. Tandem poſt longos labores, cùm ad ipſum hominem perueniſſent, viuum illum, lætum, atque incolumem extraxerunt. Ingens mox ſtupor omnibus oboritur, & admiratio; hominem nimirum tali ruina interceptum, viuere potuiſſe: qui, etiam ſi ferreum corpus habuiſſet, illo fuiſſet caſu cõtritum, tam ingentis quippe fuerat magnitudinis moles, quę ſuper ipſum irruens, incubuerat. Mirabatur & ipſe, ſe poſt ruinam viuere potuiſſe. Sciſcitabantur om-

nes ab eo, quis illi in hac ruina aduocatus adiutorq; fuiſſet, & tã potẽs opilator: *Ego, inquit, cũ viderẽ imminentẽ ſuper me cadere rupẽ, ſtatim Virginis Catharinæ patrociniũ flagitaui, & ecce huius ope factũ eſt, vt illæſus euaderẽ, incolumisq; etiamnũ perſeuerẽ.* Cũq; gratus inquireret, quo pacto poſſet ſacratiſsimę Virgini adiutricis ſuæ vices impẽdere, dictũ eſt ei, non longè abeſſe domũ, quæ in illius eſſet honore conſtructa: domũ nimirum inopum fratrũ, quibus ad victum & neceſsitudinẽ plurima deeſſent: nec poſſet fœcũdius vberiuſq; gratias reddere, quàm ſi ob honorẽ almæ Virginis illi domui impẽſis redditibus ſubueniret. His auditis, cũ admodum locuples eſſet vir, & multarũ opũ, cõtulit fundos, agros, & prędia, & pręcipuũ illi ſe domui exhibuit fundatorem. Ex hoc iam tempore cœpit Cœnobium mirum in modum proſperari, & in eã ſenſium gloriam perduci, qua nunc conſtructam ſublimatamque cernimus.

Capvt. XXXII.

QVO PACTO GALLIARVM REX, VNA cum conſorte ſua pari voto Pariſienſem conſtruxerit Cartuſiam, quæ vti ſpectris antea erat infeſta, ex vallis dæmoniorum, ſic vallis Dei vocitata eſt, vti conſtat ex Petro Sutore, lib. 1. de vita Cartuſiana, tractatu 3. cap. 2.

HAbemus non longè à nobiliſsima Pariſienſium ciuitate celebrem noſtri

Ordinis domum, quæ tali occaſione ſumpſit exordiũ. Per annos plurimos antequã illo in loco Cœnobiũ haberetur, proteruus nimium & peſsimus illic dęmon habitabat, qui permittẽte Deo, agentibus hominũ ſceleribus, oẽs, qui per viam illã trãſibant, maximis afficiebat incõmodis. Nemo enim illic tranſire poterat, qui nõ aut impulſus, aut percuſſus, aut mutilatus abiret. Dabat ẽt clamores horrendos in cęlũ, & terrificis vocibꝰ omnia quatiebat. Cũq́; magno timore vrbis illius populus temeretur, & paſsim inquireret, quo remedio poſſent à dæmonis infeſtatione liberari, erat illic Sanctimonialis incluſa miræ religionis & ſanctimoniæ, quæ etiam ob ſuæ meritum vitæ prophetiæ fuerat ſpiritu illuſtrata. Hæc cõuocato vrbis Magiſtratu: *Si vultis*, inquit, *à dæmonis illius infeſtationibus periculisq́; ſaluari, neceſſe vobis erit, illo in loco domũ Cartuſienſibus fabricare.* Venit prophetia ad notitiam Regis & Reginæ, qui deuotione Ordinis vehementer accenſi, ſtatuunt ſinguli ſeorſum domũ vnã Ordini erigere, & duas pro vna diſtinctis in locis fabricare. Habito tamen maturiori conſilio, primam intentionem irritã facientes, Rex & Regina ſua voto coniungunt, & vnum tantùm Cœnobium condunt: tali tamen gloria ac maieſtate, ſratrumq́ue

multitudine, vt meritò duorum Conuentuum diſpendia redemiſſe putentur. Nam cùm ſuetum ſit nobis duodecim aut fermè viginti Monachos adunare; illi ad quadraginta numerum extendunt: quos magnificis ædificijs extructis, iuxta magnificentiam Regiam diuitijs donant & prædijs. Domo itaque conſtructa, vaticinium Virginis impletum eſt. Nam impoſsibile fuit præſtigia illic dæmonum, & terrificos in reliquum clamores audiri, vbi ſanctorum Patrum laudes aſsiduè reſultabant in cælum.

VIDE NOTAS.

CAPVT XXXIII.

DE FVNDATIONE DOMVS S. ANNÆ, *prope Brugas, in Flandria; in qua eximiæ pietatis Moniales etiamnum degunt.*

BRugenſis ciuitas eſt, quam omnes pro ſua nobilitate nouerunt. Non longè ab ea habemus Cœnobium ſanctorum Virginum quod in honorem ſanctæ matris Annæ noſcitur conſtitutum. Annis multis priuſquam illic Domum haberemus, paſtores, qui nocturnas agebant vigilias ſuper gregem ſuum, ſæpe viderunt illic multitudinem ſublimium virorum, qui omnes albis veſtibus renitebãt. Quæ tandem per Paſtores ſunt vulgata, & accenſis multorum animis, breue illic Cœnobium con-

conſtruxerunt, collectis ex noſtro Ordine ſex Monialibus, cum Patre Vicario & Monacho, vno. Hi hoc in loco multis annis in penuria non parua vixerunt. Dehinc Deus ſuos reſpiciens, redditibus & agris eos amplificauit, & cum corporalibus etiam ſpiritalia adminicula ſubminiſtrauit: ita vt, ſicut in poſſeſsionibus, ſic etiam creſcerent in perſonis. Erat autem in ipſa, quam diximus, ciuitate, quidam Religioſus vir Balduinus nomine, qui locupletiſſimo cuidam mercatori famulatum præbebat aſsiduum, qui ſuo domino & charus erat, vtpote fidelis illi, & neceſſarius. Huic Balduinus licet fidele ſeruitium impenderet pretium tamen ſui ſeruitij non exigebat, committens illud fideli magiſtro reponendum. Agebat & iſte ſeruus nonnulla lucra de mercibus ſuis, & cùm eſſet humilis Dei cultor, locumque ſanctæ Annæ, quem ſupra memorauimus, cum affectu diligeret, decimam lucri ſui partẽ clã illuc aſsiduè comportabat. Nam cũ orationis gratia Sacellum eſſet ingreſſus, & vota Domino exoluiſſet, inſtar viduæ Euangelicæ, munus illic ſuum in gazophilacio dereliquit. Cumque hoc ſæpe latenter faceret, contigit eum à Vicario domus ſagaci induſtria deprehendi, adeo vt accerſitus, diſcuſſuſque, poſt humilimas illi ha-

bitas gratias, conſolatus, & acriore inflammatus voluntate, ad propria ſit remiſſus. Hinc factum eſt, vt multo frequẽtius feruentiuſq; concurreret, & ſuas eleemoſynas copioſius elargiretur; dicens quodam die P. Vicario: *Si Deus benefecerit mihi, vos ſine dubio participes eritis. Ego namq; locum hunc diligo, & pro meis viribus illi benefaciam.* Igitur cùm hic Balduinus multis iam annis ſuo eſſet domino famulatus, nec iam loco ſerui, ſed filij haberetur, quęrit ab eo ſuus dominus; quid pro ſuo velit ſeruitio mercedis accipere. Reſpondit ille: *Nihil volo, niſi quod dominus meus mihi dare decreuerit.* Hoc verbo mercator (vti erat ingenui animi) ſuccenſus, cum ſua coniuge conſilium captâs, vnicâ illi filiam, additis immenſis diuitijs in matrimoniũ dedit. Ex qua Balduinus filios genuit, & filias; factuſq; eſt ex aſſe hæres domini ſui. Qui cernens ſe non fortuitò, ſed Dei munere diuité inclytũq; iam factum, totus cœpit ardere, vt benefaceret domui, quã amabat. Et ſtatim magnis impenſis Eccleſiam pulcherrimam à fundamentis erexit: de hinc Refectorium, ambitũ, cellaſq; plurimas cum officinis reliquis fabricauit. Duas quoq; ſuas filias illic virgines, Domino ſeruituras impoſuit: quarũ vna, Maria nomine, Prioriſſæ officium, laudabiliter adminiſtrauit. Hic Bal-

dui-

duinus vſq; adeo (Deo agente) ad ſublimia promotus eſt, tum virtutibus, tum diuitijs creſcens, vt Anglorũ Francorũq; Reges, ipſumq; Flandrię Comitẽ hoſpitio reciperet, ſumptuoſiſsimiſq; prãdijs honoraret.

CONCLVSIO LIBRI SEXTI.

NON dubium eſt, præter ea, quæ iam titigimus, nonnullas alias noſtri Ordinis domos fuiſſe ſupernis illuſtrationibus, aut miraculis inſtitutas. Non enim Henricus Kalkar, de cuius teſtimonijs hæc habemus, quæ ſcripſimus, omnia aut noſſe potuit, aut indagare: ſicuti nec aliũ quempiã, quãtumlibet ſtudioſum, reor facere potuiſſe. Sunt tamen qui nouam plantationem in oppido Louanienſi, quæ lætis, ſub honorabili Patre Domino Ioanne Delpho, proceſsibus gaudet, ſignis dicant & aparitionibus initium, atq; incrementum ſumpſiſſe. At nos quæ certa veritate facta non nouimus, neq; fideli narratione didicimus, literarum monumentis conſignare, formidamus. Porrò is, qui in hac ipſa domo Vicarium ſe gerit, Dominus Ioannes de Louanio (cuius in octauo huius operis libro inter Viros illuſtres Boſtius meminit Carmelita) Tractatum edidit, quale hæc domus principium, qualemq; & ſucceſſum habuerit, quibuſq; auxilijs & adminiculis ſit ſublimata. Quæ omnia nos intacta relinquimus, breuitati conſulentes; ſatis ſuperq; ſufficere arbitrantes, quæ ille prudenti narratione deſcribit. Hic igitur ſexti libri terminum ſtatuemus.

Finis Libri ſexti.

CHRONICI CARTVSIENSIS LIBER SEPTIMVS.

SEPTIMVS LIBER, AGENS de Viris ſpiritalibus, qui hoc noſtro ſeculo ac tempore claruerunt.

CAPVT I.

DE DOMINO NICOLAO ALBERgato, S.R.E. Cardinali, adeoq; & Bononienſis Eccleſiæ Epiſcopo doctiſſimo, humaniſſimoq;.

NICOLAVS Albergatus, illuſtri ortus proſapia, cùm eſſet adoleſcens, poſitus Bononiæ ad Gymnaſia Philoſophorum, adeo in liberalibus ſcientijs emicuit, vt ei in ipſa Vniuerſitate nullus haberetur ſecundus. Erat etiam non minus bonus, quàm doctus: quippe qui lubricum adoleſcentiæ iter, magno ſemper ſtudio declinarat, pius, ſobrius, humilis, timoratus. Hinc pro ſua virtute, proq; ſcientiæ ſuæ claritudine, omnibus erat & honori plurimum, & amori. Porrò ille ſciens ſcriptum eſſe, *iuſtus iuſtificetur adhuc*, domum Diui Hieronymi Ordinis Cartuſienſis, quæ Bononiæ ſita eſt, mirantibus vniuerſis, eſt ingreſſus. Cuius conuerſionis initia magnis claruere vir:

Apoc. 22. 11.

Ingreditur Cartuſiam Bononienſem.

virtutibus. Nam ſicuti erat cæteris docti-or,ſublimiorque, ita cunctos humilitate, obſequio,manſuetudine præcellebat.Hu-ius erat meditatio accenſa, oratio indefeſ-ſa,contemplatio porrecta in ſupernis. O-mnes ſuam vitam aſpernabantur,dum hu-ius pij Patris vitam, virtutibus plenam, contuerentur. Hinc creuit eius illuſtris o-pinio per Bononienſes populos; quem, ſuo Præſule defuncto, vnanimis votis in Epiſcopum elegerunt. Trahitur ergo lu-cerna ardens & lucens è cella, quaſi de ſub modio, & ſuper candelabrum ponitur, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. Tra-hitur autem inuitus, & quaſi vim paſſus, i-pſo plurimum lachrymante,ac renitente. Sciebat enim alias eſſe mundi turbines & aliam ſilentis cellæ internam requiem, & quietudinem. Aſſumptus nunquam cilici-um, nunquam humilem Monachi habitũ permutauit, eiſdem ſemper, vt ante cibis & potibus vtens. Et cùm ſibi eſſet rigidus & amarus, omnibus tamen humanum,pla cidum ſe,ac ſuauem exhibebat. His laudũ titulis à Sũmo Põtifice eſt euocatus,& Car dinalis S. Crucis creatus. Hinc factus eſt toto (vti Arnoldus dicit Boſtius) ſalutifer Orbi: quippe qui,vt alter Helias, pro do-mo Dei zelum acuens, dignitatis ſuæ Ca-thedram ſublimibus meritis condecora-uerit.

Eligitur Epiſcopus Bononienſis.

Non vult deponere,ciliciũ aut habitum Monaſticum.

Creatur Cardinalis S. Crucis.

uerit. Erat enim vir vbique celebris, & ob ſanctimoniæ ſuæ eminentiam, inter Cardinales, ſingularis. Inerat illi de ſupernis affluens ſapientia, humanarum diuinarumque rerum cognitione admodum illuſtrata. Hinc reipubl. Chriſtianæ, & ipſi Petri nauiculæ in proſperis & aduerſis ornamento fuit, & ſubſidio. Fungebatur etiam ſæpe Legati officio ac dignitate, miſſus à latere: quam quidem ſtrenuè exequebatur, pleniſsimo fungens poteſtatis honore. Et vt ſuis maximis curis, dignus haberetur, ſtudijs aſsiduis incumbebat, crebrò per populos verba Dei ſonabat, dictitabat ſermones; epiſtolas ad diuerſos ornatiſsimas tranſmittebat, tanquam ſapiens architectus ſcitè docteque ſuum implens officium. Hac ſua ſapientia & Regibus, & Principibus, ac magnatibus vbique innotuit. Cuius vita, ſanctitatis exemplũ; cuius mores, inſtituta Eccleſiarum, cuius eloquẽtia, ſtupor; cuius doctrina, miraculũ putabatur. Hic terſum virtutis ſpeculũ, hic Præſulũ & Prælatorũ gloria, hic pater pauperũ refugium miſerorũ diſsidentium magnatũ pacis conciliator, ſchiſmatis impeditor, errorũ excidiũ. Hic Chriſtianæ religionis propugnaculũ: qui quicquid agebat, aut præcipuũ cogitabat, ad Deũ Patrẽ luminũ humilis referebat. Laudes hominum,

Virtutes eius eximia.

minũ, vt virus peſtiferũ, fugiebat, ſed fugientẽ laus illum & honor omnis inſequebantur. Hic pro maieſtatis ſuæ reuerentia Eugeniũ Papã, & Aeneam Syluiũ, (qui & Papa Pius poſt dictus eſt) alumnos, familiares, ac cõmenſales habuit viros nimirũ & ſapientia, & eruditione clariſsimos; quos hic Pater ad Põtificatus apicẽ ſua poteſtate promouit. Sed ſi vis de hoc nobili principe maiora cognoſcere, lege ipſum Aeneã, lege Poggiũ Florentinum; lege Bartholomeũ Platinã (qui Pontificum ũitas diſerto ſermone cõſcripſit,) lege Arnoldũ Boſtiũ Carmelitã, & inuenies ꝙ huius almi Præſulis vita, nulla ex parte laude vacauerit. *VIDE NOTAS.* Tandem anno Chriſti ſexto & quadrageſimo poſt mille quadringentos hoc decus hominũ, hoc clarũ Eccleſiæ iubar, poſt innumeros labores, poſt multas patiẽtiæ coronas in ciuitate Senarũ ex moleſtiſsima calculi afflictione moritur, caducarũ opũ vacuus, ſed pleniſsimus meritorũ. *Moritur calculi dolore.* Moritur, nõ vitã perdẽs, ſed meliorẽ ac permãſurã recipiẽs. Exẽterato eo, vt balſamo cõdiretur, inuẽtus eſt in fundo veſicę habere lapidẽ grãdẽ, inſtar oui, qui omni ex parte illic carne obuolut' hærebat. Has calculi paſsiones immaniſsimas mira dũ viueret, patiẽtia tolerabat. Tota hunc Italia Virũ planxit; pauperes verò maximè, & calamitoſi;

mitoſi, quos muneribus & adminiculis ſæpe leuarat. Corpus terra ſuſcepit, animam ſancti Angeli cum laudibus exceperunt: quam ad ſuperna euehentes, Sanctorum cœtibus inſeruerunt.

CAPVT. II.

DE VENERABILI PATRE DOMINICO, *Cartuſiæ Treuerenſis profeſſo.*

HVNC comitatur, celebri memoria dignus, Pater Dominicus; qui in domo Ordinis noſtri, quam Treueris habemus, magnis fertur claruiſſe virtutibus. De hoc illuſtri viro, quę ſcripta reperi, fideli narratione producam. Erat etenim deuotione præcipuus, cuius omnis mentis ardor Deus erat, qui eius in pectore & ore aſsiduus verſabatur. Hunc namque habens vitæ ſuæ ducem, ſemper vel orabat, vel pſallebat, vel meditabatur, vel contemplatione ſuſpenſus, mentis Sabbatum celebrabat. Vno dierum cùm ſolus in cella ſederet ad menſam, quæ paupere erat cibo referta, cœpit attentè cogitare, quo pacto IESVS infans voluit vbera virginea ſugere, panniculis inuolui, faſcijs ſtringi. Quòd flens & lachrymans Chriſtus, nuce potuit, vel pomo quietari, vel prouocatus floſculis, vel munuſculis in gratiam reduci. Hæc vir ſanctus penſitans, ad ſua peccata ocu-

ſa oculis reflexis, orat obnixè paruulum Saluatorem, vt offenſus ſæpe ab eo, ſecum velit in gratiam redire, dicens: *Tu omnium dulciſsime paruulorum, cùm in virgineo Matris ſinu recubares, paſſus te es pomis & nucibus mitigari. Quæſo te, vt pro peccatis meis omnibus, quibus te, ô Deus, offendi, tanquam duo viduæ minuta, & tanquam quædam mitia poma, pœnitentiæ meæ exiguum laborem libens lætusq; ſuſcipias, & tuæ me gratiæ reconcilies.* Hæc dicens, lachrymæ illi ab oculis decurrebant. Et ecce humilium conſolator à ſupernis adueniens, ſubiecto ſibi cuſsino, ſuper menſam eius paruulus Ieſus inſedit, ſpecioſus nimis, & admirabilis. Tunc oculis lætiſsimis faciem Dominici, mentemque reſpiciens, ingenti eum lumine, & exultatione impleuit, & loquens dulciter ad cor eius, Scripturarum profunda, & quædam ſecretorum illi arcana patefecit. Dehinc cum ſuauitatis fragrantia ſuperna repetijt. Compleuit Chriſtus, quod in Euangelio promiſit: *Vbi ſunt duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi ſum ego in medio eorum.* Matth. 18. 20 Cum Patre Dominico erant oratio, & meditatio cōgregatæ, atque ideo dignum duxit Dominus Ieſus in medio eſſe earūm. Hic Pater ſcripto poſt ſe reliquit, ſciſſe ſe fratrem, qui in Mariæ Virginis roſacea corona ſeſe ſolitus ſic exercere, addens cuilibet Salu-

tationi vnum articulum Dominici operis vel paſsionis, prout nunc in multis libellis inuenitur. Cumque hic frater aſsiduus in hac deuotione ferueret, vidit vno dierum cælos deſuper aperiri, atque illuc attractus, conſpexit Dei Genitricem Virginem, & vniuerſum Angelorum Beatorumque exercitum dulciſona cum modulatione in conſpectu ſanctiſsimæ Trinitatis hoc roſaceum Carmen concinere, & articulos, quorum ſupra memini, cum ſolenni *alleluia* copulare. Porrò vbi inter ſalutandum, ſacrum MARIAE nomen reſonabant, omnes ceruicem ſupplices ſubmittebant. At cum dulciſsimum nomen IESVS, felici intonabant ore, flexis reuerenter poplitibus, Incarnationis myſterium adorabant. Deinde audiuit omnes Dei Sanctos orare Altiſsimum, pro omnibus in terra fidelibus, qui hæc pia ſerta Chriſto & piæ Matri concinerent, dictumq; eſt illi, *accipere peccatorum omnium remiſsionem omni tempore eos, qui ijs ſe laudibus occuparent.* Vidit prætere a felicibus oculis, innumeras coronas auro & gemmis rutilantes, quæ parabantur ijs, qui ſerta roſacea celebrarent. Has viſiones non ſemel tantummodò, ſed ſæpius hic frater intuitus eſt, quibus & ſuam, & aliorum ſalutem poſſet cum gaudio cordis & fructu mentis acqui-

Occupare ſe in Dominicæ Paſsionis meditatione, quã tæ ſit virtutis

quirere. Pater Dominicus de hoc fratre quod narrat, ſibi certiſsimum eſt contigiſſe, ſed ideo humilitatis gratia ſe prodere noluit, vt humilitatis meritum integrum penes ſe cuſtodiret.

CAPVT III.

DE CARMINE HYMNOQVE, QVOD *idem P. Dominicus in laudem Sacratiſsimæ Virginis deuotè compoſuit.*

ISTE idem honorabilis Pater, cùm eſſet ſacratiſsimæ Virgini Mariæ admodum deuotus, carmen Hymnumq; compoſuit, quod plurimi canere conſueuerunt, ita inchoans, *Te cæli reginam laudamus.* Hoc carmen dulciſsimum cùm ſæpe Virgini Genitrici pſálleret, vno dierum uaptrs ad ſuperna, audiuit Angelos Dei hoc carmen concinere, rurſumq; illud in organis cæleſtibus & cymbalis beneſonantibus alternatim concrepare; omnibus, qui in cælo erant, mira alacritate gaudentibus. Quod dũ fratribus ibidẽ degẽtibus innotuit, cœperũt idipſum canticũ frequentare, & ad laudẽ Altiſsimę Trinitatis, & Virginis Matris ẽt alijs cõcinendũ offerre, anno ſalutis nimirũ milleſimo quadringẽteſimo octogeſimo octauo. Hinc cõpletur ſermo Diui Bernardi Abbatis, dicentis cælum & cellã, ſicuti in nomine, ita & re ipſa pluri-

In Epiſt. ad fratres Montis Dei, de vita ſolitaria.

mum conuenire: quia quæ geruntur in cælis, eadem ſæpe geruntur & in cellis. Audiuit autem hic Pater prædictam harmoniam cæleſtem ijs notulis inſonari ab Angelis, ſicuti Cartuſienſes, *Te Deum laudamus*, concinunt in templis.

CAPVT IV.

DE DIVTINA HVIVS EIVSDEM *Patris ægritudine, ac ſingulari animi robore.*

NON omittendum de hoc Patre, Dominico, quòd plaga illum Deus percuſſerit incurabili, vulnereque admodum crudeli, & multiplici dolorum flagello. Erat enim in corpore aſsiduè miſer, quem tam beatum Deus mente ſtatuerat; vt ſecundùm multitudinẽ dolorum ſuorum, conſolationes Dei lætificarent animam eius. In ijs corporum paſsionibus decem & ſeptem annis perſeuerans, compulſus eſt chorum deſerere, & ſibimet ſuiſque meditationibus immorari. Erat quidem ſibi iſtud inſtar crucis grauiſsimum, ſed ſapientis ſententia ſolabatur, qua dicitur: *Si non potes id quod vis, ſaltem velis id quod poßis.* Erat tamen in ijs eius preſſuris cernere hominis inuictum animũ, conſtãtem ſpiritum, robur mentis immenſum, & quò magis forinſecus premebatur, eò magis de mentis arcano Chriſti præconia reſonabat.

Pſal. 5.11.

Terent. in Andria.

nabat. De hoc Patre Dominico, quæ ſequuntur, certa narratione cognoui. Vno dierum cùm corporis moleſtia premeretur, &, Priore abſente, piſces non adeſſent, qui infirmo darentur, pijſsima Regina miſericordiæ Maria, ſui famuli benignè memor, piſces illi à ſuperis tranſmiſit, Angelico adiuuante ſuffragio; piſces certè & decore ſpectabiles, & ſapore præſtantes, quos vt guſtauit, citò conualuit. Tempore etiam quodam, cùm vſque adeò alterum crus haberet valido igne inflammatum, & putri carne corruptum, vt neceſſe eſſet (ne ad viuum ſerpant contagia) amputari, veniens chirurgus cum ferramentis, vt crus tabidum reſecaret, ſanum illud, pulchrum, ac nitidum reperit; non ſine ingenti omnium admiratione. Orauerat nempe Dominicus Virginem Genitricem, quæ mox vocata ſummum illi periculum vertit in gaudium. Alio quoque tempore, cùm oculum vehementer læſum haberet, & ipſam Chriſti Matrem pro antidoto precaretur, illa nihil morata, oculum illi ſanum nitidumque reſtituit. Vice quadam cùm per ignorantiam venenum hauſiſſet, & vitæ periculum immineret, orauit ſuam promptiſsimam miſeratricem, & dicto citius eſt liberatus. Eſt tractatus editus de vita huius optimi Patris, *VIDE NOTAS.*

 tris,

tris, in quo longè (vt fertur) præclariora narrantur, quemque ego non vidi, itaque ideo vltra ſcribere non potui.

CAPVT V.

DE INSIGNI VIRO, AC LITERArum monumentis claro, P. Bartholomæo, Viſitatore Prouinciæ Rheni, ac domus Ruremundanæ olim Priore.

NON oportuit prçterire honorabilem domus Bethleem in Ruremunda Priorem Dominum Bartholomæum, ſacræ Theologiæ acutiſsimum interpretem & Profeſſorem, virum egregijs ornatum moribus, & in Regulari diſciplina apprimè exercitatũ. Erat enim ſuæ Prouinciæ clarum ſydus, radios ſpargens virtutum & ſcientiarum, omnibus ſuis humanus & manſuetus, zelator tamen ſacri Ordinis, & ſui corporis domitor inexorabilis. Huius boni odoris fama Reuerendum attigerat Cartuſiæ Patrem Generalem, atq; ideo eum ad Capitulum commune ſuetus eſt euocare. Ille verò tanti itineris laborẽ aggrediens, (diſtat enim à Sabaudia, in qua domus Maioris Cartuſiæ eſt; ducentis miliaribus Gelriæ Ducatus) non equo vehebatur aut aſino; ſed caſtigandæ carnis cauſa, per tot viarum anfractus, per altos & moleſtiſsimos montes, pedibus ſuis iter conficiebat. Quem venientem, vt Dei Angelum

Pedes aliquoties ad Capitulum Generale ſeſe contulit.

gelum Pater Reuerēdus excipiebat, quem & vniuerſi Patres, illic congregati, vt ſingulare Ordinis lumen intuebantur, cui & diſponendarum rerum Capituli magna authoritas impendebat. Hic (vti Boſtius Carmelita ſcribit) authorum approbatiorum libros multos & varios ſcrutatus eſt, quos ad medullam ſagax cognitor introſpexit, & optima ſibi cupidè delegens, magnum & pretioſum doctrinæ theſaurum poſteris dereliquit. Conſcripſit inſigne opus acri cura & diligentia de Orationis Deuotioniſq; exercitio, vbi mira occurrit ſententiarum pulchritudo, & ſtillantium medicina verborum. Scripſit & Vitiorum Summam, dignam nulla poſteritate delerí: in qua non minus vtilis, quàm ſubtilis fuiſſe ſcriptor agnoſcitur. Tractatum inſuper de eſu carnium, Monachis ſecūdùm Regulam S. Benedicti profeſsis interdictam. De Proclamationibus Capitularibus. De Iudicijs temerarijs. De Iuramento & Voto. Hos Tractatus, cæteroſque, totidem reſpectant laudes, quot ſuum authorem nobilitauêre virtutes. Obijt quàm deuotiſsimè, Anno milleſimo, quadringenteſimo, quadrageſimo ſexto, quarto Idus Iulij odoriferæ doctrinæ fragrantia longè lateque diffuſa, ſepultus in domo Ordinis Coloniæ Agrippinæ.

VIDE NOTAS.

Obijt Coloniæ, ibiq; & humatus eſt.

CAPVT. VI.

DE PATRE DIONYSIO RYCKELIO, *eiuſdem Cartuſiæ alumno, eiusq́; ſcriptis ac reuelationibus.*

SVB hoc Patre Bartholomæo Dionyſius à Rickel claruit in eadem domo Ruremundenſi, vir magnarum opum ſpiritualium: quem cum exuberante ſapientia præclara decorabant ornamenta virtutum. Erat enim ſublimium rerum arduus contemplator, diuerſorum librorum locuples ſcriptor; vt meritò magno illi Dionyſio Areopagitæ fuerit comparandus. Erat in otio negotioſus, & in negotio otioſus; & in vtroque admodum fructuoſus. Supra modum rerum contemptor caducarum, & maximus, etiam dum neceſsitas illum cogebat, pecuniarum aſpernator. In otio ſuo, quod toti Eccleſiæ Chriſtianæ negotioſum fecit, ſcripſit libros penè innumerabiles, in quibus ſuam abundè ſcientiâ inclareſcere fecit. Verùm quia hi libri proprium ſyntagma deſiderant, ſuo eos loco enarrabimus. Hic, licet in dies plura conſcriberet, erat tamen altiſsima ſæpe contemplatione ſuſpenſus, nec minus orationi & animarum ſaluti vir Deo plenus inuigilabat. Erat illi pro tota Matre Eccleſia ſolicitudo mordens & frequens; hincque Deo ſupplicem ſe agebat,

VIDE NOTAS.

&

& aſsiduo precabatur affectu. Habebat, vti ſcriptum reperi, reuelationes crebrò diuinas, & has etiam arduiſsimas.

CAPVT VII.

PRIMA REVELATIO FACTA PAtri Dionyſio.

IN ſacro Hypopantis Feſto, quod nos Purificationis B. Mariæ Virginis dicimus, fuit hic pius Pater Dionyſius tempore Miſſæ ſub aſpectu omnium fratrum in choro extra ſe raptus ad ſuperna, quod illi ſatis familiare noſcitur fuiſſe. Eſt autem in ſpiritu eleuatus ad contuitum ſuperbenedictæ & altiſsimæ Trinitatis, ad contuitum increatæ & incircumſcriptibilis lucis, quantum intueri potuit mortalis, & cito recidentis hominis infirmitas. Cumque in ipſam diuinam claritudinem obtutus infigeret, ad precationes deuotiſſimas ſe conuertit, volens supernæ clemētiæ Eccleſiam ſuam conciliare militantem, ſuiſque eam precibus in ſui miſeratoris gratiam reuocare. Cui Deus ita reſpōdit. DEVS: Quid tu, ô fili, pro Eccleſia mea requiris? DION. Requiro, mitiſsime miſerator, vt de ſuperno cælorum habitaculo ſponſam tuam Eccleſiam reſpicere digneris, reſpectam in melius reformare, reformatam de vaſtantium manibus eruere, erutam verò ad antiquum gratiæ tuæ

Conuentualis.

Hinc fuit Doctor exſtaticus nominatus.

Colloquium Dionyſij cum diuina Maieſtate.

munus reducere. Devs: Eccleſia penè vniuerſa à me receſsit, adulterinis amoribus occupata,& vſque adeo deformis effecta, vt à planta pedis vſque ad verticem non ſit in ea ſanitas, ſciſſuris, plagis,& vlceribus plena. Sunt tamen in ea non paucæ,bonæ, & catholicæ animæ. Dion. A Patre miſericordiarum miſericordiã petimus, non iuſtitiam, mi Domine Deus. Duplicem quippe nobis viam conſtituiſti veniendi ad te: quarum vna miſericordiæ eſt,iuſtitiæ altera. Quæſo ergo te,miſericordiſsime Deus,age nobiſcum ſecundùm innumeram multitudinem miſericordiarum tuarum. Devs: Et vis tu, vt ſcelera tanta, tamq́ue enormia, multa remittam, & totum miſericordiæ tribuam, iuſtitiæ autem nihil? Non vis me agere iuxta Ordinem meæ ſapientiæ? Legiſtine quòd *honor Regis iudicium diligit*? Dio. Peto te,omnium manſuetiſsime, vt in miſerationibus tuis præuenias nos, & corda tibi rebellia corrigas,emollias,& conuertas ad te.Maior eſt enim in immenſum bonitas tua,Domine, quàm ſit peruerſitas prauitatis humanæ. *Non nobis Domine, non nobis,*
Pſal.98.4. *ſed nomini tuo da gloriam,neq; retribuas nobis ſecundũ iniquitates noſtras.* Devs: Licet abſolutè omnia poſsim, iuxta tamen ſapientiæ meæ cenſurã omnia ago,& in cunctis ope-

ribus

ribus meis iuſtitiã meã miſericordia mea contẽpero. Nã & eam ego maximã miſericordiã eſſe ſtatui, quando per increpationes & flagella rebelliũ dura hominũ corda viſito in præſenti vita, ea ſic admonens, & ad me conuertẽs. Supra adamantẽ indurata ſunt mortaliũ corda, nec poſſunt innumeris meis beneficijs aliquatenus emolliri. Diu ſuſtinui, diu patiens fui, crebrò vos de cõuerſione admonui, & hæc quæ nunc imminẽt aduerſa, prædixi. Verũ quia nulla eſt emẽdatio cõſecuta, neceſſe eſt, vt adamãtina corda duris aduerſitatibus exagitẽ, vt vel tandẽ *vexatio det intellectũ auditui.* *Eſa. 28. 29.*
DION. Si nos omnino, ô pientiſsime Deus, miſeratione tua digni nõ ſumus, parce ſaltem nomini tuo magno, parce locis tibi ſacratis. Ecce Eccleſiæ tuæ plurimæ iã deſtructæ ſunt, altaria ſuffoſſa, loca ſanctorũ prophanata. Heu, Chriſti Filij tui Sacramenta, & vaſa ſacra impijſsimè cõculcata ſunt, & Religio Chriſtiana per Paganos perfidoſq; blaſphematur. DEVS: Tu doles, tu quereris, quòd ea templa & altaria prophanantur, quæ de lignis ſunt lapidibuſque conſtructa, quòd vaſa ex auro & ære conculcantur, & non doles, quòd tẽpla, in quibus ego per fidem & amorem inhabitare conſueui, & animarũ electionis vaſa, ab inuiſibili hoſte atq; axtermina

tore

tore tam crudeliter & impiè commaculantur, & violantur? Nonne ſumma in ijs malis mihi iniuria fit? Sed miraris forſan, cur animas ad meam imaginem factas, Chriſti mei ſanguine emptas, iuſtitia exigente permitto ab hoſtibus ſuis conculcari. Mirare potius, quòd homines ſua ſponte ſeſe ſubdunt ſuis aduerſarijs conſtuprãdos, in iniuriam mei honoris, in exitium ſuæ ſempiternæ ſalutis. Dion. Benigniſſime Deus, aſpice, precor, quòd in ijs perſecutionibus, à perfidis ſuſcitatis, multi ſimplices, &, vt ita dixerim, innocentes lachrymoſo nimis exitio opprimũtur, ac trucidantur. Conſpice, quòd & cultus tuus imminuitur, quòd ea loca vbi Chriſtiana Religio ſolita eſt pullulare, & robuſto amore vigere, modò in delubra ſunt conuerſa, vbi & Mahometi in poſteris figmẽta colũtur. Hoc pacto videtur beſtia ſpurciſsima agno, vti ante prophetatum eſt, quodammodo præualere. Devs: Hãc innocentum ſimplicitatem, de qua tu loqueris, mea noui ſapientia optimè ordinare, & per temporalia, quæ patiuntur, mala, æternis inſerere delicijs. Ego vſque adeo bonus & ſapiens ſum Deus, quòd mala omnia à perfidis illata, nunquam ipſe fieri permitterem, niſi ſcirem maxima ex ijs colligere bona. Quantò igitur mala hæc

Ex malis noſtris nouit Deus etiam bona elicere.

hæc grauiora videntur, quantoq; tempora videntur obſcuriora, eò propinquius maiora bona expectes, & tempora longè gratiſsima. Nunquam ego hæc mala permitterem, niſi horum cauſa Eccleſiam vellem erigere meam. Sicuti & tu cernis ad extremam quandam deformitatem, & ruinam penè irreparabilem, nequitiæ ſuæ magnitudine peruenit, nec facili diſciplina, nec leui poterit adnimaduerſione purgari. Qui enim in Eccleſia mea optimi eſſe debuerunt, peſsimi facti ſunt. Ab ijs, remoto omni rubore, nomen meum multo atrocius blaſphematur, qui tamen fideles ſe vocitant, quàm qui nomen meum palàm impugnant. DION. Nemo eſt, mi Domine Deus, qui tuæ poſsit ſapientiæ reſpondere. Noſſe tamen deſidero ego puluis & cinis, an perfidi Turci Romanam ſint vrbem ſanctam expugnaturi, an, & Chriſtiani Principes ſint aduerſum illos pugnaturi, vincendique ſint ab impijs, an verò illos ſuperaturi. Hic frater Dionyſius profundum quoddam occultumque iudicium intellexit, quod non putauit tutò propalandum. Secretum enim Regis occulere, bonum eſt. Hinc ardentiſsima prece conuerſus ad Dominum pro Reipublicæ bono, proque vniuerſa militante Eccleſia, ſupplicem ſe agens exorabat. Et

tunc

tunc vidit in ſpiritu totam Eccleſiam triumphantem flexis poplitibus diuinā precibus velle flectere Maieſtatem, velle ſucçenſam Dei iram mitigare, velle Dei manum, quam ad percutiendum extentam tenebat, premere, ac retinere. Hæc agens triumphans Eccleſia, parum profecit, cui hoc ſolum verbum à Maieſtate reſponſum eſt: *Iuxta menſuram pœnitentiæ, quam perſpexero à peccante Eccleſia fieri, erit imminentium malorum perſecutionumq́ menſura.* Ex hoc Dionyſius aliquid conſolationis accipiens, confortatus clamauit in ſpiritu: Igitur, mi Domine Deus, dabimus operā errata corrigere, & actus noſtros in melius, menteſque formare. Sūmus Pontifex, Cardinales, Epiſcopi, Prælati oēs cū ſuis ſubditis, conuerſis ad te cordibus, ſe corrigent, emēdabuntq́;. Cui Deus: *Dico tibi: Etſi hoc ipſi firmâ mihi ſponſione promittāt; etiam ſi in meo nomine iurauerint, & dixerint: Viuit Dominus, hoc ipſum falsò iurabunt.* Dionyſius hoc Dei verbum diffuſius intelligens, quā nobis propalare voluerit, conſeruatus animo, ſenſit quòd inciperet ad ſe reuerti, ſibiq́; ipſi dimitti. In hoc itaq; articulo coſtitutus, repentè clamauit ad Dominū ſic: *Et in quo, ô Deus omnium ſuauiſſime, in quo igitur ſtat concluſio & ſumma precū mearum, tuarumq́ miſerationum?* Cui Deus: *Iuxta* (inquit) *emendationū veſtrarum*

rum menſuram erat & mearum menſura miſerationũ, menſuraq́, flagellorũ. Hoc dicto, viſio ipſa terminata eſt, qua Deus altiſsimus & immenſus cum vili puluiſculo, (vti ipſe ſcribit,) cum extremæ fecis vermiculo, cú impuro vaſculo, & colloqui dignatus eſt, & reſpondere. Hanc viſionem videtur habuiſſe, quando magnus Turcorũ Imperator inclytã Conſtãtinopolim ſtrauit, quãdo ſubacta Græcia, fidẽ Chriſti penè totã extinxit, quãdo Eccleſias, Monaſteriaque innumera ſubruit, quãdo Chriſtianorũ infinitã multitudinem aut occidit, aut iugo miſeræ captiuitatis addixit. At Pater Dionyſius cũ hanc reuelationẽ habuiſſet, dolens ex intimis medullis amoris Eccleſiæ ſanctæ ruinam, ſcripſit epiſtolas plurimas ad Principes, ad Magnates, ad ſummos Eccleſiæ Rectores, vt ſeſe corrigerent, collectaque militari manu Eccleſiæ iniuriam vindicarent, ſed parum, eheu, monita profuerunt; ſingulis ſuis rebus, ſuiſq; delicijs occupatis.

VIDE NOTAS.

Impreſſæ ſunt hæ epiſtolæ.

CAP. VIII.

ALIA REVELATIO FACTA eidem.

VIDENS DEVS indeuota & ingrata Principum & Prælatorum pectora non moueri, nec corruentis fidei dolere diſpendia, in ipſa Dominica Paſsionis,

Deus

Deus animam Dionyſij ſerui ſui, cùm ſtaret in choro ſub ſacro,(aſpicientibus cunctis fratribus) ad ſe attraxit à ſenſibilibus & ſuo eam dignatus eſt ſociare colloquio. Dionyſius igitur cernens Dei ad ſe dignationem, cùm charitatis viſceribus abundaret, pro communi Eccleſię bono Deum deprecatus eſt; dicens: *Quaſo te, ſupermiſericordiſſimè hominum miſerator Deus, quouſq; repellis nos, nec pateris nos inuenire deſideratam & multis poſtulatam precibus miſericordiam coram te? Quare oculos tuos auertis, & non reſpicis clades, oppreſſiones, ruinas Eccleſiæ ſponſæ tuæ, nec preces audire dignaris ſeruorum tuorum? Ecce mala in nos peſſima ſurgunt, augentur, inualeſcunt aſſiduè, & tu taces, & non exurgis, nec miſereris? Eccleſiaſticus Ordo omnis ſubuertitur, & dies videntur imminere mali, de quibus iamdudum rumor inſonuit. Auditum eſt, quod gemens conqueror; magnis aduerſitatibus Eccleſiam premi, & ſupra vires tribulationum ponderi fatigari in terris aliquibus; & vereor ne hæc ſint multarum præambula calamitatum.* Cui Dominus: Quæ de malorum imminentium rumoribus audiſti, hæc ita ſe habent in veritate. Et Dionyſius: Et quid facies Domine Deus magno nomini tuo? Nunquid continebis in ira tua miſericordias tuas? Reſpondit Dominus: Ego viam miſericordię meę pœnitentibus non occludo, ſed, vt tibi dudum

Dionyſius rurſus Deum precatur pro Eccleſia ſua.

dum proteſtatus ſum, in viſione cõſimili, ſecundùm menſuram veſtræ emendationis, erit & plagarum, vel miſerationum modus. Reuelationem illã tibi factam vbiq; tu promulgaſti, quàm etiam Romano Pontifici inſinuaſti, ſed quæ inde eſt emendatio conſecuta? Nonne tuipſe apud te dicere ſoles, multò eſſe melius, gentem peccatricem & deformatiſsimam plebem Eccleſiæ per temporales clades fatigari, deprimi, ſpoliari, quàm in ſua peſsima vita (quam conſtat morte eſſe deteriorem) nequiter proſperari, obdurari, in ſcelere, & ſine fræno impunè peccare? Ad hoc Dionyſius: Nil verius dici poteſt, Domine Deus. Sed reforma tu, quæſo, per temetipſum, perq; tuos, Eccleſiæ tuæ deformitatem, & non per maieſtatis tuæ ſæuiſsimos inimicos. Hi enim dum Chriſtianum populum affligunt, te grauiter offendunt. Cui Dominus: Nonne tibi æquum iuſtũque videtur, vt moderatio mea, quæ omnia regit ac temperat, Eccleſiam deformẽ ac delinquentem, caſtigandam reformandamque per cruentiſsimos hoſtes meos committam, quandoquidem hi eam non reformant, qui eam ex officio reformare debuerant? Ad quem Dionyſius: Etiam Domine Deus omnipotens, in cuius ditione cuncta ſunt poſita. Nos certiſsimè ſci-

mus, quod incomprehenſibilis prouidentia tua nihil vnquam fieri permittit, niſi ex iuſta & rationabili cauſa, per quam & communia, & ampliſsima bona elicias. Sed, quæſo te, ô ſuauiſsime Deus, dic mihi tuo pulueri, quid in tantis malis Chriſtiano populo, quid Clero faciendum ſit. Reſpōdit Dominus: Quid quæris à me, quod ex Scripturis ſufficienter agnoſcis? Nonne
Iob.33.14. *ſemel loquitur Deus, & ſecundò idipſum non repetit?* Hoc verbo ſuſcepto, Dionyſius introrſum conuerſus, inuenit ſe ſubitò in regionem ſereniſsimæ lucis trāſpoſitum, in qua alta cordis voce ſine verborum ſtrepitu clamauit ad verè abſconditum & incomprehenſibilem Deum: O lux immenſa, ô lumen æternum: In te ipſo lux es & regio lucis, in qua dilecti tui ſuauiter conquieſcunt, obdormiunt, ſoporantur. Tu ampliſsima & impermeabilis heremus, in qua mens verè deuota, & à priuato amore integrè reformata, & ſupernis illuſtrata fulgoribus, inerrabiliter errat, & indeuiabiliter deuiat, in qua & feliciter deficit, & deficiendo fortiter conualeſcit. Neque enim in te principium inuenit, neque finem, ſed omnimodum incomprehenſæ profunditatis Oceanum. Te ſplendidiſsimo totius ſapientiæ fonte humanam mentem illuſtrante, repente veritas

inno-

innóteſcit. Hac luce tuo munere illuſtratus, nunc cerno Domine, quid nobis miſeris agendum ſit. Videlicet, vt quiſq; fidelium iuxta vocationis ſuæ exigentiam tibi deſeruire, ſeſe reformare, & tuum formidatum tribunal pertimeſcere meditetur. Hęc dum diceret, nolens eum Deus dimittere inconſolatum, oſtendit ei ſponſam Eccleſiam ſuam, qualis poſt futura eſſet, integrè ſplendidam, ac reformatm. Vidit nempe ſpiritalem eius decorem deſignari per pulcherrimum eius ac precioſiſsimū veſtimentum, indicibili arte & colorum varietate diſtinctum, iuxta illud: *Aſtitit regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Psal.44.10. Itemque. *Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis.* Ibid. Audiuit præterea hic Dei ſeruus in hac ipſa abſtractione, viditque quæ non licet homini loqui. Et reuera nec iſta (vt ipſe in ſuis ſcriptis fatetur) ſine grandi protulit rubore. *Non enim* (ait) *mentis ſecreta pandenda ſunt, niſi exegerit id magnitudo cauſæ aut bonum commune efflagitauerit.*

CAPVT IX.

ALIA EIVSDEM REVElatio.

DOminica poſt Octauas Paſchæ tertia,

celebrante Primitias ſuas nouello quodã Sacerdote Monacho, cùm hic Dei famulus cum fratribus ſtaret in choro, ſolita puritate deuotus, facta eſt ſuper eum manus Domini, & traductus eſt à ſenſibus in ſpiritu æſtuans ardore charitatis, intrinſecus mentaliter Deum, fontem immenſæ pietatis deprecationibus pulſãs, pro Chriſtianorum Principum pacificatione concordiaque. Audierat enim grauem imminere conflictum inter præcipuos Chriſtianæ fidei Reges, Principes, ac Magnates, atque ideo ijs vocibus cœpit Altiſsimum deprecari. Vſquequo non miſereberis Eccleſiæ tuæ, ſuauiſsime omnium miſerator? Quare non ſuccurris, non auxiliaris, ſed permittis ſponſam tuam conculcari pedibus impiorum? Ecce Principes populi tui, qui deberent fidem tuam defendere, aduerſarios expugnare, Eccléſiæ tuæ terminos & cultum Chriſtianæ plebis augere, ecce nunc pugnas contra ſe mutuo componunt, & grauibus ſe prælijs attere-re moliuntur. Heu, mi Domine Deus, quę ſtrages inde ſequetur? Nonne populus tuus Chriſtianus vnus & cõfœderatus populus eſſe debuerat ad impugnandum vnanimiter Chriſtianæ fidei inimicos? At nunc quid tam prauum, tam peruerſum, tam periculo plenum, quàm exercitus di-

ſcordi

ſcordi inter ſe diuiſione compugnans? Nunc gaudent magnificè perfidi omnes Turci, Pagani, Sarraceni, hoſtes Euangelicæ Legis, dum tam turpe & grande malum in populo experiuntur Chriſtiano. Nunc horum malitia audaciam ſumit, nunc ſe iactitant facilè fore victores, noſtram inſipientiam aſpernantes, atque oſtentui habentes. Cumque his queſtibus, alijſq; nonnullis diuinas aures commoueret, audit ſibi à Domino reſponderi: Certè nunc vides magnam Principum populi mei ingratitudinem, qui pro modica terrenæ hæreditatis ſubſtantia, corda & arma exacuunt in ſemetipſos, cùm tamen poſſent, ſi vellent, per aliam viam longè facilius ad concordiam perduci. Zelant ipſi grauiter, & belligerant pro terris ſuis, ſed pro recuperanda hæreditate mea electa, pro Terra nimirum Sancta, in qua humanæ redemptionis myſteria compleui, nullo zelo accenduntur. Ipſi laſciuiunt in ſtratis ſuis, longos captant ſomnos, quaſi iam pacata ſint omnia. Non compatiuntur fratribus ſuis, qui ab infidelibus opprimuntur, nec horum calamitatibus miſerentur. Nunquid hi dolent vicem meam, aut regnat in eis amor meus? Non vtique. Regnat verò in eis amor priuatus, qui improbus & reprobus eſt; ex quo mala innumera o-

riũtur, nempe inquietudo, ambitio, inſatiabilis vorago cupiditatis, fœda & adulterina carnalitas, & inhumana belluinaq; crudelitas. Ecce tales ſunt hi principes mei, horum etiá tales ſunt miniſtri. Idcirco citò & horrendè apparebo eis, & iudicium duriſsimum exercebo in eos in quibus cum ſenio corporis iuueneſcunt ſcelera carnis, & vitia cordis. Nunquid ego per tales expugnabo incredulos, qui ſunt ipſis incredulis longè deteriores? Vt ſunt mores, ſic ſunt & eorum veſtes. Idcirco niſi ocyus reſipiſcant, arguam eos in furore, & iuſtitiæ zelo; & quos altaribus dignitatibus extuli, hos profundioribus ſupplicijs tribuam cruciandos. Talibus comminationibus pauefactus Dionyſius, ait ad Dominum: O clementiſsime Chriſte Ieſu, ô Verbum æternum propter nos incarnatum, propter nos & crucifixum, parce, obſecro, ignoſce, ac ſubueni plebi tuæ. Præueni, & tange corda noſtra, quamuis dura ſint & nimium obtenebrata, vt quæramus, ac ſapiamus quæ tua ſunt. Hoc pacto vnanimes reſiſtemus hoſtib. honoris tui, hoſtibus acerrimis ſalutis noſtræ. At hæc ſupernus Iudex Deus ait: Qui ſemel loquitur, in Scripturis ſanctis ſuam aperit volũtaté. Quid igitur vis tibi reſpódeã? Cóſule libros diuinos, Scripturas ſcrutare cæleſtes. Audi matré tuam Eccleſiam, ſponſam

meam: quæ in ſe habet inhabitantem ſpiritum meum, qui omnem docet & ſuggerit veritatem.

CAPVT X.

INTRODVCITVR IAM IPSA S. *Mater Eccleſia, ſuam exponens cum fletu querimoniam.*

TVnc repente quaſi ex perſona Eccleſiæ inſonuit vox ad interiores aures fratris Dionyſij, in hæc verba: Audi (inquit) fili mi, audi charæ parentis tuæ voces, queſtus, & lachrymas. Audi ſingultus meos, & lamenta tuæ concipe Genitricis. Nam vis immenſa me penetrat doloris, & lumbi mei replentur amaritudine. Nonne compaſsionis dolor ſæpe longè præcellit paſsionis anguſtias, ſicut in ſpónſo meo CHRISTO palam patuit crucifixo. Quibus me putas doloribus affligi, immò verius abſorberi, dum recolo qualis olim fuerim, & qualis iam facta ſim? Olim fueram ſublimis, præpotens, inclyta, glorioſa, diuinis affluens muneribus, diuinis chariſmatibus decorata. Olim toto regnabam Orbe terrarum, longè lateque ad dextram & ad ſiniſtram penetrans. Olim ſanctis Paſtoribus, ac Prelatis apprimè gloriabar, gaudebam virtuoſis ſtrenuiſq; Principibus, per quos de meis aduerſarijs triumphabam. Olim turmis innumeris

coruſca fulgebam vtriuſque ſexus Religioſarum plebium. Olim Collegijs plurimis, & perſonis in ſacris Ordinibus conſtitutis gratulabar, qui omnes in Dei timore, regularique obſeruantia conuerſabantur. Horum omnium ſancta religione & fida conuerſatione plebes meæ Cathotholicæ & ædificabantur, & regebantur; infideles ad Chriſtum conuertebantur, & mihi meiſq; viſceribus incorporabantur. Olim quatuor ſacri Ordines (quos Mendicantes vocant) me in ſuis lætificabant operibus, & plurimum venuſtabant. In ijs erant viri eruditi, feruidi, ſtruenui, timorati, exemplariter regulariterque viuentes, per quos fructus dabam ſaluberrimos, ad conuerſionem, ad prouectum, & ad beatitudinem plurimorũ. At nunc (heu) omnia deformata, omnia collapſa & ſubuerſa ſunt. Obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus. Ego quondã opulenta, repente contrita ſum. Ego quondam pulchra, ſplendida, generoſa; nunc deformis, ſqualida, ægra, hiſpida, lacerata, conculcata, & detrita ſum. Quæ quondam imperioſa regnabam, nunc ad vnum Occidentis angulum compreſſa, & coarctata deliteſco. Nec ſufficit hoſtibus meis hæc mea paupertas, anguſtia, & calamitas, quam perpetior, ſed ex hoc quoque me angulo pellé-

pellere volunt, & me penitus de terra delere. Iam quatuor Patriarchales Sedes perdidi miſera, inſuper perfidi hoſtes mei Romanam Vrbem & Cathedram præripere, & euertere moliuntur. Ad hæc mala vulnus mihi intolerabile & inexpiabilis dolor accedit: dum video in ijs cladibus meis, filios meos ad ſe inuicem acriter inflammari, pertinaciter inter ſe confligere, ſuaque diſcordia aduerſariorum meorum vires augere, in meam diminutionem, conculcationem.& cladem. At nunc, præuaricatores filij redite ad cor, audite me veſtram genitricem, acquieſcite, reſipiſcite. Ignoſcite vobis, & in mutuam pacem, fœderaq; iungite & cauſas irarum veſtrarum ad Romani Pontificis examen iudiciumque componite. Cur quæſo me matrem veſtram in filijs perſequimini, cur proximos veſtros igne & gladio deuaſtare, egenos opprimere, & inuicem trucidare contenditis? Pœniteat obſecro erraſſe vos, & cordis dolore commoti reconciliamini Chriſto. Compaſsio & commiſeratio vos teneat ſuper concuſsione & afflictione fratrum veſtrorum, quos crudeliſsimi hoſtes mei gladio, fame, captiuitate & tributis excrutiant. Horum filios abſtractos, & ſacrilega fætidæ legis ſuæ eruditione per doctos, ad ſectam perditiſ-

ſimi pertrahunt Mahometi. Hæc dicens mater Eccleſia, lachrymis ſingultibuſque intercepta, ſubticuit. Stabat verò interim vir Dei intentiſsima aure lamenta ſuæ matris concipiens, & ei ex intimis animi medullis, vti bonus Eccleſiæ filius cópatiens: cùm tandem ad ſe reuerſus, non ſine ingenti mœrore quæ audierat, ſecum tacitus memorabat, nec ſeſe poterat à lachrymis téperare. Cui etiam præ corporis debilitate, quæ illi ex magnarum rerum oſtenſione obuenerat & præ compunctionis gemituumque magnitudine, cibus omnis reddebatur inſipidus.

CAP. XI.

DIONYSIVS AVDITA SVPERIORI S. Eccleſiæ querimonia, ſcriptis hortatur Prælatos ac Principes, quatenus opem afflictæ matri ferant.

HIs viſionibus à DEO perceptis, ſanctus P. Dionyſius ſcribens ſublimioribus poteſtatibus, Principibus & Prælatis, hortabatur tum minis, tum precibus vt ocyus à prauis ſe reuocent operibus, vt ſe caſtigent, reforment, Deo ſe concilient, ne imminentibus flagellis ac cladibus cóterantur; immo verè, ne æternis citò ſupplicijs deputentur. Breuis, inquit, eſt vi-
Matth. 7. 14. ta præſens, & arcta eſt via quæ dicit ad vitam.

vitam. Niſi igitur conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit Iudex ęternus. Arcum ſuum tetendit & parauit illum. Parauit in eo vaſa mortis ſagittas ſuas ardentibus effecit. Et quod in Euangelio Saluator ait, *Niſi pœnitentiam feceritis, omnes ſimul peribitis.* Et quod ſanctificatus in vtero clamitat Hieremias. *Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, & tempeſtas erumpens ſuper caput impiorum veniet. Non reuertetur furor Domini vſq; dum faciat & compleat cogitationes cordis ſui dabitq; impios in vexationẽ, in maledictum, in ſtuporem ac ſibilum & opprobrium ſempiternum eo quod non audierint verba Dei, nec præcepta eius impleuerint.* Et illud Micheæ Prophetæ, formidoloſa mente penſemus citius adfuturum: *Ecce,* ait Dominus, *ego cogito mala ſuper familiam iſtam: de quo non auferetis colla veſtra, & non ambulabitis ſuperbè, eo quod tempus peſſimum eſt.* Hæc & plura id genus Dionyſius ſcribens, hortabatur Magnates, & Eccleſiæ Rectores, vt ſuæ afflictiſsimæ Matri ſubuenire aduerſus Turcas, & Chriſtianæ fidei peſsimos hoſtes, qui grandem quotidie ſtragem edebant in populo Chriſtiano, qui igne & gladio Prouincias depopulabantur, & regna, qui Eccleſias ſacras, & vaſa ſacra prophanabant, & inſtar inundantis aquæ Chriſtianum ſanguinem effundebant. Sed Reges & Prin-

Pſal. 7.13. *Luc. 13.5.* *Iere. 23. 19.* *Ibi. verſ. 40.* *Mich. 2.3.*

Principes occidentis huius, nec ad ſanctas adhortationes, nec ad clades euerſioneſq; ſuorum fratrum vlla cōmiſeratione mouebantur, vtpote duri, rigidi, obſtinati, pauciſsimis tamen Principibus exceptis; qui hortabantur Summum Pontificem, perfidorum veſanijs reſiſtendum, prius tamen ſumma ope atq; induſtria Eccleſiſiam reformandam eſſe; ſed hæ adhortationes nihil promouere potuerunt.

CAPVT XII.

APOLOGIA, SEV EXCVSATIO, CVR Dionyſius reuelationem hanc ſibi ſoli factam, ad aliorum peruenire notitiam voluerit.

ERVNT forſan aliqui, qui hunc pium patrem reprehendant; quod reuelationes ſibi factas non abſconderit, quodque eas non ſeorſum clàm, ſed palàm ſub aſpectum multorum acceperit, cum ſcriptum

Tob.12.7. ſit; *Secretum Regis abſcondere bonum eſt.* Et in

Eſa.24.16. Eſaia, *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi.* Reuelationes quoque diuinæ, & ſecreta myſteria ſolent vt plurimum ſeruis Dei non in conſpectu hominum aut in præſentia plurimorum reuelari, ſed ſeorſum in ſolitudine vel diuerſorio. Hinc ait

Ezech.3.22. Dominus ad Ezechielem Prophetam; *Egredere in campum, & ibi loquar ad te.* Ad has obiectiones Dionyſius humiliter ita reſpon-

ſpondet: Reuelatio ſecretorum ad dona pertinet, gratiæ gratis datæ, ideo ad commune & publicum bonum ordinantur. Quæ ſi occultentur, id vergit in communis boni detrimentum. Hinc horum manifeſtatio non vanitati, ſed charitati (modò oculum ſiniſtram deponas) tribuenda eſt. Fateor tamen, quod non ſine grandi rubore iſta propalauerim quia mentis ſecreta pandi non debent, niſi dum ingens bonum ex his elici, aut grande malum valeat euitari. Enimuero ego meæ mihi cõſcius infirmitatis, ego vir videns paupertatem meam & occultum Dei iudicium expaueſcens, optabam vt hæc ipſam Deus gloriæ reuelaret alijs, qui reuera multò me ſunt & ſanctiores, & meliores. At nunc nemo eſt, qui Dei reſiſtat voluntati, cui in promptu eſt ſua vti creatura ad ſuæ arbitrium voluntatis. *Væ ergo illi, qui contradicit factori ſuo.* Et quamuis ſecreta Dei ſoleant interdum ſeorſum clàm Dei ſeruis aperiri, nemo tamen neget (qui libros nouit Prophetarum) ſæpè in propatulo occulta & incerta ſapientiæ Dei illis reuelata fuiſſe, vt eis à plebe Dei citius certiuſque credatur, atq; dum iram Iudicis audiunt imminere, territi reſipiſcant, & ab amentia animum reuocent. Eſa. 45. 9.

Capvt

CAPVT XIII.

ALIA QVAEDAM REVELATIO, EIdem P. Dionyſio cœlitus facta; ne ſcilicet Arnoldus Geldriæ Dux, bellum ſuo faceſſeret filio, eumq; prælio laceſſeret.

ARNOLDVS Dux Geldriæ diſponens mouere bellum in Adolphum filium ſibi rebellem, priuſquam vterque eſt captiuitati addictus, deprecatus eſt Patrem Dionyſium, vt mediatorem ſe obijceret ante Deum ne tanta mala ipſe fieri permitteret. Orauit Dionyſius, & quod ſibi fuerat reuelatum aperuit, ſcribens ducibus vtriſque ſic.

Epiſtola Dionyſii ad Ducē Geldriæ, eiuſque filium.

Illuſtribus & ſpectatiſſimis principibus F. Dionyſius Cartuſienſis in Domino pacem & ſalutem. Rumores triſtes quos in profeſto Epiphaniæ Domini à nuncio percepi, mentem meam proſtratam vehementius afflixerunt. Hinc toto corde ad miſericordem Dominum confugi, & fuſis lachrymis ipſum ſum per viſcera ſua deprecatus, vt ſua incomparabili pietate (licet id ſcelera noſtra non mereantur) imminentia terræ Geldrenſi pericula, dignetur auertere, & in malis tam grandibus ocyus ſubuenire. Et ecce Pater miſericordiarum, & totius conſolationis ſuauiſſimus Deus, qui nunquã corda contrita contemnit, & fuſas cum lachrymis preces, amoris ſemper exaudit, me indigniſſimum hominem hac nocte per ſuum Angelum pijſſimè viſitauit, & de multis me dignanter inſtruxit. A-

ſtitit

ſtitit enim mihi ſanctus Dei Angelus, & oſtendit mihi populi terræ huius ſcelera atq; & Magnatum Prælatorumque tranſgreßiones, ſuſurros etiam maligni hoſtis, qui per mille aditus artes nocendi inquirit, vt totam hanc terram inquietet, conculcet, depopuletur. Et iuſto Dei iudicio terra hæc dabitur in manus impij, niſi operibus pœnitentiæ & pietatis ſtudueritis vindicem Dei manum flectere, & mitigare. Pater in filium, & filius inſurgit in patrem, & omnia ſunt litibus & diſcordijs plena. Neſcitis quia omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur? Neſcitis quod ſicut res paruæ concordijs creſcunt, ita & res magnæ diſcordijs dilabuntur? Quantò inter principem patrem, & ſuum filium eſt concordia ipſa præclarior tantò diſcordia fœdior eſſe noſcitur, turpior, periculoſior, exitiabilior. Audite igitur ô principes voluntatem Dei veſtri. Hortatur enim vos per me peccatorem Deus miſerator, qui mortem non quærit hominis peccatoris, hortatur inquam vos & populum ſubiectum vobis, vt ſine mora pœniteamini, vt auertat ſe quiſq; à via ſua ſcelerata & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eius, condignos agendo pœnitentiæ fructus. Pacis fœdera ineat cum filio pater. Quod ſi per tractatus aliquos pax non ſtatim arriſerit, ne deſperetis quia adiutore Deo breui tempore pacem videbitis adeſſe. Interea per totam patriam hanc noſtram in Collegijs, in monaſterijs in cunctis deniq; congregationibus ſanctis inſtituantur orationes, celebrationes, pie-

Matth. 12. 25.

tatis

tatis & pœnitentiæ exercitationes. Inſtituantur etiam per temporum interualla ſolennes proceſſiones cũ ieiunijs, lachrymis & diſciplinis: quibus humiles & cõtriti, prouocemus ad miſerendũ indulgentiam Dei. Placatur enim Deus contriti cordis ſacrificio. Et nunc ſereniſſimi Duces, hunc Dei noſtri ad vos ſermonem, hanc noſtræ paruitatis exhortationẽ prona & benigna mẽte ſuſcipite: Suſcipite, inquam, hoc noſtrum verbum, ſicut eſt verè verbum Dei, nec per quem, ſed à quo vobis tranſmittatur. Nolite mirari ſi Deus pijſſimus ad me ſeruulum ſuum loqui dignatus ſit, cum in Iob ita ſcribatur: In nocturna viſione aperit au-
Iob.33.15. res virorum Deus, & erudiens eos inſtruit diſciplina, vt auertat hominem ab ijs quæ fecit, *hoc eſt, à ſcelerata nequitia, quam commiſit, ne tranſeat in gladium. In plena verò vigilia oſtenſa hæc & reuelata ſunt mihi, vigilias noctis in orationibus me agente, & ſuper hac cauſa veſtra animum intendente. Non ergo vanitati hæc tribuantur, ſed cauſæ magnitudini & neceſſitudini communis boni. Dona nempe gratiæ gratis datæ, in aliorum vtilitatem ab altiſſimo conferuntur. Ea igitur abſcondere graue delictum eſt, & publico bono contrarium, Valete.* Hæc epiſtola tantum valuit apud Duces, vt à bello ſe continuerint, & patriam ab imminente clade liberauerint.

Capvt XIV.

Qvo pacto malignorvm infeſtatione ſpirituum inquietatus fuerit.

Legi in reuelationibus huius Patris, quod fratribus ad cellas poſt matutinam ſinaxim redeuntibus, viderit ſæpenumero vmbras ſeu ſpiritus candidos: hos comitari, & ſecum in cellã ingredi. Bonos hos potuit Angelos interpretari, quos ad ſeruorum ſuorum cuſtodiam Deus delegarit. Hic pater habuit quẽdam ſpiritum, à quo in cella nocturno tẽpore crebrò ſuetº eſt à fatigari. Veniens enim ſuper ſolariũ tanquam ſi æger lecto decumberet, gemitus altos & ſuſpiria edebat, & nonnunquã etiam ſonitus cum graui ſtrepitu excitabat. At Dionyſius credens primò bonum ſpiritum eſſe, qui ijs motibus ſuffragia ambiret, licet intentiſsimè de ſcripturis cogitaret, & meditando conſcriberet ſurgẽs à ſede, ac ſe proſternens. *De profundis* vel tale aliquid pro ſpiritu Domino concinebat. Statim ille à motu ſe compeſcuit, & paululũ declinauit. Sed cum ſæpius reuerteretur ſpiritus, & ſemper inuerecundior & moleſtior redderetur, & à ſacris ſtudijs Dei hominem præpediret, timens ne malignus eſſet, qui eum à bono opere niteretur auellere, ad ſtrepi[illegible] eius & clamo

res amplius non ſurrexit, nec precem vllam impendit Tunc vehementer indignatus ſpiritus, quod non poſſet pium opus ſcribentis euertere, poſt moleſtiſſimos ſtrepitus à ſolario per gradus cum impetu deſcendit, & peſſulum cameræ trahens, ſeſe in Dionyſium ingeſsit. Cui ille imperterritus occurrens, *quid*, inquit, *improbe & maligne ſpiritus, quid inquam tibi viſum eſt, Dei famulum tuis incurſibus fatigare, & à bono opere me velle tua pertinacia præpedire? Abi hinc ocyus, & poſt hac me agitare deſiſte.* Paruit pręcepto iubentis & citius aufugiens, nunquam vltra comparuit.

CAPVT XV.

CVR DIONYSIVS DIABOLO TANtopere fuerit exoſus.

ERAT hic vir Dei Diabolo admodum exoſus ob ſua præclara merita, & ob ſacra ſtudia, quibus per populos rutilabat. In Ruremunda autem fuit mulier Sebula nomine, quæ, cum Diabolo fœdus inierat, & pactum fecerat cum morte ſempiterna. Hanc Diabolus per Aſiam, per Aphricam perque Europam aſsiduè circumferebat, & ad ſolennes ludos eam exhibens, in duellis, in haſtiludijs, in torneamentis ſtupente mundo faciebat vbique victricem, Deijciebat crecrò mulier armatos pugnatores, & (vincente in ſe Diabolo)

bolo) cum ſpolijs victoriam reportabat. Hæc tandem inſpirante Deo, & cor eius illuſtrante reſilijt ab amentia, & compuncta nimium Diabolo abrenuncians, ad arma pœnitentiæ tota virtute confugit. Hanc Reuerendiſsimus Dominus Nicolaus de Cuſa Cardinalis, & legatus à latere, cum ijs noſtris partibus eſſet, dolentem, & ſibi confitentem à zabuli pacto, & à ſuis criminibus potenter abſoluit, grauem (vti dignum erat) pœnitentiam ei imponens. Stupebant omnes qui ante fæminam nouerant, mutationem in ea dexteræ excelſi. Hic Cardinalis Dionyſium ob ſua ſcripta miratus ex monaſterio ſecum abtraxit, vt ſuo contubernio frueretur. Hinc etiam Rector domus Sophiæ iuxta Buſcumducũ eſt inſtitutus. Solebat itaq; Dionyſius hac libertate donatus, ſæpenumero Ruremundæ ſuos fratres inuiſere, vt hanc etiam de qua diximus mulierem: quam equidem ideo viſitabat, vt eam in pœnitentia confortaret, & ſacris roboraret ſententijs ſcripturarum. Diabolus autem etſi eſſet à muliere abiuratus, eam tamen dimittere noluit, vt eius fieret improbus agitator, qui ante fuerat auxiliator. Veniebat igitur multoties ad eam, vel futurorũ aliquid prænuncians, vel præpediẽs à ſtudio pietatis. Et quia execrabatur Diony-

ſium, cum veniret inuiſere mulierem prę-currebat, dicens: *Ecce balbus ille & potator vini venit te inuiſere.* Erat quippe Dionyſius impeditioris linguæ, & interdum propter nimium in ſtudijs & pijs exercitijs laborem, vino vtebatur. Quæ inuidus dæmon ad calumniam trahens, vt eum hominibus exoſum redderet, balbum eum ac vini potatorem nominabat.

Capvt. XVI.

Videt animam Epiſcopi Leodienſis, æternis adiucatam gehennæ ſupplicijs.

Vide notas. Illuſtris Ioannes de Heynsbergen cum Epiſcopus eſſet Leodienſ. hoc patre Dionyſio familiariter vtebatur, & audito eo *Vide notas.* multa faciebat. Hic cum eſſet ſeculi vanitatibus deditus, quodam tempore in oppido Kuremundæ ludos & torneamenta inſtituit, non ſine impenſis maximis, ad quos vndiq; nobiles inuitarat, paucis verò ante diebus venit inuiſere Dionyſium, narrans ei, tanquam rem commendatione dignam, quam inſtituerat in oppido vanitatem. Audiens Dionyſius ludicram rem, iratus valdè arguit Epiſcopum vanitatis, aſſerens non debere eum, qui à Deo poſitus ſit, alijs in exemplum religionis ac probitatis, vaniſsimis ſpectaculis, & quæ in perniciem proficiunt animarum, homi-

num

num multitudinem tenere ſuſpenſam, rogatque Pręſulem vt conceptam ſtultitiam ob Dei timorem reuocare maturet. Cumque ille audire cõtemneret deprecantem, ait venerandus pater. *Tu rogantem me ſpernis, ſed non me ſpernet (arbitror) quem in tuam ſum amentiam deprecaturus. Ego namq; rogabo Dominum, vt aduerſitate aliqua obiecta vanitatis tuæ ſtudium conteratur.* Hæc vbi dixit, dimiſit Epiſcopũ paruipendentẽ ſua verba. Inſtabat autem dies torneamentis: ſed præueniens inſtantiſsima prece pius parens ardentes podagras à Domino Præſuli impetrauit, quibus vana illa ſpectacula optato ſucceſſu caruerunt. Sentiens vero Pręſul ſe Dionyſij oratione præuentum, vt greſſus ſibi eſt redditus, ad cellam eius acceſsit, & conceptas irarum faces in faciem eius ingeſsit & abijt. Hunc ipſum Pontificem cùm defunctus eſſet, in nocte diuæ virginis Catharinæ vidit Pater Dionyſius poſt nocturnas vigilias duobus nigerrimis, vallatum gigantibus, ſqualidum, tetrum, fumoque oppletum. Porrò circum genitalia eius conſpexit immenſum agmẽ ſerpentum, bubonum, colubrorum, qui miſerum diris morſibus deuorabant. Dicunt verò ad Dionyſium dæmones: *Ecce adeſt Dominus tuus.* Intuens autem in eum Dionyſius, cùm nihil opis illę expoſceret,
 intel-

intellexit æterna morte damnatum. Nam præter innumeras vanitates, quibus Deum offenderat etiam in concupiſcentijs fœminarum fuerat, virginum & monialium conſtuprator. Hoc quippe monſtrabant voraces colubri, qui morſibus eius verenda diſcerpebant.

CAPVT XVII.

NOVITIVS QVIDAM IAM VITA functus, ſecundùm quietem monet Dionyſium, vt promiſſo precum ſuffragio ſibi ſubueniat.

AD hunc Patrem cum eſſet eruditiſſimus, tanquam ad Apollinis oraculum pro captando conſilio plurimi confluebant. Hinc interdum impeditus, mortuorum debita fratrum tardius abſoluebat. Mortuus eſt autem illic nouitius quidam Dionyſij patriota. Cui obeunti duo ſe lecturum pſalteria promiſit. Sed cùm à viſitantibus occupatus non cito promiſſa cópleret, defunctus frater qui huius ſuffragijs egebat, palàm apparuit, obiurgās quod pollicitum laudis munus non perſolueret. Cumque ſe vir Dei excuſare pararet, obrigeſcens, loqui non potuit: intelligens nullam defunctis iuſtam ſatis excuſationem à debitore poſſe prætendi.

Defunctorum debita nulla ratione procraſtinanda.

CAPVT

CAPVT XVIII.

DONATVS DEFVNCTVS CONQVERitur Dionyſio.

DOnatus ſuę domus poſt mortem apparuit ſancto Patri, expletis nocturnis laudibus. Apparuit autem flammis vndiq; cinctus, grauem illi querimoniam mouens, quod fratres ſui parum ſibi impenderent charitatis & ſua pro illo debita nō exoluerēt. Simile recolo me legiſſe, quod quidā vir ſanctus audiuit defunctos quoſdam fratres amariſsimè querulari, ſe ideo acriter ardere, quod debita defunctorum orationum iuuamine fraudarentur.

CAPVT XIX.

REVELATIONEM ACCIPIT DE STATU patris ſui defuncti.

ORante eo pro Patre ſuo iam defuncto, & ſcire cupiente quid ſecum agеretur vox ad eum facta eſt dicens: *Quid de parente tuo ſcire moliris? Tu Dominum pro illo deprecare, ſi ſaluandus eſt,* tua illi proderit oratio, ſin minus oratio tua in ſinum tuum conuertetur. Hoc reſponſo cœlitus accepto, cùm ſuſpenſus illi animus eſſet, nec à prece deſiſteret, illo leniter ſoporato, vidit Patrem ſuum duos inter nigros æthiopes compreſſum, dicentem ſibi ingenti vociferatione. *Fili amantiſſime miſerere mei, & orationis mihi munus impende.*

Alio miraculo idem comprobatur.

Hoc dicto, à dæmonibus verberatur, & ab ijs, ſpectante Dionyſio, in caminum flammantis incendij præceps immergitur. A quo tandem, pijs ſui nati ſuffragijs, liberatur.

Capvt XX.

Freqventer in ecstasin mentis rapitur, adeo vt non ſine cauſſa Doctoris Extatici præ ſe ferat nomen.

HAbebat mirabilé & valdè crebram in raptibus gratiam. Nam ſæpè ad vocem cytharæ, ac ſuaues cantilenas, inſtar Helizei, ſurſum rapiebatur in Deum, vnde cũ tempore quodam Eccleſiam intraſſet S. Ioannis Euangeliſtæ in Buſcoducis, & organa dulcem illic luderent melodiam, vt facie ita & mente mutatus eſt. Quod cernens venerandus Abbas ſancti Martini in Colonia, qui iuxta erat, traxit eum ſeorſum in Capellam, & ſtatim à ſe deficiens totus tranſibat in Deum. Idem alio quoq; tempore in choro accidit, dum ad receptionem nouitij conuentus caneret (vt mos habet) *Veni ſancte ſpiritus*, Nam ſtatim Dionyſius extra ſe poſitus eſt, fratribus interim cum Nouitio ad cellam euntibus, ſuaque deinde prandia petentibus, ſublatus in ſua contemplatione permanſit. Frequẽter etiam viſus eſt in Choro ita in Deum abſorptus, vt fratribus ad eleuationẽ corporis

poris Chriſti ſeſe proſternentibus, ipſe ſtans immobilis permaneret. Nemo tamẽ illum tangere præſumebat, licet nullam faceret reuerentiam Venerabili Sacramẽto, ſcientes conſuetudinem contemplationis.

CAPVT XXI.

CARTVSIANVS QVIDAM RVREMŨDANÆ *Domus à malignis inquietatus ſpiritibus, à Dionyſio edoctus, ſumma potitur pace.*

FRater Hermannus Lunenſis Monachus Ruręmundanæ Domus cùm vexaretur in cella à ſpiritu maligno, frequenter intolerabiles ſtrepitus nocturno tempore cõcitans, fratris requiẽ perturbabat. Hinc tædio & graui turbatione affectus, rogat cum lachrymis Patrem Dionyſium, vt quia conſuetudinem haberet, cum ſpiritibus dimicandi, cellas inter ſe mutuo commutarẽt. Cui ſanctus Pater. *Non eſt*, inquit, *opus ô fili, ſed vade, & dum redierit ad te ſpiritus,* ſuas excitans tempeſtates, percute *pugno duriter aſſeres oratorij, & dicito; vade ô maligne ad fratrem Dionyſium & me in pace dimitte.* Quod cum ille feciſſet, vltra malignus nõ redijt, & Dionyſius eũdem illa eadem nocte in ſua cella ſpiritum adeſſe perſenſit.

CAPVT XXII.

REVELATVR EI STATVS ANIMAE M. Ioannis Louanienſis, inſignis S. Theologiæ Doctoris, ob pluralitatem benficiorum purgatorij flammis excruciati.

HAbuit hic Pater Dionyſius præter eas quas ante tetigimus reuelationes, adhuc plurimas quas humilitatis gratia noluit propalare. E quibus vnam adhuc cõmemorabo. In choro fratrum Cartuſianorum Ruremundæ iacet ſepultus egregius Doctor magiſter Ioannes de Louanio: vir quidem ſuo tempore venerandus cui plurimæ erant præbendæ in diuerſis Eccleſijs: quarum tamen prouentus in vſus optimos expendebat. Nam in Ruremunda fundauit Cœnobium regularium Canonicorum, & Collegium ſtudioſorum S. Hieronymi Coloniæ Agrippinæ. De hoc viro vidit vir Dei apparitionem ſatis terribilẽ. Vidit nempe tribus annis continuis in die anniuerſarij huius magiſtri nocturno tempore ſub pſalmo, *Benedictus Dominus Deus Iſrael*, vidit inquam ipſe ſolus (etſi cæteri quoq; frates in choro eſſent) hunc defunctum horribili quadam ſulphurea flamma circumdari, atque conſumi. In ſecunda verò apparitione vidit hũc flammis quidẽ cinctum mitioribus, tamẽ quàm ante. Porrò in tertia lenta hũc lambens

bens flāma purgabat. Quæ vt vidit Dionyſius, ſublimi cuidā viro Doctori Colonię, quem M. Ioannes ſui teſtaméti fecerat executorem huiuſcemodi ſcripſit Epiſtolā.

Excellenti magiſtro N. F. Dionyſius ſalutē dicit. Cupio rem aliquam doctiſſime magiſter tua aperire ſapientia; quam & vrgente conſcientia, & Priore noſtro præcipiente, aperire compellor. Licet Iſaias Propheta velit ſecretum ſuum ſibi ſoli eſſe ſecretū, tamen Saluator Chriſtus Dominus hortatur nos dicens, Quę auditis in aure, prædicate ſuper tecta. *Vnicuiq; enim (vt noſtis) datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatē videlicet aliorū. Sed hæc dona reprobis boniſq; cōmunia ſunt. Nam & Prophetia ſpiritus Balaā eſt ariolo attributus, & Iudas proditor Apoſtolatus apice eſt inſignitus. Cuius fictam conſcientiam Dominus tetigit dicēs.* Nonne duodecim vos elegi, & vnus ex vobis Diabolus eſt? *Nō igitur ſemper cēſendi ſunt meliores in quib. hæ gratiæ gratis datæ exuberare videntur: cū & ſanctiſſimus Baptiſta Ioannes nullū legatur ediſſe miraculū aut ſignum. Quæ idcirco dixerim,* ne videar cuiquā iactitare meipſum atq; hoc pacto indignū me cōſtituā, cui habeatur fides, & res ipſa ſuo fruſtretur effectu. Et quidē quæ narrare inſtitui, poterā ego in tertia perſona, quaſi de alio recitare. quod & maiorē prętēderet humilitatē; licet forſan nō ampliorē induceret fidem, ſed quia quæ videntur certiora ſunt, quàm

quæ

quæ ab *alijs audiuntur, hinc teſtem inuaco eum illum, qui per Hieremiam clamat dicens*; Ego ſum teſtis & iudex, *nihil extra veritatem dicturum me, ſed quæ his oculis vidi, fideliter narratur.*

CAP. XXIII.

ENARRAT IAM HIC DIONYSIVS executoribus Teſtamenti, quo pacto viderit cruciari animam M. Ioan. Louanienſis Sanctenſis olim Eccleſiæ Præpoſiti.

IN medio chori noſtri tumulatus iacet bonæ recordationis Magiſter Ioannes de Louanio, Xantenſis olim Præpoſitus. Tribus iam annis à ſuo obitu euolutis, dū in die anniuerſarij ſui officium pro eo defunctorum in choro à fratribus legeretur, contigit quod ſubijcimus Nam dum caneretur Zachariæ Hymnus, *Benedictus Dominus Deus Iſrael*, repentè vidi in plena vigilia corporalibus oculis ignem grandi flamma inſtar feretri conſtructum, tanquam ſi in feretro ipſe iacés flammis vltricibus vreretur. Erat autem ignis obſcurus, ater, flammiuomus, qui ſurſum in aera conſcédens, terribilem præbebat aſpectum. Vnde territus, fratrem qui iuxta me ſtabat, pulſans; hortabar vt aſpiceret. Cumque ille nihil tale videret, intellexi myſterium eſſe, & ex hoc igne qui feretrum ambiebat collegi animam doctoris igne torqueri.

Regreſ-

Regreſſus ergo ad cellam, afflixi animam merore, plurimum lachrymans quod neſcirem an Doctoris anima poſſet pœnarũ ſuarum inuenire remedium. Conſiderans nimirum, quod pinguia & plurima habuiſſet beneficia, quodque grandes apud ſe habuiſſet pecuniarum aceruos, timere cæpi ne æternis eſſet ſupplicijs mancipatus. Hi enim tales ſæpè digni ſunt morte. Venit deinde annus ſecundus, & vidi ſimili tempore & loco ſuper defuncti ſepulturã flammas quas ante videram: clementiores tamen & blandiores quam extiterant primæ. Hinc lætus intellexi eum in loco eſſe veniæ conſtitutum. Porrò anno tertio inter nocturnas vigilias defunctorum, plus ſolito aliquid vidi, quod rerum neceſſitas me aperire compellit: Accenſis quippe ſupra eius ſepulchrum candelis, cùm fratres inciperent, *miſerere mei Deus*, cecidit ſuper me mentis exceſſus, adeo vt nec oculos aperire, nec pſalmos canere, nec ſuper pedes ſtare poſſem. Habui verò tunc non imaginariam, vt ante, ſed viſionem merè intellectualem: in qua mihi Deus optimus maximus oſtendit indigno, quæ nec valeo, nec etiam ſcribere præſumo. Vidi nempe, quàm inſcrutabilia ſint iudicia Dei, & quàm ſint inueſtigabiles viæ eius, & de futura huius magiſtri ſaluatione, Deo *Rom. 13.*

reue-

reuelante, cognoui, quàm eſſet pium pro huius anima Dominũ deprecari, & quam impiè, infideliter, ac dãnabiliter eius agerent executores teſtamenti, qui congeſtã eius pecuniam nequaquam in animæ eius expendant adminiculum. Agnoui prætérea quod multa hic magiſter pietatis habuerit inſignia, ob quę, Deus miſerator eũ aſpexit. Nequaquã.n. fuerat (vti ſunt plurimi heu Prælatorũ) concupiſcentijs infectus, tactus, & guſtus, ſed ſobriam ſemper, ac pudicam traduxit vitam. Amabat ſpiritalium ſtudia literarũ, & publicum Eccleſię bonũ inſtituere ac ꝓmouere curabat. Congeſtas opes in pios tribuendos vſus inſtituit, ſed executores eius infideliter agunt. Inſuper dum in extremis ageret, gratiam veræ contritionis donauit ei Deus; Caueat tamen quilibet Prælatus, qui pluribus beneficijs & pecunijs gaudet, ne hãc ſibi gratiam ſperet affuturam; ſciens quia *priuilegia paucorum non faciunt legem communem*, nihilq́; eſſe iniquius quam amare pecuniam; & quod nihil ſit auaro ſceleſtius, ſciens quoq; quod qui pecunias habent, difficulter regnum Dei conſequentur. Te igitur reuerende magiſter, qui inter executores huius viri præcipuus electus es, oro atq; obteſtor, per eam fidem, quam hic in te eſſe arbitrabatur, vt omni repulſa dilatio-

latione, vltimâ teſtatoris impleas voluntatem, ne in te ira Dei deſæuiat. Vincit, fateor, affectio rationem, & veritate neminem palpante, durius ſcribo quam volebam. Verumetiam me tacente tu ipſe noſti quam ſit impium, & periculo plenum vota negligere teſtatoris. Omnino extra viſcera longè exulat charitatis, & omni eſt fraterno ſpoliatus amore, qui ſua negligentia aut vecordia miſeras amicorum ſuorum animas in purgatorij flammis ardere permittit: cùm dicat S. Pater Auguſtinus, *nulla vitæ præſentis ſupplicia, etiam ſi vniuerſa congerantur, purgatorijs eſſe tormentis vllatenus coæquanda.* Hæc tecum ſapienter penſites velim, vt id ages ocyus in anima proximi, quod tibi in ſimilibus pœnis cuperes impendi. At ne te, mi Domine præſtantiſsime, videar præteriſſe, oro obnixè ſapientiam tuam (qui & nummis pluribus, ac beneficijs gaudes) ne ſimile te, aut certè grauius periculum apprehendat. Nihil enim tibi proderunt diuitiæ, quæ ſuum poſſeſſorem à morte liberare non poſſunt. Noli igitur vanis ſpebus extolli, ſola eſt veritas quæ liberat ab omni malo. Tuum eſt ergo à caducis & fragilibus bonis mentem auertere, manſuris & ſupernis opibus inhiare, ſpiritalibus epulis delectari. Non humanis

nis perditorum moribus, ſed angelicis virtutibus conformari, iter alijs vita & doctrina ad cœlum pandere, pecunias non congerere, ſed inopibus & miſeris erogare, paucis contentum viuere, & ſemper Chriſti ſermonis meminiſſe, qui ait: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Vale mi Domine, & dum hæc publicaueris caue obſecro ne nomen meum ſeu perſonam alijs reueles.

CAPVT XXIV.

INSIGNIS DIONYSII CARTVſiani commendatio, & quàm piè hinc ad Dominum emigrauerit.

HIc Pater Dionyſius, ſi vitam eius conſideremus, fuit vir contemptor ſui. Porrò ſicut is qui amator eſt ſui, fit contemptor Dei, ita qui contemptor eſt ſui, fit amator & contemplator Dei. Hinc iam liquet aduertere, vnde tanta ſecretorum reuelatio, tanta in omni ſcientia & in ſcripturis ſacris cognitio prouenerit huic patri de contemptu ſui. Quomodo autem ſeſe contempſerit, & incurius ſui fuerit, patet ex ſubditis. Nam cibos ſæpè edebat quos limaces prægustauerant, & ſordium ſuarum ſigna in ijs reliquerant. Hinc ſcribit miniſter ſuus, F. Carolus de Herck, illius domus profeſſus, vir verax & bonus, & qui ſua Dionyſio obſequia ſedulus impen-

pendebat, quod butyrum his vermibus tabefactum, quod fructus & ceraſa, quę limaces ſugendo corroſerant, manducare non horruerit, immo in delicijs habuerit. Cumque Carolus inde eum argueret, reſpondit, *nullum in cibo periculum eſſe, eo quod horum venena vermium mortifera non ſint.* Sic guſtatos à limatibus fructus ipſe ſumebat: halecem etiam cùm nimium ſalſam edere non poſſet, iuſsit eam aquis dulcibus temperari, ac tunc ad aerem ſuſpendi: quam non ante edebat, quin putentiſsimum exhalaret odorem, & cellam ſuo fœtore inficeret. Prohibente autem miniſtro ne halecem hanc manducaret, ſinite ait malo eam fœtẽtem, quam ſalſam guſtare. Tantus inerat illi feruor exercitij ſpiritualis, & labor infatigabilis ad ſtudia ſcripturarum quod cibos ſuos ſæpè negligeret, & prandium in veſperum vſque differret. Et qui calidos aptoſque ſumere potuiſſet, frigidos ſerò ſumebat & incommodos. Quoties inſuper animum reuocabat à ſtudijs, ſemper illi erat pſalmus in ore. Dum ſurgeret, dum ſe veſtiret, dum iret, rediretque, dum ſe aut lauaret aut calefaceret, ſemper Domino pſallebat ſolicitè præcauens, ne vel punctus temporis otiosè illũ præteriret. In ſenio autem paululum ſcribendi laborem intermittens, animum tra-

duxit ad ſuperna: quo non iam Deum in ſcripturis, quæ euacuabuntur, ſed in ſuis delitijs inueniret. Et quia Deus amicos ſuos hîc ſueuit aduerſitatibus, & corporũ doloribus viſitare, hunc virum paralyſi viſitauit, & calculi ac veſicæ doloribus, alijſq; infirmitatũ miſerijs, in quibus ſemper & patientiam & gratitudinem exhibebat. Habebat etiam crura vlceribus corroſa, ob quarũ curam vel lotionem, nunquam voluit à ſpiritali labore conquieſcere, ſed dum miniſter cruribus intenderet, & inter curandum ſeu ligandum grauiter eum, vt fit, ſæpiſsimè læderet, ille veluti ad pœnas inſenſibilis eſſet, nunquã ſe retrahebat, nunquam gemitum edebat, ſed ſuæ ſcriptioni vel ſtudio ſolicitus incumbebat. Anno integro ante mortẽ, tria carmina decantabat, multis ſemper lachrymis affluens & gemitibus. Hæc autem carmina interpolatim concinebat. Primum erat illud, quod canitur pro defunctis, nempe, *Requiem æternã dona eis Domine.* Quo certiſsimè illo ſe anno cognouit moriturum. Aliud, *Maria vnxit pedes Ieſu,* quo ſperabat à Chriſto veniam ſe ſuorum peccaminum adepturum. Tertium, *Sancti qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem:* quo fidebat cum ſanctis immortalem ſe fortitudinem conſecuturum. Paucis antequam more-

Dionyſius calculo ac paralyſi cruciatur.

Tria infirmus frequentat Cantica Dionyſius.

moreretur diebus, cùm in die ſancti Thomæ de Aquino, Miſſam audiſſet, & de viuifico Chriſti corpori communicaſſet, reuerſus ad cellam, dixit ſeruitori. *Modo mi frater id tempus incipit impleri, quod dudum ante prædixi. Si iam amplius vixero, neceſſe erit me de loco ad locum aliorum manibus ferri, & ero fratribus oneroſus. Matura igitur, mihi mors incumbit.* Quæ vt dixit, cibum omnem faſtidire cœpit. Et vt ſcribit Carolus, parum aut nihil poſt guſtauit. Creſcente verò indies ægritudine, in ipſo beatiſsimi Doctoris Gregorij die, Dionyſius Doctor Exſtaticus mortem perdidit, & vitam inuenit, felici cũ Chriſto pace donatus. Anno 1471. De quo ita ſcribit Boſtius Carmelita: *Dionyſius contemplator eximius & ſcriptor vberrimus, in otio negotioſus, & in negotio otioſus eſſe didicerat. Hic omnes ſui Ordinis profeſſores in operum literalium diligentiſſ mè lucubratorum copioſa multitudine (eruditorum omnium aſſenſu) longiſſimè anteceſſit. Abſit inuidia dicto, Sed nec vel aliquem ſibi contemporaneum ei inter maxima patriæ religionis ætatis ornamenta iure numerãdo comparabilem puto; vt mirandum iure ſit, quo nam pacto tanta percurrere, tanta intelligere ac meminiſſe, & tam latè manãtia profundere potuerit flumina doctrinarum.* Hæc ille.

VIDE NOTAS.

CAPVT. XXV.

QVO PACTO P. LAVRENTIVS CONtempto ſeculo, Cartuſienſe arripuerit propoſitum, ac quam ſanctam in eo vitam duxerit, piè in Domino obierit.

SAnctæ recordationis Laurentius Prior & Vicarius quondam domus Capellæ ſanctæ Mariæ prope Angiam, ita in noſtro ſacro ordine operibus clarus effulſit & meritis, vt inter ſuæ Prouinciæ Cartuſianos, quaſi ſidus illuxerit matutinum. Nam ante conuerſionem cùm diues eſſet & magnarum opum, haberetque plures opulentos commenſales clericos, tactus diuino ſpiritu introrſum, ſubitò domus ſuæ præclaram ſupellectilem vendidit, & in pauperes aurum omne diſtribuit. Quod vt ciues agnouerunt, amici ſui interrogãt eum, an inſulſus factus ſit, qui ſic repentè res ſuas omnes profundat ac diſsipet. Quibus ille; *Conſulit*, ait, *Chriſtus in Euangelio, vt ſi quiſpiam cupiat eſſe perfectus, vendat cuncta quæ poſsidet ac det egentibus, nuduſq; nudum ſuum ſequatur pro ſe crucifixum opificem.* Prohibitum eſt igitur publicè à iudicibus, ne quis aliquid à Laurentio emat, nolentes ſuo dulci carere contubernio. Ille ſic coarctatus argentea vaſa & ſpecioſa quæque (quia vendere non poterat) integra vt erant inopibus dedit. Dehinc poſſeſsionibus cunctis

Matth. 19. 21.

hoc

hoc modo diſtractis, in tantum pauper Chriſtũ ſequutus eſt, vt ne obulũ ſibi vel vnum retinuerit. Ita enim ad me ſcripſit venerabilis Sacerdos illius domus Capellæ mihi amore coniunctus, quod in tantum pauper ad Ordinem venerit, vt pauxillum ceruiſiæ in itinere emere nequiuerit, qua ſitim extingueret ſuam. O inſignem paupertatem noſtro hoc tempore de opulente inauditam: Et vt mireris amplius; hic vir Deo dignus, ante bonis ſuis omnibus ſe ſpoliauerat, quam ſciret ſibi locum in noſtra religione patere. Sed erat illi fiducia in Deo ſuo, non ſe poſſe ab eo deſeri, ob cuius amorem omnia deſeruiſſet. Atque ideo ſtatim vt locum petijt, accepit: & cùm multa alacritate à ſacro Conuentu ſuſceptus eſt, cenſu pauper & modicus, ſed fide ac deuotione ditiſsimus. Hic igitur Laurentius omnium ſuorum teſtimonio fratrum, vir fuit vera religione conſpicuus, vir vita ſanctiſsimus, plurimiſque à Deo gratijs condecoratus. Erat namque in Dei amore & obſequio feruẽtiſsimus, tanquam lucerna ardens & lucẽs. Porrò diuinas laudes & Diuæ virginis horas dũ concineret, tam ſingulari & ardenti mouebatur affectu, vt mirarẽtur, vniuerſi atque hunc feruorem annis quadraginta in conſuetudinem traxit. Tanta ſæpe ine-

rat illi compunctio cordis, vt vberrimis fletibus abundans, loca omnia lachrymis compleret. Multo tempore ob nimium feruoris æſtum in choro dũ eſſet ad vtrũque latus pſalmos cócinebat donec illi eſſet à patribus prohibitũ. Habebat ſub aſpectu omnium, tépore diuini officij, gratiá ſingularẽ, & conſolationes dulcifluas, per quoddam exercitium de paruulo & agno (quod & ipſe vidi) diuinitus ſibi reuelatũ.

Exercitium de paruulo & agno.

Zelum huius viri dignè quis explicet? Corrigebat lectorem in Eccleſia, vel alibi, vt nec ſyllabam elabi pateretur vel notulam ſi cantaret. Si quando videbat aliquid agi inordinatè, vel quod ſtatutis non congruit, acri animaduerſione ſæuiens, inultum ire non ſuſtinebat. Hæc tamen agens, erat nihilominus mœrentium conſolator. Videres in vno homine duo contraria, nempe vt & rigidus eſſet, & humaniſsimus; dum ratio id poſceret. Erat enim conſolator, conſultor, & adhortator egregius. Hinc ad illum vndique plurimi confluebát, nobiles, diuites, ſapientes, pauperes, deſolati; quos omnes benè conſolatos atque inſtructos, lætis à ſe animis dimittebat. Erat & diuini verbi aſſertor & promulgator facundus pariter & copioſus: ita vt confluentem (dum concio eſſet habenda) Eccleſia populum capere non poſſet. Ab in-

ſantia cum hoc patre creuit miſeratio, e- *Iob. 31. 18.*
ratque ad inopes affluentiſsimus diſtri-
butor, ita vt merito perituri benedictio
copioſa ſuper illum deſcenderit de cæ-
lo. Eo nempe tempore quo Prioris fun-
gebatur officio, cum eſſet ingens frumen-
ti inopia, & diuerſæ circumquaque regio-
nes graui famis periculo laborarent, ipſe
pauperum & calamitoſorum omnium
prodigus prouiſor, & paſtor erat: adeo
vt de Franciæ partibus tanquam ad quen-
dam aſylum pro ſtipe pauperes confu-
gerent. Cumque plurima ijs largiretur,
nunquam tamen vel penuriam pertimu-
it, vel de craſtino cogitauit, ſumma ſpe
ſemper ad ſuperna erectus. Octo annis
Prioratum adminiſtrauit, in ſua domo,
ſtrenuè quidem, ſed & benignè: ſemper
ſolicitus ne quid fratribus deeſſet, proui-
dus animarum curator ſimul & corporũ.
Nam vti animarum medicus, ſic tentatis
ſuccurrebat, & miſeris: quin & rebelli-
bus durum ſe obiectabat, ſciens *parcere ſub-
iectis & debellare ſuperbos.* Pitantias fratrum
& portiones bonas eſſe volebat & com-
petentes, vt eò robuſtius feruentiuſ-
que laborarent, meliuſque valerent, ſtri-
ctiſsimam tamen ab omnibus exige-
bat Statutorum & Ordinis obſeruantiam.
Poſt annos octo Prioratus ſui hydropiſin

incurrit, eam quam medici rubeam vocant, quæ ſpecies præ cæteris difficulter curari poteſt. Pro cuius curatione peritiſſimus artis medicæ magiſter aduenit, ſed vir ſanctus fidens in Domino, nequaquam eſt illum dignatus admittere, quò ſupernus medicus ſuas illi manus miſericordius admoueret. Poſtulans igitur, reperta occaſione, ſibi miſericordiam fieri, per patres ab officio dimiſſus eſt. Quo onere depoſito, aquarum ēt pōdus, Deo adiutore, depoſuit, & cito valetudinē recuperauit, qui antea proclamatus videbatur. Qui dein Vicarius inſtitutus, tres & triginta poſt vixit annos, ſeruiens Deo in fortitudine ſpiritus. Sunt qui putant hunc Dei ſeruū ſupernis ſæpè reuelationibus fuiſſe illuſtratum, & ſecretis cæleſtibus nonnunquam tranſpoſitum. Putant etiam hunc à diua virgine, & Martyre Catharina (quam ingenti diligebat amore) ſępius viſitatum, à qua & roſam paradiſi pulcherrimam creditur accepiſſe. Verum, quia ſecretum ſuum, vti erat humilis, ſibimetipſum occulendum arbitrabatur, hinc eſt ꝙ nemo ſuorum fratrum hæc audeat tanquam certa aſſeuerare. Aſſerunt tamen omnes eum tam ſancta, tamq; ſublimi conuerſatione reſplenduiſſe, vt piè hęc credi queant. Habuit

Fieri miſericordiam vocant Cartuſiani, dum quis ab onere officij abſolutionem impetrare poteſt.

VIDE NOTAS.

buit quoq; apud Regulares de ſeptem fontibus germanum fratrem, virum meritis ſublimibus locupletem. Huic putant Laurentium ſua ſecreta manifeſtaſſe, & quæ de reuelationibus iam diximus, inſinuaſſe. Inſuper & Margareta Sereniſsima regis Anglorum filia, & Ducis Caroli Burgundiæ olim relicta, quæ & vniuerſo ordini deuota erat, audiẽs huius Patris clariſsimã famam, grandia ob eius reuerentiam munera fertur contuliſſe domui illi, eamque veſtibus aureis atque holoſericis ſplendidè adornaſſe. At nunc vt hunc virum ſanctum fuiſſe lector agnoſcas virtutem patientiæ diligenter in eo aduerte. Nam patientia opus perfectum habet, vt meritò hunc ſanctum vocites & perfectum, quem in magnis aduerſitatibus inueneris patientem. Longo ante mortem ſuam tempore tibias geſtabat horrendis vlceribus deformatus, exeſas, putridas. De quibus vermes innumeri ſcaturiebant, qui rodentes tabefactam carnem, immaniſsimis eũ exagitabant doloribus. Quorum tanta erat copia, vt foris ſub aſpectu fratrum ebullirent. In ijs tamen pœnis maximis nedum patientiſsimus, ſed & iucundiſsimus videbatur; exultans nimirum & laudans, gratias Deo agens & tanquam prudens

mercator ſciebat his doloribus, manſuras ſemper delitias emereri. Verum Domina Margareta, cuius ſupra memini vt didicit ſuum patronum tam dolenter affligi, egregium illi chirurgum miſit, à quo curaretur. Sed vir beatus ſciens his pœnis ſibi merita cumulari, chirurgum repulit, dicens; *Medicus meus Dominus eſt* IESVS CHRISTVS, *huic me integrum comitto, qui dum volet, poterit me curare!* Tantam quoq; patientiæ vim exercebat, dum illi tibiæ aut mundarentur, aut ligarentur, vt penè ſine tactu eſſe putaretur. Cumque reſolutionis ſuæ dies inſtaret, quo tantorum coronam caperet meritorum, viſitatus à Conuentu eſt & inunctus, Priore ſuauiter illum confortante, & vt agonem ſuum conſtanti exornaret animo, cohortāte: cui ille reſpondit; *Ego mi Pater nec mortem timeo, nec Diabolum mortis autorem, neq; infernum, roboratus Dei gratia, pertimeſco. Id enim mihi paruulus quem colui, & Dei agnus contulerunt.* Hæc verba eius penè fuêre nouiſsima, cum quibus & animam efflauit, feruentiſsima fide ac charitate munitus. Obijt vero in profeſto almæ Barbaræ martiris, anno 1477.

CAPVT

CAPVT XXVI.

DE ADMIRANDAE PIETATIS *Patre D. Boſone, ſingulari Beatiſſ. Virginis amatore: quæ & morienti adfuiſſe creditur.*

COntemporaneus huic Patri Laurentio fuit venerãdus Raſo, quem vulgo Cæſarium appellabant. Hic in domo Capellę Marię annis xx. ordinem teñuit, nunquam ad dexteram vergẽs vel ad ſiniſtram. Hic *vir erat* (vti de ſancto Symeone Euãgelium canit,) *iuſtus & timoratus*, & calore deuotionis ſuccenſus, & præcipuus diuæ virginis Mariæ amator: hanc ſemper in ore, ſemper geſtabat in corde. Hæc tota ſua voluptas, ſuæ omnes deliciæ erat. Per hanc innumeras conſolationes, copioſumq́; gratiæ munus adeptus eſt. Multa & præclara Fratres domus Capellę, de hoc beatiſsimo Patre dicere ac ſcribere voluerunt. Nam & quæ hîc ſcribo, ab vno illorum ad me venerunt. Hic totũ vitæ ſuæ tempus quod exegit in ordine, ſacræ inſumpſit orationi, vigilijs, lachrymis, meditationibus, quibus carnis incentiua edomabat, & mẽtem ſæpe ſecretis cœleſtibus inſerebat. Ad cuius agonem (vti illius loci Fratres affirmant) alma Dei genitrix, dignanter accurrit, & ſuum dilectum prompta reuiſens, magnum illi in extremis laboribus auxilij

ac

ac ſolatij beneficiũ impendit. Aderant .n. nónulla probabilia indicia præſentis virginis, & ex hilari claro vultu morientis, & ex infuſa repentè in mentibus aſtantium reuerentia & amore, quibus ad dulciſsimam cęli Dominam mouebâtur. Sub hoc articulo ille animam exhalans in ſinũ beatiſsimæ Virginis patronæ ſuæ, lætus ſuperna conſceñdit. Porro Fratres hæc videntes, magnis Deum laudibus extulerũt & ædificati plurimum, cum gaudio ad cellas ſuas rediêre.

Obijt. anno. 1470.

CAP. XXVII.

DE P. GERARDO BREDANO.

ſtatura quidem puſillo, literarum verò cognitione ſacrarum, & librorum ſcriptione inſigni.

FLoruit hoc tempore in prænominata domo, honore dignus Gerardus Bredanus, vir quidem inſtar Zachæi, ſtatura puſillus, ſed ſcientia & virtutibus admodũ magnus. Clarucrunt verò in hoc patre duo lumina gratiarum, vt eſſet illuſtri ſanctimonia clarus, & ſacrarum ſcripturarum eruditione ſublimis. De quo viro ita ſcribit Boſtius Carmelita. *Gerardus*, inquiens, *animo florẽs claro & illuſtri, exhortatus eſt cunctos, ad benè, grauiter, caſtigateq́; viuendum ad ſe cognoſciendum, ad contemnendum hac caduca bona, inuitans ſingulos verbo & ſcripto ad hone-*

ſtas

ſtas & ingenuas exercitationes, ad contemplationem diuinæ bonitatis atq; ſacrorum.

CAPVT XXVIII.

DE P. GVILIERMO PRIORE DOMVS *Capellæ prope Angiam.*

Felicis memoriæ Guiliermus apſelus patria & ipſe Bredanus, hoc quoque floruit tempore, quo adhuc in humanis agebat ſacer (de quo ſupra) Laurentius. Hic de domo Capellæ Prior aſſumptus eſt in domo vallis gratiæ prope Brugas, vir alto, vt Boſtius meminit, ſanguine natus, operoſa deuotione totum ſe exhibuit cultorē virtutis, & hoſtem carnis, ſciens continentiam optimam eſſe balſami ſpeciem, quæ corpus à luxuriæ corruptione cuſtodit. Hic in Prioratu in vno quidem ſtrenuus ac ſeuerus, in altero autem, exigente miſeria, mitiſsimus fuit. In exercitatione autem corporali exquiſitiſsimus operarius ſcribitur extitiſſe, nempe in arte ligandi fabrilique ſuperans vniuerſos. Ad quæcunque mittebat manum, excellens & induſtrius habebatur. Porrò quia erat ambidexter, in actione ſpiritali egregium ſeſe opificem exhibebat. Nam tractatus ſcripſit luculentos. Annos quadraginta in ordine expleuit, plenuſque dierum placido ſopore quieſcens. VIDE NOTAS.

CAPVT

CAP. XXIX.

QVANTAE PATIENTIAE AC PAVpertatis fuerit P. Hugo Boletus, patria Delphus, officio Prior.

IN hac eadem Capellæ domo vixit eodem tempore clarus opinione, ſed meritis longè clarior venerandus Hugo Boletus patria Delphenſis, qui ante noſtri Ordinis ingreſſum Egmundenſis Monachus niger & Prior dudum claruerat: qui poſt etiam in Priorem domus montis Dei electus aſciſcitur. Hic tandem Capellæ ad cellam redijt, vir valde timoratus & bonus: cuius vita omnis, erat forma virtutis. De hoc præter alia mihi ſcriptum eſt, quod præ cæteris virtus in eo floruerit paupertatis, pro qua ſola (vt apprehenderet) à ſedibus regalibus Dei filius noſcitur deſcendiſſe. Hic Hugo tam ardens erat paupertatis amator, vt vix ſellam, vix operculum, vix vel breuem ſupellectilem viſus ſit poſsidere, ita omnia voluit in vſus pauperum erogare. Vixit cæcus annis decem; quam calamitatem tam manſueto animo pertulit, vt alterum Tobiam exiſtimares. Nouerat enim damnum externi luminis interioris hominis viſu ſplendidiore vir ſapiens compenſare. Hic ſancto fine potitus quieuit in pace.

VIDE NOTAS.

CAPVT

CAPVT XXX.

ADMIRANDAE VIRTVTES P. THEodorici Delphenſis, profeſſi domus Capellæ.

IOANNES Theodorici patria Delphēſis in iam ſæpè dicta domo Monachus fuit. De hoc mihi ab vno ſuorum confratrum ſcriptum eſt, quod ſubijcio. Hic in magna ſemper per annos quadraginta ſimplicitate & innocentia vixit, in magna ſolitudine ac taciturnitate præcipua. Tam ſolicitus oris ſui cuſtos, vt otioſum verbū ſtrictiſsimè deuitarit. Erat ſibi durus, aſper rigoroſus, in artiſsima ſobrietate & victus tenuitate tranſigens vitam. Inſuper & multum humilis & ſubmiſſus, ſuis in oculis ſibiipſi vileſcens. Amabat Deum & proximum, non qualicunq; ſed ardeſcente amore. Erat deuotus, ſanctus, timoratus, non volatili quodā & inſtabili ſpiritu, ſed omnibus diebus vitæ ſuæ. Tempus (quo nihil debet pretioſus æſtimari) nunquam ſine fructu ſibi patiebatur aut elabi aut extorqueri. Quoniam ſemper vel orabat Deū, vel legebat aliquid, vel lecta docebat, vel certè opere aliquo ſe extendebat manuali. Hic erat vir potens in abſtinentijs & vigilijs, & in diſciplina regulari exercitatiſsimus. Erat vir ſama celebris, ſed coram Deo meritis multo celebrior.

lebrior. Huius conuerſatio ita erat omnibus approbata, vt miro modo eum cuncti diligerent, colerent, admirarentur. De quo patres noſtri Prouinciales hoc palam pronunciabant. *Si eſt hoc noſtro tempore verus quiſpiam Cartuſienſis, haud dubium, quin iſte talis ſit.* Semper de illo dum ſui hoc loquerentur, compuncti & reuerenter loquebantur, tanquam qui iuſtus & ſanctus habitus ſit, ac fratrum ſyncerus amator. Hoc præclarum & laudabile gratiæ munus de illo narrari ſolet, quod omni loco ferè ac tempore mentem erectam ad ſuperna geſtabat; illuc leuans cor ſuum, vbi theſaurus ſuus Chriſtus ad dexteram Patris. Nam in ſignum huius rei, oculos clauſos tamen ad cœlum leuabat, manus iungebat, & totius corporis compoſitione palàm dabat intelligi, illic ſe mente verſari, quo manus & faciem erigebat. Erat ei iſtud quotidianum & familiare, & plerunque ſic à ſemetipſo raptus ſtabat, vt neſciret quid ageret vel vbi eſſet. Hinc interdum priuatim celebrans, leuata voce Præfationem canebat, vel ſimile quid agebat extra ſe ductus, neſciens quid actitaret. Ebrius enim amore diuino, carnis ſenſum plerunque perdebat. Poſt exactas Matutinarum vigilias, quæ apud nos prolixiſſimæ ſunt, nunquam ſe ſopori ſiue dormitioni

Sententia ſuperiorum de hoc B. Patre.

tioni tradebat, niſi forte grauis illum cõpuliſſet infirmitas: ſed peruigil in Dei laudibus durans, integrum fertur Pſalterium ſæpè ceciniſſe. His arduis laboribus licet ſemper eſſet intentus, graui tamen ſe abſtinentia macerabat; panem arctum capiens, & aquam breuem. Nam ferijs ſecundis & quartis potagium ſolùm, ceruiſiamque deguſtabat. At ſextis ſemper ferijs panem ſumebat & ſal, fontemque libabat. Cupiebant Patres Viſitatores ad communem illum fratrum eſcam traducere, quibus ſupplicabat, dicens; *Sinite me Patres, ſinite, precor hunc viuendi tenere morem, quem mihi per annos iam quadraginta non ſine ingenti labore in conſuetudinem traxi. Eſſetq; inſuper mihi permoleſtum eum victum aſſumere, quæ in longam diſſuetudinem abijt.* Poſſent inſuper multa adhuc præclara narrari, niſi me auocarent alij, quos etiam enumerandos cenſeo. Eſa. 30. 20.

CAPVT XXXI.

DE INSIGNI VIRO D. HENRICO *Loënio, diuerſarum Cartuſiarum* PRIORE, *quem Patrem Patrum nonnulli nominare conſueuerant.*

SAnctæ recordationis Patrem Henricum Loenium Louanienſem non oportuit præterire. Hic namq; (vti Boſtius ſcribit) Theologus admodum celebris

fuit, magna pietate & virtute præditus, cuius tam inſignis eloquentia prudentiaque relucebat, vt ſequaces plurimos, paucos verò habuerit coæquales. Hic Louanij Porcenſe pædagogium dum regeret, ſicut erat ſcientia famoſus, & opinione clarus; ita erat & vitæ probitate clariſsimus. Vnde diuino attactus ſpiritu Ordinem noſtrum eſt Capellæ ingreſſus. Quem ſic omnes & humilem, mitem, ſobrium, ſedulum ac timoratum in omnibus animaduerterunt, vt ſtatim poſt nouitiatum Vicarius inſtitutus, & poſt Patrem Laurentium de quo ſuperius diximus, ab omnibus in Priorem electus ſit. Fuit quoq; annis octo Prouinciæ ſuæ Viſitator. Deinde ob nouam plantationem domus Gratiæ iuxta Bruxellas, Prior illic accitus, locum illum annis XX. incolens & regens, perſonis ædificijs ac poſſeſsionibus ampliauit. Verum ſenio grauis (cum plurimum id poſceret) Prioris onere eſt releuatus, & ſuæ domui reſtitutus. Hic tam ſplendida ſemper virtute & tanta in omnes humanitate clarebat vt à tota Prouincia PATER PATRVM meritò ſit appellatus. Qui cum ſibi durus & rigidus eſſet, erat tamen erga ſingulos humaniſsimus. Et licet eſſet literis famaque celebris, erat tamen ſibi pauper & modicus, & in ſuis oculis

Fit Vicarius & Prior.

Item Viſitator.

Cartuſiam Bruxellenſem rexit annis viginti.

Cedit Prioratu.

oculis humillimus. Ad ſubditos verò pius admodum parens, manſuetus, lenis, ſuauis, zelum gerens tamen ſecundum ſcientiam. Porrò ad Dominum Deum ſuum erat deuotus, ardens, ſolicitus, ſanctificationem perficiens in timore Dei. Vnde cum aſpernator honoris proprij, equũ ob pauperiem habere non poſſet, exiens ad negotia domus gratiæ, aſinum Pater humilis equitabat. Neq; erubuit ſemel à ſello inſidens per medium Bruxellenſe oppidum (quod populi frequentia plenum eſt) vſq; ad ipſum deſcendere forum, pueris plateatim ipſum inſequentibus, & ſubſannantibus. Hinc plurimi ciuium ob eius humilitatem ædificati, plurimi verò qui phaleratis libenter vectabantur equis, confuſi ſunt. Omnes tamen timore pleni, rogabant eum ne amplius ſic cum aſino ciuitatem introiret, metuentes ne ob puerorum irridentium nequitiam ignominia plagiſq; afficeretur. Habebat quoq; hic ſanctus Pater hoc præcipuũ in ſe bonum, vt ſi quando (vti fit) inter fratres orta eſſet cõtentio, nunquam ſe ſopori ad veſperã dediſſet, niſi inter diſsidentes pax & trãquillitas reſcdiſſet. Si quem fratrum ſuorum aut tentatum ſciret, aut miſerè afflictum, ſedebat cum illo vſque in ſeram noctẽ, & & monita ſalutis inſerebat; donec ad *Vehitur aſino.*

meliorem mentem illum reuocaſſet. Animaduertant iſtud Priores noſtri, ac miſeris ſubditis fragilibuſque compati diſcant: deponant cornua, & ſeſe mortales homines futileſque meminerint. Amabat verò plurimum eos fratres, qui ſpiritalibus ſeſe operibus mancipabant; deinde eos qui ſcribendis ſacris voluminibus operam impendebant; aſſerens *non minorem fructum hos agere calamo & digitis, quam qui lingua & ſermonibus populo Dei verba prædicant.* Inſuper ſicut ſcriptum legi, viſus eſt aliquoties inter celebrandũ, ſurſum ab humo ſuſtolli, & aliquandiu in aere dependere: vt illuc leuaret carnem, quò iam ante mentem præmiſerat ſuam. Ante mortem quoque ita corpus longa inedia ac tabe conſumpſerat, vt tam aridum atque exeſum, quàm vel baculus, vel truncus arboris videretur. Obijt vero anno ætatis ſuæ 75. Ex quibus quadraginta ſacro in ordine laudabiliter expleuit. Obijt igitur in optima ſenectute, plenus dierum & operibus bonis. Anno nimirum 1481. Quem expirantem cùm Prior ſuus honorabilis Pater Arnoldus cerneret, grauiter in corde ingemiſcens, exclamauit: *Quorſum mi Pater tu pergis, & cur me his in cladibus derelinquis? Vtinam tecum nunc moriar, qui viuere ſine te non valeo.* Quod vbi dixit, mœrore pariter & lan-

Quantum Eccleſiæ proſint, qui pijs vacãt ſcribendis libris.

languore correptus, comedere vltra bibereq; non potuit; ſed diebus tantum quindecim ſuperuiuens, amicum ſe vocantem, quem apprimè ſemper amauerat, felici eſt morte ſequutus.

CAPVT XXXII.

DE P. ARNOLDO CARMANO PRIORE eiuſdem iſtius Domus Capellæ Priore, ac Theutonicæ Prouinciæ Viſitatore.

HIc Pater Arnoldus Carmanus vir fuit multa religione conſpicuus, in rebus agendis ſtrenuus exequutor, ſibi aſper & rigidus: & quãtum ſuæ infirmitates patiebantur, inexorabilis ſui corporis caſtigator. Vnde colebatur ab omnibus, & magna cum reuerentia amabatur. Erat quippe Prior in domo Capellæ, & Viſitator Prouinciæ Teutonicæ celeberrimus, animarum & ordinis zelator admodum fructuoſus. Sublimis inſuper erat, & humilis, ſciens & *a* abundare, & penuriam pati. *a* *4. Philip. 12.*
Sublimium & ſuperborum *b* colla non *b* *Eccl. 24. 10*
propria, ſed Dei virtute calcabat, & ſubmiſſos atque humiles fratres ſpe ad ſuperna erigebat. In externis negotijs, & quæ ſuum officium (quod ampliſsimum erat) concernebant, ſolertiſsimus habebatur, licet eſſet erga Deum humilis ſemper, ſedulus, & deuotus. Hoc itaq; ſagaci rectore

domus Capellæ in ſpiritalibus & temporalibuſque bonis non mediocre adepta eſſe noſcitur incrementum. Nec minus tota hæc noſtra Prouincia ſub hoc patre Viſitatore floruit virtute, ſanctimonia, dignitate. Nam Prouinciam viſitans, ita regiminis ſui moderabatur officium, vt
c Hiere.1,10. cùm c Hieremia euelleret, diſsiparet, ſeminaret & ædificaret. Hinc dicere ſæpe ſolebat; *Oportet Prælatum ſectari ea quæ decent, ſed ea facere quæ poteſt.* Verum vnctio hæc docet, vel inſpiratio. Sæpe cùm paſsione colica (quæ permoleſta eſt) vel calculi dolore premeretur, neceſſariam ſemper patientiam quaſi clypeum obiectabat, ita vt hanc eius tolerantiam magnopere alij admirarentur. Inter celebrandum vt mihi ſcripſit, qui id ſæpè vidit tam copioſas quotidie ſpargebat lachrymas, vt inſtar inundantis aquæ fluere viderentur. Cumque in Generali Capitulo ſuper ijs à patribus argueretur, & vt obtutibus parceret oculorum moneretur, reſpõdit cum ſancto Patre Frãciſco; *non oportere ob caducum luminum viſum, qui nobis cum muſcis communis eſt, gratiam abijcere Saluatoris.*

Capvt

CAPVT XXXIII.

DE P. ARNOLDO GEERTRVDOmontano Vicario ac Procuratore domus Capellæ.

HOc tali tempore viguit in eadem domo alius quidam Arnoldus, de monte ſanctæ * Gertrudis, vir ob ſuas virtutes admodum venerandus. Qui primum Vicarius, deinde ob neceſsitatem externæ adminiſtrationis (cui equidem hic valdè idoneus eſt habitus) Procuratoris officiũ octo & viginti annis tam laudabili moderatus eſt induſtria, vt in hodiernum quoq; diem ſua illic laudum præconia perſeuerent. Viuebat in hoc officio virtute non facilè omnibus imitabili, nunc Marthæ, nunc Mariæ viciſsim ocyum negociumq́; conſectans, & in externis curis ſabbatum mentis cuſtodiens. Hic vir tantæ ſcribitur fuiſſe manſuetudinis & lenitatis, vt ſibi ſimilem Conuentus ille viderit neminem. Cuius pietatis atq; humanitatis induſtria factum eſt, vt ab omnibus loco parentis ſuauiſsimi & coleretur & amaretur.

* *Eſt Hollandiæ oppidum.*

CAPVT XXXIV.

DE IOANNE ALDENARDO.

IOañem Aldenardũ eiuſdẽ domus Monachũ dignis pręconijs qs attollat? Hic dũ ex vtero matris ꝓditurus eſſet, cõtigit matrẽ in partu intolerabili laborare dolore, Vnde patri ſuaſum fuit, vt fructũ qui eſſet

naſciturus diuino offerret famulatui. Quod dum ille feciſſet, mulier ſtatim puerum peperit elegantem,& quaſi ſine dolore. Idcirco parentes ab annis teneris hũc viris tradiderunt religioſis imbuendum: à quibus ſcientias diſceret,& virtutes. Cuius tam ſimplex, innocens, pudica, morigera ſobriaque ſcribitur pueritia extitiſſe, vt quaſi alter Samuel paruulus videretur. Poſt acceptam in ſcripturis notitiam, voti fuêre memores parentes, & in grandem quandam diuitemque Abbatiam, quæ in Flandria eſt, impetrato loco, iuuenem recondunt. Monachi ſtatim huic, opes monaſterij enarrant, Abbatis gloriam, ampliſsima prædia, pingues & multiplices portiones, læta & exquiſita conuiuia, nocturnas crapulas, vina falerna: Verum iſtius generis delitijs, pius adoleſcens nequaquam aures admouebat. Sed conſiderans Monachos libenter bibere, rarius pſallere, crebros in popina, tardos in Eccleſia, menſas colere, animas deſerere, quærere quæ ſua ſunt, non quæ IESV Chriſti, clam fugit,& ductus diuino ſpiritu, domum Capellæ B. Mariæ expetijt & accepit. Vnde à
*Ca. 25. Domino *Laurẽtio, cuius ſupra memini, ſacro eſt habitu inſignitus, nec minus ſpiritali virtutum veſte interius adornatus. Omni namq; tempore vitæ ſuæ veſtimenta

ta ſua candida cuſtodiuit, puram ac ſimplicem innocentiam ſeruans. Quem fratres cùm viuidum cernerent, & magnæ agilitatis gratia præditum, Sacriſtam inſtituunt, atque officium iſtud annis quinq; & triginta ita moderatus eſt, vt ſine cuiuſquam quærela (quod rarò euenit) tali ſe operi dignum demonſtrarit. Nam cùm eſſet vir bonus, & optimæ conuerſationis & vitæ, humilis pariter & deuotus, fieri non poterat, quin & coleretur ab omnibus & amaretur. Amator quippe fratrũ cùm eſſet præcipuus, facile affectum omnium in ſe prouocabat. De hoc ſcriptum reperi, quod voluntariam paupertatem vſq; adeo amplexatus ſit, vt vix corporis neceſſaria dignaretur admittere, nec quicquam in cella conſpiceretur habere. Si quid illic fortè inueniſſes, ita vile & abiectum erat, vt Chriſti IESV in præſepe conſtituti eſſe arbitrareris. Hunc aſſerũt ab infantia virgineæ ſemper puritatis floruiſſe, ita vt agnum ſequeretur quocunq; diuerteret, eo quod virgo eſſet, integerrimus. Primam poſt acceptum habitum facturus Priori ſuo confeſsionem, ignorabat tanquam nihil ſibi conſcius, quid deberet confiteri; ſic ſemper à ſpiritu ſancto cuſtoditus, vt mortali nunquam putetur peccato contaminatus. Ante aſſumptum ordinem, & poſt

Fuit Sacriſta ad annos 35.

ſic timoratè ſe ſemper geſsit, vt cũ ſimplicitate colũbæ ſerpentis aſtutiã poſsideret. Bona hæc immo & neceſſaria ſerpentis aſtutia eſt: qua qui caruerit, peſtiferos atri colubri, morſus nequibit euadere. Hunc cum Dominus vellet à Sacriſtæ officio remoueri, & à labore requieſcentem ſibimet viuere, grauiſsimam illi immiſit infirmitatem: qua penè vſq; ad agonem vigente, Prior Arnoldus (licet inuitus) eum abſoluit. Abſolutus ſtatim conualuit, ac tunc maximè ſibi redditus, ſedebat ſolitarius & tacebat & leuabat ſe ſupra ſe. Decem annis quibus ſuperuixit, durus ſui corporis ac rigidus caſtigator exterioris hominis fatigationem in tranquillæ mentis pace traduxit. Incredibile eſt, quàm amplos magnorum meritorum theſauros ijs in annis congeſſerit orando, pſallendo, contemplando, non ſecus quàm auarus quiſpiam aurum ſitiens, opes innummeras & congerit & concupiſcit. Sic vir iſte ſanctus nimium auidus multa bona colligere, nullam die ac nocte ſibi paſſus eſt carnis requiem impertiri. Cumque ſuper hoc ab amicis fratribus leniter corriperetur, reſpondebat dicens; *Dum tempus habemus, bonum operemur*, omne quod poſſumus. Veniet enim & iam propè eſt tempus quando

do nemo quicquam poterit operari. Operemur igitur quia non eſt apud inferos inuenire cibũ. Ego iam de propinquo præſtolor aduentum Domini. Hæc dicens, atque aſsidua mente reuoluens, oblitus quæ retro ſunt, in anteriora ſe extendebat ad brauium ſupernæ vocationis. Hinc etiam fidelibus oculis in remunerationem aſpiciens patientiſsimè corporis duras (quas quotidie patiebatur) moleſtias tolerabat, vt aſcenderet ad populum accinctum noſtrum. Tam crebris carnis quatiebatur anguſtijs, vt merito in ſanctorum Martyrum poſſet numero recenſeri. Erat igitur hic Dei ſanctus ſpeculum virtutis & gratiæ in ſanctimonia, in tolerantia, in humilitate, in frugalitate, & in ardenti ad omnes charitate: Cuius deuotionem, hilaritatem, & diuini in eo ſpiritus feruorem nemo ſatis potuit admirari, minus verò æmulari. Sic latitabat lucerna ardens ſub modio, paucis interea fratribus lucens, donec illum Dominus ſupernis luminaribus & lapidibus ignitis inſeruit. Duos dies ante feſtum Præſentationis virginis matris miti febre correptus, in ipſa ſolennitate inter brachia intactæ Virginis impollutum ſpiritum exhalauit. Ordinem namque inuiolabiliter tenuit annis quin-

Obijt anno Domini 1491. quinquaginta, obijtque anno Domini M, CCCC. XCI. Habuit vero hic Dei ſeruus duos germanos in noſtro Ordine vnum Procuratorem domus Leodij, virum multa virtute conſpicuum, & alterum qui in domo Valencenaro in egregium ſe geſsit Prælatum. De quo patre multa tum commendatione tum imitatione digna etiam narrantur: quoniam vir ſanctus & pius, Dei cultor erat acceptiſsimus. Porrò hæc quæ de illuſtribus domus Capellæ patribus ſcripſi, à venerabili illius domus ſacerdote exarata ſuſcepi: qui teſtatus eſt, ſe nudam ac ſimplicem veritatem commemoraſſe, neq; fictis vſum phaleratiſq; ſententijs, ſed rem omnem vti fuerat geſta enarraſſe.

CAPVT XXXV.

DE STEPHANO SENENSI PRIORE in Seyſt. qui ante Ordinis ingreſſum B. Virg. Catharinæ Senenſ. Amanuenſis extitit.

At nunc paululum ad ſuperiora narrationem reuocanti primus occurrit Venerandus Pater Stephanus Senenſis Prior domus ſancti Ioannis Baptiſtæ in Zeiſt. Qui ante Ordinis ingreſſum miniſtrauit virgini ſacratiſſæ Catharinæ de Senis: quæ hunc iuuenem ob puritatis ſuæ nitidam innocentiam ſibi familiarem effecit:

fecit: quem & ſecretis ſuis, arcaniſque cœleſtibus ſępè intereſſe voluit: quemadmodum IESVM Naue Moyſes ſecum introduxit, quoties ſuperna oracula eſſet præcepturus. Rapiebatur nonnunquam ſanctiſsima Catharina in mentis exceſſum in quo cum ſponſo cœleſti loquebatur, agẽs apud illum miſerorum mortalium cauſas, illo inſtar ſeueri iudicis mundi ſcelera arguente; & hac mortalem caducamque delinquentium fragilitatem obiectãte. Quas inter ſponſum & ſponſam collocutiones Stephanus calamo excipiebat: dignus qui his ſacris ſermonibus intereſſet; & Deum audiret ſua verba ſonantem. Extat horum verborum ſua manu cõſcriptus liber, qui iam vbiq; diffuſus nomen accepit vt *liber doctrinarum Catharinæ Senenſis* vocitetur; grauiſsimis ſaluberrimiſque vndiq; ſententijs illuſtratus. Hic igitur ſcriba virginis Stephanus, cùm tẽpore quodam grauiſsima febre quateretur, nec ſuum poſſet almæ virgini præſtare obſequium; illa compatiens amico febricitanti, zelo magnæ pietatis accenſa, lectulum in quo decumbebat infirmus adijt, & ijs verbis trementem magno frigore eſt allocuta: *Nolo mi Stephane vt amplius his febribus fatigeris. Surge igitur, & ad conſuetum officij tui munus accede.* Hæc vt elocuta eſt, febris ſtatim euanuit;

Exod. 32. & 33.

VIDE NOTAS.

euanuit, iuſſa Virginis expaueſcens; *ille* verò integerrimè ſanus, ad ſuum ſeſe miniſterium recepit. Hæc virgo beatiſsima cum iam ex hoc ſeculo ad ſuperos eſſet migratura, hunc ad ſe Stephanũ vocauit, ſuadens primum, deinde etiam conteſtans, vt poſt ſuum obitum Cartuſienſem Ordinem citus arriperet, humilem in eo Chriſti ſemitam ambulaturus. Poſtea prophetico illuſtrata ſpiritu prædixit hunc magnum in ordine futurum, & animarum lucra non minima acquiſiturum. Itaq; nobili virgine ad ſuperos tranſlata, Stephanus ad Cartuſianam domum diui Ioannis Baptiſtæ in Seiſt commigrauit habitumq; ſuſcepit. Qui tam ſanctè illic tamque piè ac humiliter eſt conuerſatus, vt manifeſtè clareret ſanctiſsimæ Catharinæ mores in illum eſſe transfuſos. Exprimebat namq; probatiſsimis bonarum virtutum exemplis, quod diſcipulus à magnæ eruditionis magiſtra didicerat. Hinc Prior ibidem electus, actiones ſuas omnes dignitatis & ſplendoris plenas inſtituit, copioſamque animarum meſſem horreis cæleſtibus inuexit, quam nulla vetuſtas obliterabit. Scripſit quoque tractatum fide plenum, de vita & moribus diuæ Catharinæ magiſtræ ſuæ, quem Raymundus de vineis adiecto grandi volumine conſummauit.

Con-

Concinnauit autem & alia nonnulla arte & ſtudio celebria, quibus replere apes floribus atque innectere videretur. Tempore ſciſmatis extitit hic Dei ſeruus Generalis Prior in obedientia Vrbani Papæ VI. & ſucceſſorum ſuorum vſq; ad Eccleſiæ & ordinis vnionem. Ea tamen vbiq; vſus eſt modeſtia, temperantia, prudentiaq; qua ante ſemper noſcitur floruiſſe. Prudentia enim Prælato eſt neceſſaria, quæ mater virtutum eſt, morumq́; regina: quæ in actibus obeundis ſemper prævia eſt & præmonſtratrix. Hinc (patre Bonifacio Priore tunc domus Cartuſię poſt finitum ſchiſma ſuum officium Generalatus deponente) hic Stephanus ad Capitulum Cartuſiæ veniens, ſupplex ſuum quoq; depoſuit, ſibi ac ſacræ ſolitudini viuens, præſtolanſq; indies aduentum ſponſi ſui. *VIDE NOTAS.*

CAPVT XXXVI.

EXIMIAE VIRTVTES P. OSVVINI de Becka, Cartuſiæ Gandenſis vti profeſſi, ſic ante Ordinis ingreſſum vtriuſq; iuris Doctoris celeberrimi.

OSVVINVM de Becka profeſſum domus Vallis regalis prope Gandauum, iuſtū non fuerat præteriſſe. Virū nimirū magnarū virtutū & ſacri Ordinis zelatorē: qui ob meritū clariſſimæ vitæ Prior S. *VIDE NOTAS.*

Trini-

Trinitatis in Burgundia eſt deſtinatus. Fuit quippe vtriuſque iuris Doctor periſsimus; clarus vbique ac ſerenus effulgẽs, & (vt de eo Boſtius ſuo nobili eloquio ſcribit) *inter doctores doctior, inter ſapiẽtes ſapientior, inter optimos melior, inter maximos maior. Erat vtiq; præco, interpres, internuncius melliflui eloquij diuini, tuba Euangelij, angelus pacis, amicus ſponſi, lingua muti, pes claudi, ſal terræ, patriæ lumen. Turpe equidem putauit ab inſtituto maiorum deſiſtere, auitæ paternæq; virtutis hæres, nihil habens non magnificum, non ſplendidum, non excelſum.* Hæc Boſtius.

CAPVT XXXVII.

MORES AC CONVERSATIO ANthonij Suriani, ex Monacho Cartuſiano Venetorum Patriarchæ electi, admirandæ pietatis Viri.

FRANCISCVS Philomuſus Piſaurenſis orator Venetorum facundiſsimus, in oratione quam habuit ad Senatum in ingreſſu reuerẽdiſsimi Patriarchæ principis atque Archipræſulis Anthonij Suriani, ex Cartuſienſibus qui Venetijs ſunt per Ducem & Senatores aſſumpti. *Anthonius*, inquit, *Surianus de nobili Suriana domo ſeu familia ortus, qui in ſanctiſsima religionis Cartuſianæ clauſtrum ſeſe abdiderat; illic in illa heremo, in illa ſolitudine, in illa parciſsimi victus veſtitusq; inopia perſeuerans, & ad extremum vitæ diem per-*

VIDE NOTAS.

Verba Franciſci Philomuſi de virtutibus Anthonij Suriani.

perſeuerare cupiens illic latitans & vni Deo inſeruiens contemplationi, ieiunio, deprecationibusque deditus, tam ignorare hac mortalia, quàm ignorari à mortalibus expetebat. Verum exactiſſimam ſereniſſimi Principis ſapientiſſimiq; Senatus diligentiam ipſe Pater Anthonius latitans, latere non potuit. Senatus nempe intelligens in re ardua nihil ambitioni, nihil amicitiæ, nihil neceſſitudini dari oportere, eſſetq; in votis omnium, optimum ac probatiſſimum aliquem ſacerdotem in Patriarcham deligi debere, omnium iudicio atq; ſuffragio SVRIANVS ANTHONIVS *Patriarcha deligitur, & delectus à ſummo Pontifice approbatur.* Dehinc Philomuſum ſua oratione ſic alloquitur Patriarcham. *Norunt optime Præſul, norunt Patriarcha ſanctiſſime ij patres Senatores, non ob propinquitatem, non ob claram ingenuitatem ſanguinis non ob natales ſuos, non ob amicorum tuorum ſuffragia, ſed ob vitæ morumq; ſanctitatem, huic te apici conquiſitum. Delectus igitur ab vniuerſo ſenatu, à Summo Pontifice confirmatus publicis affectibus, publicis vtilitatibus tu ceſſiſti, & huic operi potius quam honori colla ſubmiſiſti, Chriſti tui iugum recuſare noluiſti quod leuiſſimum & ſuauiſſimum eſſe didiceras, illius teſtificatione in cuius ore nunquam inuentum eſt mendacium. Fueras tu quidem multo antea Patriarcha Patrum, & piorum Princeps ſacerdotum, atq; ſacratæ parens vitæ, honeſtate, doctrina, integritate. Multo igitur antequam de-*

ligereris meruiſti poſtea delectus paruiſti, & ad hanc dignitatem obſequendo perueniſti. Maluiſſes tu quidem id eſſe quod fueras, gaudebas illa tua ſolitudine vbi humanitate, modeſtia, benignitate par eſſe omnibus immo vero infimis te æquare geſtiebas. Hoc vno tantum cæteris præſtantior quo humilior, quo ſanctior, quo obſequentior (vt vni Deo placeres) eſſe cupiuiſti. Verum & illud ampliſſimus hic Senatus præuidebat, ardentem religioſi viri lucernam non ſub modio collocandam eſſe, ſed ſuper candelabrum vt luceat omnibus qui in domo Dei ſunt: vt videant non tantum ea quæ vir iuſtus agit, ſed & quæ ſibi ex illius præmonſtratione ſint agenda, cum bonorum ſtudia operum magis exemplis doceantur, quam verbis. Deinde Philomuſus Ducem ac Senatum alloquens, ſubinfert: *Habent igitur tibi primũ ſereniſſime Princeps, vobis deinde omnibus, Patres cõſcripti, immortales gratias, tum vniuerſa ciuitas tum clerici omnes præcipuè, atq; Sacerdotes. Vident enim veſtris ſtudijs atq; ſuffragijs eum ſibi Præſulem datum, quem ſacræ literæ facilius deſcribere quàm præſens mortalium vita proferre poſſit. Vident Patriarcham natura prudentem, moribus temperatum, vita caſtum, victu ſobrium, miſericordem, eruditum, in lege* CHRISTI *inſtructum, fidei, religionis, indiuiduæque* TRINITATIS *ſpiritu plenum. Quæ omnia agunt vt non minus ornamentum ac decus talis Præſul attulerit Pontificio,*

quàm

quàm Pontificium Præſuli contribuerit. Meritò igitur hæc ampliſſima dignitas ei præcipuè viro videtur conuenire, qui cœleſtem in terris vitam agit, qui terrenus quaſi Deus videtur eſſe, quem & Senatus elegit, qualem & populus Venetus concupiſcit. Hic ſuis optimis moribus, hic precioſiſſimis virtutum monilibus & margaritis ornatus, ſedem Pontificij magnificè decorabit. Sub hoc Principe ſacerdotes in Dei lege ambulabunt, euntes de virtute in virtutem, ſub magiſtro virtutum omnium, qui omnes iuſtitiæ & bonitatis numeros iam impleuit. Dehinc iterum conuertit ſermonem ad Præſulem dicens; *O quantò clarius, quantò nunc expreſſius omnia boni Ducis ac ſtrenui munera obiturus es, religioſiſſime Præſul cum te videas in hac altiſſima ſpecula conſtitutum, vnde omnes benè viuendi rationes non clerici tantum ſed & omnis ciuitas, omnis Prouincia, omnis Chriſtiana natio ſit acceptura? Eductus es ex illa ſolitudine in lucem, celebritatemque hominum. Ibi eras vt impenderes quod* DEO *debebatur, hic aſſumptus es, vt impendas quod & Deo & homini debetur. Quamquam quæ in hominum officia conferuntur (cum ſit homo Dei ſimulachrum) Deo impenſa ſciantur. Ibi vni Deo ſolebas inhærere; hic homini & adeſſe oportebit & praeeſſe. Ibi religio fuit & ſanctimonia, hic humanitas & miſericordia inclareſcent. Ibi vixiſti hactenus tibi, hoc eſt, ſaluti animæ tuæ, viue*

nunc ſaluti cæterorum mortalium; ſciens ideo tibi datum à Deo pietatis affectum, vt nihil humanarum rerum à te alienum arbitreris. Debes igitur homo hominem tueri, diligere, fouere, manum porrigere in lubrico laboranti, iacentem erigere & attollere. Vno ſumus omnes cœleſti ſemine oriundi, idem Pater eſt omnibus nobis conditor Deus. Noli vereri quod tu pedes in lubrico ponas pedes inquam virtutum calceamentis indutos: quorum adiumento preſſis & calcatis affectibus, ambules ſuper aſpidem & baſiliſcum, & conculces leonem & draconem. Summam igitur virtutem indelebilem aſſequutus, hanc Prouinciam ſuſcipe intra gremium pietatis tuæ, complectere benigne paſtor oues tuas, quæ tuo ductu hic paſcua ſcripturarum carpere valeant, illic vero in paſcuis æternæ viriditatis inſeri mereantur. Aderit ſummus rerum omnium opifex cuius templū diu ſacratus es, aderit cœptis tuis omnibus fauens, & propitius.

Hactenus Franciſcus Philomuſus, dulcis nimirum philomela, in oratione quā habuit ad Senatum populumq; Venetum, tempore inaugurationis Anthonij Suriani Patriarchæ circa annum circiter Domini milleſimum quingĕteſimum tertium.

CAETERVM præter hos viros quos hîc iam carptim enumerauimus, reperiuntur etiam & alij noſtris hiſce temporibus in Ordine Cartuſienſi Viri virtutum,

qui

qui etſi mundo incogniti, Deo tamen & cogniti ſunt, & accepti. Quorum ego numerum haud facile equidem attigerim. Noui etenim nonnullos & de nomine, & de operatione, qui pertinaci ſtudio ſilentium ſeruant, qui ſibi duri ac rigidi ſunt, qui ſumma execratione vitia deteſtantur, qui pietatis viſceribus affluunt, qui aſsiduis orationibus ac ſtudijs incumbunt, qui oris ſui ſermonem omnem cum timore proferunt, qui otioſaq; colloquia fugiũt, qui in aduerſis rebus patientiam cuſtodiunt, qui exploſo amore ſeculi, diuinis ſolummodò laudibus inuigilant, pauperes mundo, Deo locupletes.

CAPVT XXXVIII.

DE QVIBVSDAM REPROBIS NOſtri Ordinis Monachis, & proprietarijs.

HVcuſque proſpera nauigatione vſi ſumus, nunc venti contrarij, nunc inſurgentes procellæ puppim noſtram in ſcopulos & Syrtes adigunt. De prauis enim ac reprobis noſtri Ordinis fratribus loquituri, oramus te lector, ne propter malos quoſdam de bonis ſcandalum ſumas, & crimine ab vno diſcere omnes velis, ſciens quod in ſchola omnium virtutum ſub magiſterio IESV Chriſti Iudas omnium peſsimus, fur, proditor, ac parricida re-

pertus ſit: de quo gemens Dominus diſci-
Ioan.6.70. pulis loquebatur. *Nonne*, ait, *duodecim vos elegi, & vnus ex vobis Diabolus eſt?* Intellige parabolam Zizaniorum, quomodo pius a-
Matth.13.25. gricola bonum in agro ſuo ſemen iactarat, quod clam inimicus homo cùm vitiaſſet, cum ipſo tritico ſimul & Zizania ſurrexerunt: quæ tamen iuſſa ſunt ante maturam ſegetem non extirpari; poſt verò, dum triticum in horrea reconditur, ipſa Zizania miſta paleis ignibus comburuntur. Intellige etiam ſagenam Eccleſiæ
Matth. 13.47 ex omni genere piſcium congregantem: qui tamen piſces mixti boni cum reprobis, non ante ab inuicem ſeparantur, quàm ad littus iudicij ſagena traducta ſit: vbi à ſanctis Angelis boni piſces in vaſis ſalutiferæ conſeruationis colliguntur, mali autem foras in profundum maris, hoc eſt, amariſsimæ damnationis proijciuntur. Semper namque in omni congregatione bonos cum malis, triticum cum paleis reperies. Per malos nempe
Vide Homil. 38. B. Gregor. in Euang. circa medium. boni dum vexantur & probantur, proficiunt; probati autem & purgati, ac in quadam quaſi tribulationum mola à ſua ſuperbia comminuti, in panis cœleſtis tranſeunt vnitatem, & leues paleæ igni comburuntur inextinguibili. Non ſcandalizent igitur te fratres reprobi, ſed infor-

forment, & Deo ſubdere cum timore, fu- *Num. 16. 26.*
giens ad clamorem pereuntium, fugiens à
tabernaculis hominum impiorum, & ſal-
uare (vt hortatur Apoſtolus) à generatione *Actor. 2. 40.*
iſta praua & peccatrice.

CAPVT XXXIX.

PROPRIETARIVS QVIDAM PEcunias ſibi coaceruans, ac reſipiſcere nolens ſe ipſum tandem laqueo ſtrangulauit.

MONACHVS quidam noſtri Ordinis cum philargyriæ, hoc eſt, auaritiæ vitio laboraret, huic ſe peſti proprietatis ſociauit. Ardens enim ad nummos, arte qua potuit, plurimos iuxta ſe clàm coarceruauit; pro ijs congerendis, DEVM omnipotentem aſpernatus, nullum facinus intentatum reliquit. *Quid non mortalia pectora cogis, auri ſacra fames?* *Virgil. 1. Aeneid.* Et quia auaro Monacho nihil eſt ſceleſtius, *Eccl. 10. 9.* quippe qui pro vili lucro animam ſuam venalem habent, deſerto DEO conditore, ſuo, pecuniam veluti ſordens idolatra, DEVM ſibi conſtituis, cui votis omnibus deſeruiuit. Verum iuſtó tandem DEI iudicio in reprobum traductus ſenſum, cùm ſui immaniſſimi ſceleris pondus ipſe ferre non poſſet, nec tamen per pœnitentiam deſe-

deſerere vellet, inſtar ſceleſtiſsimi Iudæ manus in propriam aptauit ceruicem, & accepto lintheo, cùm ſolus in cella degeret, guttur ſibi conſtrinxit, ſeſeque ſuffocans, infœlicem animam in tartara deſtinauit. Qui poſtea à Priore & fratribus tam niger quàm carbo inuentus eſt. Cuius ſupellectilem ſcrutati, nummos congeſtos inueniunt: quos ſuper ipſum in ſterquilinio ſepulturæ traditum proiecerunt, clamantes; *pecunia tua tecum ſit in perditionem.*

VIDE NOTAS.

CAPVT XL.

ALIVS QVIDAM EODEM CONtaminatus ſcelere, & nequaquam ritè confitens, à maligno ſpiritu malè hinc eripitur.

LEgi præterea quendam infelicem in quinq; nummis æreis proprietatis vitium pertinaciter coluiſſe. Hic ad extrema deductus, poſt factam neſcio quam cõfeſsionẽ in qua nihil de his nummis Priori dixerat, auſus eſt ſceleſtus homo, non impune tamen, ſanctam Euchariſtiam flagitare. Allata eſt & ori eius impoſita. Quam cum traijcere non poſſet, integra ab ore retracta eſt. Qua educta, repentè diabolus eum corripiens, miſerumque exagitans, ac crebro blaſphemare compellens, cum ingenti tormento animam à corpore violenter excuſsit; quam & ſecum haud dubiũ ad tartara pertraxit. O te omniũ perditiſ-

Simile quid legitur in vita D. Bernardi lib. cap.

ditiſsime miſerorum, qui ob quinos æneæ monetæ obolos æternis te voluiſti ſupplicijs mancipare. De quibus etiam ſi voluiſſes, nullum vtilitatis fructum capere potuiſſes. Non ergo in te Deus iuſtus iudex penſauit poſſeſſam pecuniam, quæ nulla fuit, ſed mentem in te damnauit auaram, quæ in tam vili retenta ſarcinula infecta computruit.

CAPVT XLI.

LAICVS QVIDAM EX ILLORVM genere, quos Conuerſos vocamus, in vitio proprietatis peruersè moriens, exhumatur, atque in ſterquilinium proijcitur.

Eſt domus in hac noſtra Prouincia (ſileo locum ne verecundiam illi faciam) in qua cõuerſus quidam cùm rerum domus ſuę adminiſtratione potiretur, clam nummos furabatur, aliorſum etiam negotiando pecunias apud ſe plurimas congerebat. Hic impœnitens infeliciter defunctus eſt. Prior poſt mortẽ qui res cellæ eius diſcutiens, aurum reperit, & argentum copioſum. Vnde conuocans Conuentum, cùm fratris immo & furis vitium detexiſſet, concluſum eſt, vt de loco ſacro corpus ſacrilegum extraheretur. Aperto verò ſepulchro, foſſam ipſam dilatauerunt, & tabulam cui reſolutum cadauer imponerẽt, lateri eius applicuerũt. Mira res, & hacte-

nus inaudita. Cunctis cernentibus corpus ipſum ſua ſponte, nullo ferēte ſubſidium, altius ſe extulit, & ſeſe ſuper tabulam collocauit. Tanquam diceret, Non ſum dignus ego ſacrilegus loco in ſacrato reponi, & cum verè pauperibus iacere, qui vitio auaritię ſacrilegè fui cōtaminatus. E fouea igitur extractus eſt, & aſini ſepultura in ꝓphano loco donatus. Merito exempla hæc poterunt proprietarios deterrere, quos ſimile exitium manet, niſi abiecto anathemate ad pœnitentiā confugerint ſalutarē.

CAPVT. XLII.

QVAM HORRENDA DIVINAE vltionis vindicta deſæuierit in Monachum quendam inſtabilem, impoſtorem, ac varijs ſeſe ſacrilegijs contaminantem.

REM memoraturi terribilem, precamur lectorem vt ſapienter aduertat animum formidantem. Nuper hoc noſtro tempore vnus ex his quos fratres S. Hieronymi nuncupamus, quales ſunt qui Zvvollis, Dauentriæ, alijſque pluribus in locis pueros literis imbuunt, ad noſtrum ordinem (neſcio quo ſpiritu animum appulit, & ſumpto habitu, quantum foris apparuit: monachum ſe geſsit. Erat verò hic, Matthias nomine, homo ſimulator, ſubdolus, verſipellis, & qui inſtar immundæ ſuis, obſcœnis operibus lætabatur.

tur. Crebro nempe apoſtatans, muliercu-
las quaſdam ſibi dudùm in ſeculo notas,
pergebat inuiſere. A quibus nummos &
numera capiebat. Erat igitur proprieta-
tis infectus vitio; qui tamen artes omnes
ſuas ita obtegere norat, vt & ſanctus & in-
teger videretur. Fraude quoque multa li-
teras conficiebat, quas à patre noſtro Ge-
nerali ſibi aſſerebat tranſmiſſas eſſe, qua-
rum auxilio nunc in hanc, nunc in illam
noſtri Ordinis domum habitatum conce-
debat. Qua impoſtura diu varijs in locis vi-
ſus, tandem etiam ad nos infœlix deuenit.
Cuius conuerſationem (licet cauta hypo-
criſi tegere conaretur) vix tandem ſenio-
res noſtri depræhendunt, reprobum ho-
minem cum fictis literis ſuis expellentes.
Vnde aliquanto tempore per mundum
curſitans, nondum duriſsima ſcelerum
ſuorum nequitia ſatiatus, licet plus quàm
ſexagenarius eſſet; Tandem ad Rothoma-
genſem, profeſsionis ſuæ domum, cum e-
gere inciperet, ſe recepit; nihil minus
quàm de pœnitentia cogitans. Receptus
eſt enim (ita dolum inſtituerat ſuum) non
quaſi fugitiuus, ſed quaſi eſſet per literas
REVERENDI PATRIS GENERA-
LIS eò miſſus. Quas tamen (vt ante
dixi) ipſe ſua fraude condiderat. At nunc
audi patientis hactenus Iudicis ſæuiſsi-
mam

Eccleſ. 5. 4. mam vltionem,& intellige quod *Altiſſimus eſt patiens redditor.* Cantauerat reprobus iſte ſanus & incolumis veſperas in choro cum ſanctis fratribus. Deinde ad cellam reuerſus, (vti moris eſt) lecto cõpletorio dormitum conceſsit. Et ecce circa horam noctis decimam', fratribus quieſcentibus, cella Matthiæ tetris dæmonibus vndique completur. Quos vt vidit, totus inhorruit, & leuata voce terribiliter exclamauit, Exclamant quoque dæmones ex aduerſo, horrendas voces ac fremitus cientes. Excitantur fratres qui iuxta morabantur, & auſcultantes, leonum, vrſorum, taurorum, luporumq́ue voces ac rugitus, audiunt ipſum quoq; Matthiam inter has dæmonum cateruas miſerè exclamantem. *Num. 16. 26.* Vnde nimio terrore conſternati diffugiunt à tabernaculo Abiron pereũtis, & ad tartara feſtinantis. Verum vbi à ſtrepitu & clamoribus ceſſatum eſt, vnanimiter cum Priore fratres cellam eius ingreſsi ſunt, non ſine ingenti pauore cordis. Et diligenter intus & horto ſcrutantes miſerum, non inueniunt: ſed vident vndiq; diuerſarum veſtigia ferarum: quarum ante vlulatus audierant. Ipſo igitur non inuento, omnes ſine hæſitatione decernũt eum à dæmonibus, quibus deſeruierat, raptum, & viuum ad inferna aſportatum. Hæc

ſunt

ſunt reuera ſtipendia hominis Monachi fugitiui,ficti,incœſtuoſi,apoſtatæ,& vilis proprietarij. Vnde collige iam hinc mi frater, timorem Dei, & pereuntis exemplum in antidotum, tuæ conuerte ſalutis.

Capvt XLIII.

Frater qvidam Tertio ab Ordine fugiens,poſt ſedulam inquiſitionem nuſquam terrarum repertus,funeſto exitu vitam finiſſe putatur.

Circa idem tempus in quadam domorum noſtrarum teutonicæ Prouinciæ fuit frater quidam Loſſenſi Comitatu oriundus, ſacerdos noſtri Ordinis, qui & Sacriſtæ officium ſatis fideliter aliquoties exercuerat.Hic reiecto Dei timore in crimē quoddam ac deteſtabile incidit, quod conſcientia remordente cùm ferre non poſſet, & carcerem magnopere pertimeſceret,fuga ſibi conſulens, turpiter apoſtatauit,fugit quidē Ordinem ſanctum,ſed rodentem conſcientiam fugere nullatenus potuit. Hic à quodam viro illuſtri cognitus,ad ſuam domum reductus, iterū iterūque apoſtatauit,ſed nō impune. Nam cùm tertiam fugam attentaſſet,miſsis poſt eum vndique nuntijs, nuſquam potuit inueniri,nec poſt vnquam auditum vel compertum eſt, quò vel deuenerit, vel quid ſecum actum ſit. Omnes namque credunt

eum

eum aquis immerſum, interijſſe; vel à latronibus iugulatum, vel ſibiipſi noxias
Pſal. 33.22. inieciſſe manus. *Mors enim peccatorum peſſima.*

CAPVT XLIV.

ALIVS QVIDAM DORDRACENVS aliquoties quoq; fugam adornans, & luxurioſè viuens, ſine vlla tandem cordis contritione peßimè obijt.

NON longè ab hoc tempore fuit in hac ipſa noſtra prouincia Monachus Hollandus, Dordraco oriundus. Qui cum videretur induſtrius eſſe, ad officium procuratoris eſt aſſumptus. Nactus verò occaſionem delinquendi, ſtatim ſuam prodidit iniquitatem. Habebat namque adhuc matrem viuẽtem, à qua tenerrimè diligebatur: quæque clàm illi poſcenti carnes offerebat edendas. Qui tali cibo vetito corruptus, cepit & poſt fœminas inhiare. Amabat enim mulierem viro ſociatam. Vnde conuentus percipiens perditam eius conuerſationem (nequeunt enim diu mala latere) ab officio abſolutus, ad cellam eſt reductus. Quod ægerrimè ferens, ſe mortificationi dare condemnens, per murum elapſus, aufugit; & acceptis à matre nummis aliorſum longè ſe tranſtulit. Qui tandem monaſtico reiecto habitu,

bitu', à quadam Abbatiſſa nigri Ordinis nigrum habitum aſſumpſit, nigræ ſuæ cõſcientiæ teſtimonium. Dehinc quaſi iam tutus, cœpit palam per ſeculum euagari. Vnde à noſtris captus, carceriq́; traditus, denuò noſtrum habitum induit. Quem, quia obcæcati & maligni erat animi, in fruſta diſcidit, & quantum potuit in nigram tunicam commutauit. Verum cum tandem ſpe emendationis eſſet eductus, iterum nigro indutus habitu aufugit. Sed captus eſt iterum, & incluſus, attamẽ quia *nemo valet corrigere, quẽ Deus deſpexerit*, cùm ſæpè apoſtataret, & crebrò clauderetur, nunquam animum ab amentia reuocauit; ſemper ſe nigri Ordinis Monachum conteſtans, licet nec illum nec noſtrum Ordinem obſeruaret. In qua duritia vſque ad decrepitam quoque permanſit ætatem. Nam cum curuus incederet, & vix ambulare poſſet, fugit tamen; peruerſæ mentis affectum oſtendens. Sed tunc quoque reductus, & interrogatus cur fugam inijſſet, qui fugere nequiret, reſpondit: *Feci quantum potui, non quantum volui. Volebam maiora, ſed non potui.* In hac mentis duritia, impœnitens perſeuerans, manifeſtum in ſemetipſo diuinæ vltionis prodidit indicium. Nam de commiſsis flagitijs ac ſceleribus nunquam com-

Cor durum malè habebit in nouiſſimo.

conpungi, extremæ damnationis manifeſtam coarguit animaduerſionem. Vbi enim nulla eſt correctio, ibi manifeſta Dei eſt vltio. Quia, vt ait Leo Papa, *peccator quiſq; in ſua conſcientia patitur, quicquid Dei bonitate differtur.* Cæterum poſt nouiſsimam fugam cum eſſet carceri mancipatus, licet eum grauis infirmitas perurgeret, compungi ac pœnitere tamē noluit; ſed infelici morte ereptus, deſcendit in perſundum inferni, obduratus quaſi lapis, ſecundum duritiam & inpœnitens cor theſaurizans ſibi iram in die iræ iuſti iudicij Dei.

CAP. XLV.

DVO OFFICIALES EXTERNIS IMmerſi officijs, eaq; improbè adminiſtrantes, in curru vna profecti, fulmine percuſſi, exanimantur, maleq; intereunt.

NON longe à noſtris temporibus contigit duos in noſtro Ordine officiales (quorum ſceleratam nequitiam ideo tacemus quod ex vindicta facilè poſsit agnoſci) terribili ac repentina animaduerſione conſumi. Eodem namq; in curru cum reſiderent, & ad negotia (neſcio quæ) pergerent, ſubitò à cœlo cum tonitru coruſcans fulgur emicuit, & vtrumq; terribili ambuſtione exanimauit. Quos auriga extinctos, & cœli ira combuſtos ad domum Ordinis reuexit, in teſtimonium iuſti iudicij

dicij Dei. Fratres quorum vitam reliqui fratres ſcientes, poſt lamenta & lachrymas *lauabant manus ſuas in ſanguine peccatorum.* *Pſal.17.18.*

CAPVT XLVI.

DVO AMBITIOSI FRATRES MALITIOSÈ inter ſe contra Priorem conſpirantes, cùm voto eſſent potiti ſuo, infœlici exitu diem clauſere extremum.

RElatu didici, fuiſſe duos in noſtro Ordine Monachos ſacerdotes, quos ardẽs torquebat ambitio, & infelici igne vrebat. Hęc eſt enim illa ſæuiſsima peſtis, quæ monachum in Diabolum vertit, verſumq; de cœlo religionis, in abyſſum rotat æternæ perditionis. Hi duo ambitioſi fœdera iungũt, additis ſibi nõnullis ex fratribus quorum ope & conſpiratione Prior ab officio deponatur. Erat aũt inter eos hos duos iam facta partitio, vt vnus Prior, alter verò fieret procurator. Quibus ita pactis, Prior licet vir bonus, & domui admodum vtilis, quia tamen his ſatrapis nõ placebat, per varias accuſationes (cum & graue ſenium cauſarentur) ab officio eſt reiectus. Paſſuſq; eſt Deus, occulto & amaro iudicio, hos duos in officijs inſtitui, tribuens eis petitiones eorum. Sed non impunè. Nam is qui infelici pacto factus eſt Procurator, ante anni exitum miſera morte pręuentus, occubuit. Porro qui Prioris ſortitus erat officium,

cum per reprobos mores raptaretur, vinóque ſeſe ſæpius ingurgitaret, ac voracitatẽ ſectaretur, poſt tres annos ſummo cum dedecore eſt ab officio remotus. Quod ſicut indignus aſcendit, ita & malignè depoſuit, vnde & paulo poſt cum ob ſuam abſolutionem nimium cõtriſtaretur, (nõ enim potuit homo ſuperbus ſuam perferre deiectionem) incidit in hydropiſin & lethalibus aquis præfocatus, diem cito clauſit extremum. At verò Prior ille, quem ob nimiam ſenectutem volebant abſolui, longo poſt vixit tempore, in ſpiritu alacritatis & feruoris, Deo ſeruiens die ac nocte. Atq; hinc iam palàm cernimus, quo pacto ſanctus Pater familias Chriſtus de agro Cartuſiano paſsim zizania euellens extirpet, vt mundatum triticum componat in horreis.

CAPVT. XLVII.

DONATVS QVIDAM AB ORDINE fugiẽs, & mulierculam ſibi ſacrilegè adſciſſens, inuiſibili correptus morbo, infœliciter expirat.

NOſtro tempore, & in noſtra domo cõtigit quod ſubijcio. Donatus quidam cũ propter exceſſus ſuos, qui multi & graues erant, deberet à Priore (qui ſuus erat & patruus) in capitulo reprehendi, ille ſtatim vt ſenſit aliquantam verborum aſperitatẽ, cum magno impetu extra capitulum erupit,

pit, & anterioris Eccleſiæ cancellus irreuerenter tranſiliens (omnibus qui in vnum congregati erãt fratribus vehementer conſternatis) à monaſterio fugit, & irridẽs nos, ſtatim accepta muliere quam clam ante dilexerat, infelici ſe matrimonio ſociauit. Sed non eſt Deus etiam hoc malum, & quas ante apud nos rapinas exercuerat inultas atq; impunitas paſſus abire. Nam vno dierum cum ab itinere feſſus domum rediſſet, repentino eſt morbo correptus, & plaga percuſſus inuiſibili: qua ſenſim augmentum capiente, ſine penitudine, ſine confeſſione amariſsima illicò eſt morte peremptus. Ecce quomodo ſtipẽdiũ peccati mors. *Rom. 6. 23.*

CAPVT XLVIII.

PRIOR QVIDAM CRVCIFERORVM, Monachis ſuis ſuppeditans occaſionem ſtatuta Ordinis infringendi, pecuniaſq; poſſidendi, terræ hiatu cum ſuis horrendum in modum abſorbetur.

VErum quandoquidem ſuperius de vitio proprietatis nonnulla exempla in medium protuli, duo adhuc ſubijciam, quę haud dubio auari poterunt Monachi animum permouere. Quæ ideo ad calcem huius operis ſubijcio quod perſonæ hæ de quibus agitur, ad noſtrum Ordinem non pertineant. Quidam namq; Venerabilis & eruditus Pater Prior Ordinis Cruciferorũ

venit nos quondā inuiſere: qui nobis quod nuper in ſuo Ordine terribile contigit, enarrauit. Sublimis quippe & præpotens Doctor quidam, qui ob ſingularem ſcientiæ induſtriam vnus erat Pariſijs ex dominis Paralamenti, hic corde cōpunctus, omnia reliquit, ac Cruciferorū Ordinē eſt ingreſſus. In quo religiosè viuēs aňis aliquot, tandē ad Prioris eſt officiū ſublimatus. Sed
Pſal. 65. 5. ô *terribilis Deus in conſilijs ſuper filios hominem.* Homo iſte euectus ad regimē animarū, vnde humilior eſſe debuit, elatior effect⁹ eſt; & ea cornua quæ in ſeculo depoſuit, in prælatione reſumpſit. Vnde traditus in reprobū ſenſum, ſacra Ordinis inſtituta mutauit, & optimas veræ religionis ſanctiones, citò perfregit, ad laxam ac reprobam vitā fratres ſuos traducens. Ante omnia verò eos ad peculium, ad proprium poſsidendum anſam præbuit, perdocuit, atq; hoc pacto tanquam ex quodam malorum omnium germine innumera vitia introduxit. Porro fratres poſsedentes iam peculium, cōmeſſationibus ſtatim vacare cœpere, iurgijſq; ac ſcortationibus operam dare. Cumq; an-
VIDE NOTAS. nuum Generale Capitulum apud Huyum celebraretur, contigit hunc reprobum Priorem, immò Ordinis ſubuerſorem adeſſe. Qui tamen ita ſe ficta componebat hypocriſi, vt nihil poſſet ex eius morib⁹ deprahendi.

hendi. Sed qui latebat obtutibus humanis, diuinis latere oculis haud quaquã potuit. Inter celebrandum vero hoc ipſum Capitulum, contigit quendam religioſum vita functum ad ſuperos emigrare. Qui ſequenti nocte apparens vni confratrum ſuorum, viro nimirum venerabili, dixit ad eum. *Vade & dic Priori illi Franco, vt ſe ſuosq; reformet, pœnitentiam in communi agat, conuulſa à ſe ſtatuta Ordinis reſtituat, Monachorum auaritiam compeſcat, libidinem frænet, & ad vera virtutis tramitem ſeq; ſuosq; reducat. Quod niſi fecerit, peßima cum ſuis omnibus morte peribit, ſempiternasq; in tartarum pœnas dabit.* Porrò dicta ſunt hæc omnia per Ordinem Priori reprobo, qui vehenter ad horã pauefactus, hortatur ſuos ad Ordinis diſciplinã licet parũ ipſe proficeret. Aſſueti enim rũpere iugum, & vincula ſoluere, viam duriſsimã relinquere nequiuerũt. Hinc iam facta eſt ſuper eos grauiſsima manus Domini. Venit enim ſubito ſuper eos ira Dei, adeo vt terra dehiſcente, deſcenderent omnes viui in infernum, operti humo, ſicq; ſcelerum ſuorum vltionem capientes.

CAPVT XLIX.

DOMINICANVS QVIDAM PRAEDIcando, confeßionesq; excipiendo plurimas acquires pecunias, easq; superiori ſuo reſignare recuſans, infœliciſſimè moritur.

ALius neſcio quis, Ordinis beati Dominici, vt mihi religioſus & vir timoratus nuper narrauit, cùm ex prædicationis officio & cõfeſſionis pecunias plurimas apud ſe condidiſſet (érat enim ex his qui per pulchras benedictiones ſciunt burſas hominum euacuare) tã ſtuduit eas auarè retinere, quàm ante didicerat cupidùs aggregare. Vnde in articulo mortis cõſtitutus, cernens Prior ſuus quod mori inciperet, hortatur eum, ſciens quod numinos haberet, pœnitentiã agere, & malè aggeſtas pecunias ſibi, vt ſuo patri conſignare. Cumq; difficilem ſe redderet, ſtabat Prior æternum illi comminatus interitum, ſi cũ ſua putenti rapina proprietarius moriatur. Vnde motus, digitum protendit, & locum in quo nummi repoſiti latitabãt, deſignauit. Sed vbi vidit prælatum moliri vt pecuniam tollat, tactus amariſsimo cordis dolore, voce qua potuit & ſignis clamabat, dicẽs: *Sine, ſine iacere pecuniam. Nam pro his congerendis animam ego infelix & corpus perdidi atq; conſumpſi.* Hæc vbi dixit, animam auaritia tabefactam, in manus expuit tartarei deceptoris.

CAPVT L.

TERRIBILE QVODDAM EXEMPLVM cuiuſdam Conuerſi, qui in Cartuſia Mantuana poſt obitum pecunias poſſediſſe deprehenſus, in ſterquilinium eſt proiectus; cuius tamen cadauer, reperiri poſtea non potuit. Adijcimus aũt hoc Coronidis loco ſicuti propria V. Patris Surij exaratum manu, inuenimus. An. Domini 1550. Cartuſianis, &c.

Anno.

ANno domini 1550. Cartuſianus quidam, nomine Henricus Leodienſ. profeſſus domus Coloniæ, tum verò hoſpes domus Mantuæ in Italia ſcripſit V. patri Gerardo ab Hamont id temporis Priori Cartuſiæ Colonienſi in hæc verba. Fuit memoria Prioris noſtri hic ſcilicet mantuæ frater quidam Conuerſus hoſpes noſter, profeſſus autem domus Ferrariæ, qui ſuſpectus fuit habitus de vitio proprietatis tam in iſta noſtra domo, quàm in domo Ferrariæ. Vbi ipſo tandem mortuo, inuenta eſt in lectulo eius ſumma quędam pecuniarum, & ſubito viſus eſt illic canis quidam magnus niger aſtare. Portò vehementer territi fratres, conſuluerunt, vt cadauer veſperi occultè extra cemiterium ſepeliretur. Cumq; eo deferretur ſacco incluſum, per quendam fratrem inſigniter audacem & fortem, canis teter eum inſequens, cadauer illo reluctante auferre nitebatur dicēte, quod ſi nihil aliud boni egiſſet, niſi quod habitum Ordinis geſtaſſet ſepeliri tamen debere. Frater ergo canì nigro præualens, tandē illum ſepeliuit. Manè aũt facto, quæſitũ eſt ac nihil penitus de cadauere proprietarij reperrũ. Addit ēt ad calcē epiſtolæ ſuæ quod officiũ diuinũ in Italiá celeberrimè perſoluatur, quodque Priores in ipſo primi ſint & vltimi conuiuijs ſecularĩũ, immo & religioſorũ rariſſime interſint, ſed quantum poſſint ſeſe exhibeant præſentes Conuentui. Porro Nouitij ibidem magna cura ſuſcipiuntur, maiori probantur, maxima vero erudiũtur. Et quemadmodum agnus matrem ſequitur, ita nouitius lateri inſtitutoris, niſi eundo ad templũ & redeundo, in locis publicis adhæret, eiq; in ſancta ſimplicitate omnibuſq; licitis & poſſibilibus obedit. Det ergo nobis Dominus ipſum & ſanctos eius per viam obediētiæ ac paupertatis imitari, & proprietariorum pœnas euadere, Amen.

BENE-

BENEVOLO LECTORI SALVtem plurimam.

SEquebatur iam hic, beneuole Lector, noſtro in exemplari liber DORLANDI *octauus. Qui, cùm totus hinc inde particulatim excerptus ſit ex* ARNOLDI *Boſtij Carmelitani, quem de viris noſtri Ordinis illuſtribus conſcripſit Tractatu, noſq; hunc eundem ad proximas (Deo bene volente, operasq; accelerante) Nundinas ex integro vobis exhibituri ſimus (ſunt namq; anni, quantum equidem ſcire licet, plus minus octaginta, quod* BOSTIVS *peruetuſto impreſſus charactere, vix interim renouata in lucē pelle aliorū ſeſe obtutubus obiecerit, cùm tamen circa annū Domini quadringenteſimum ſupra milleſimū Gandaui floruiſſe conſtet) hinc huiuſcemodi laſcinias miſſas facientes, id à* TE *deprecamur vnicè, vt hiſce pijs noſtris conatibus benè precatus, etiam gratitudinis vices Typographo D. Petro Cholino rependas. Qui poſt obitum humaniſsimi viri, ac benè de Republica literaria meriti Goſwini Cholini, parentis ſui amantiſsimi (cuius manibus ſuperi vt benè faxint, etiamnum oramus) libens volensq; hæc ſuo ſubiecit prælo, quò gratificari poſſet omnibus. Vſus nimirum manu ſcripto exemplari non vetuſto duntaxat, verum etiam parum legibili, plurimiſq; abbreuiationibus mirum in modum intricato, implexoq́ue. Adeo vt ſi operariorum (qui plerunq; talium ſunt rerum imperiti) incuria inſcitiaq; nonnulla hinc inde menda ſubrepſerint, id magnoperè mirum videri haud quaquam debeat: licet ea iſtius generis eſſe arbitremur, vt ab induſtrio* LECTORE *ſine magno ſenſus diſpendio facillimè animaduerti queāt. Nam ſtilum quod attinet, is in tanta latinitatis barbarie (vita namq; ante annos cētum functus eſt auctor) etſi pro acquiſito comptoq; haberi non poſsit; ita tamen ſibi conſtat, vt pro iſtius ratione æui, Cartuſianæq; profeſſione candore tolerari haud immeritò queat. Sic vale ac fruere Lector humaniſsime. Ex Cartuſia Colonienſi.*

F. Theodorus Petræus,
Campenſis.

NOTAE SEV ELVCIDATIONES BREVES IN HOS SEPTEM PETRI DORLANDI CHRONICI CARTVSIENSIS LIBROS.

AVCTORE F. THEODORO PETRAEO, CAMPENSI,
Cartuſiæ Colonienſis alumno.

Eccleſiaſtici 44. 1.

LAVDEMVS VIROS GLORIOSOS, & Parentes noſtros in generatione ſua.

COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud Petrum Cholinum.
Anno M. DCVIII.
Permiſſu Superiorum.

VENERABILIBVS AC DILECTISSIMIS, OBſERVANDISSIMISQVE IN CHRISTO PATRIBVS, VISITATORIBVS ac PRIORIBVS *ſacri* CARTVSIENSIS *Ordinis, pietate iuxta ac eruditione præſtantibus S. P. D.*

CVm in eo res eſſet, Venerabiles in Chriſto Patres, vt præſens hoc DORLANDI Chronicon (coronam ipſe nuncupat) de Superiorum noſtrorum conſilio, plurimorumq; aliorum doctiſsimorum Virorum hortatu, breuium quarundam NOTARVM adiectione à nobis illuſtratum, in lucem proferri, ac pro recepta ſeculi huius non illaudata hactenus conſuetudine, honoris amoriſque ergo dedicari cuipiam oporteret, Vos mihi in primis occurriſtis; quos ad hanc rem non ſolùm Iudices Cenſoreſque, ſed & Mæcenates auxiliatoreſque deligerem.

De veſtra etenim vindemia hæc quam paramus procedit racematio, & ex Veſtra acie miles hic quem ſua inſtructum panoplia in campum producimus, emicat. Fuit namque PETRVS hic DORLANDVS veſtræ in primis profeſsionis conditio-

niſque membrum, celeberrimæque olim Dieſtéſis Cartuſiæ PRIOR integerrimus. Qui nolens ſine fructu concreditam ſibi temporis vſuram deperire, talentumque à Supremo illo Patrefamilias traditum, in terrâ defodere, hanc de illuſtribus CARTVSIANÆ familiæ PATRIBVS coronâ, veluti odoriferũ quoddam ſelectiſsimorum florum ſertum ſtudioſè contexuit.

Non quidem eo, ni fallor, animo, vt noſtris duntaxat in Bibliothecis, cellarumque angulis pius hic fœtus ſine vlla ſuauitatis fragrantia deliteſceret, ſed vt eſſet quaſi bonus CHRISTI odor in omni loco. Non enim nobis ſolùm nati ſumus, inquit ille, verum ita rerum noſtrarum actiones à Chriſto ſaluatore inſtituere præcipimur, vt luceat lux noſtra coram hominibus, quatenus alij bona noſtra conſpicientes opera, glorificent Patrem qui in cælis eſt.

Matth.5. ver. 16.

Eſt quippe hoc humanis inſitum pectoribus, vt nos qui luteas haſce incolimus domos, atque altis vitiorum tenebris ſæpè immergimur, quoties eximia maximarũ virtutum exempla in illuſtri poſita loco cóſpicimus, toties animis vehementer inflammati, ad illorum inſiſtendum veſtigijs, ſummo conatu feramur. a Liquet hoc namque inſigni duorum illorum aulicorum

a August. lib. 8. Confeſſ. ca. 6.

rum militum exemplo, qui Imperatore apud Treuiros agente, cùm pomeridiano quodam tempore foras deambulatum cōceſsiſſent, iamq́; caſu in ſolitarij cuiuſdam caſam incidentes, Magni illic ANTHONII vitam literis cōſignatam reperiſſent, rerum ilico mundanarum tædio ita ſunt affecti, vt ſuis renunciantes ſponſis, aulaq́; terreni Imperatoris relicta, monaſticæ ſeſe addicere profeſsioni, cæleſtisq́; Imperatoris famulatui, cui ſeruire regnare eſt, inaugurari cœperint; ſponſas ſuas ad idem ſeruitij genus itidem prouocantes.

Quemadmodum enim anſa trahit anſam, ſic præcedentia piorum hominum exempla magnas benè agendi occaſiones ſæpe numero ſubminiſtrant. Hinc quippe eſt, quod præſtantiſsimus ille Catholicæ Doctor Eccleſiæ *b* AVGVSTINVS de ſe ipſo magna cum animi voluptate cōmemorat, quod priuſquam ad Chriſtianæ vitæ cōſectandam ſanctimoniam plenè perfecteque inſtructus foret, Simplicianum virum ſanctum de Victorini Rhetoris cōuerſione præclara referētem, mirè ad imitandum exarſerit. *c Sicuti enim* (verba ſunt Magni illius BASILII ad Gregorium Theologum) *pictores, cùm imaginem ex imagine pingunt, exemplar identidem reſpectantes, lineamenta eius transferre ingēti ſtudio ad ſuum*

b *Lib. 8. Confeſſ. cap. 2.*

c *Epiſt. 1.*

opificium conantur: ita qui ſeſe meditatur omnibus numeris virtutis abſolutum reddere, veluti ſimulachra quædam ſpirantia & actuoſa, SANCTORVM *Vitas reſpicere oportet, probaq́; eorum opera, ſua imitando efficere.*

QVOD cùm ita ſe habeat, mirum profectò eſt, PATRES admodum ſuſpiciendi, neminē ad præſens vſq; tempus (elapſi namque ſunt anni plus centum, quando noſter hic DORLANDVS in viuis eſſe deſijt) repertum, qui hanc Virorum noſtri Ordinis illuſtriū CORONAM, in lucem proferens, venalem paſsim omnibus exponeret. Cùm tamen plurima lectu non ſolùm digna iucundaque contineat, ſed & AVCTOR ipſe omni pietatis eruditioniſq́ue genere, ſuo cum primis æuo conſpicuus fuerit.

VERVM enimuerò, videtur hic eſſe proprius ſacri CARTVSIENSIS Ordinis genius, vt ſicuti ſilentio ac ſolitudini præcipuam nauat operam, ſic malit intra priuatos cellæ parietes benè præclareque vitam inſtituier, quàm externis virtutum extolli præconijs. Illud namque eſt, quod non ſolùm admirādæ pietatis ac induſtriæ P. Theodorus à Loer in vita DYONISII RIKELII cum dolore conqueritur, ſed quod & DORLANDO noſtro magnā nō immeritò admirationem excitat: quaſi

noſtrum

noſtrum hoc ſummæ taciturnitatis ſtudium, ob perſonarum, minus ſanctè CARTVSIANO in Ordine degentium, inopiam cõtingat; ſimuſque hac in parte cæteris Monaſticæ vitæ cultoribus longè inferiores. d *Habent enim*, inquit, *Ciſtercienſes, habent Cluniacenſes, habent & D. Dominici & Franciſci Ordines magna vitæ ſanctimonia conſpicuos, magnorumq́; operum patratores. Sed nos (vt pia cum fiducia loquar) hac in parte pauperiores non ſumus. Nam ſi de internis Sanctorum virtutibus aliquid inquiris, inuenies hic qui ſublimi humilitate, qui ardentiſſima charitate, qui & patientia, paupertateq́; altiſſima ſplenduerunt. Nec puto vllos facilè Viros in alijs Ordinibus inueniri, qui hos* NOSTROS *virtutibus gratijsq́; ſuperent.* d *In Præfat.*

EAM ob rem ſicuti non poſſum, quin magnoperè commẽdem optimos ac pientiſsimos prꝗſtantiſsimorũ Societatis IESV Patrum conatus, qui res ſua in Societate à præcipuis aliquot eximiæ ſanctitatis Viris præclarè geſtas, ad Dei ſolius laudem, proximorumq́; ſalutem, exquiſito orationis genere literarum monumentis ad omnem poſteritatis memoriã conſignãt, ſic vehementi mihi ſæpe admirationi eſt, nos in tam excellenti pietatis, ac lucrandarum animarum ſtudio longè eſſe tardiores, negligentioresque.

Si enim ſuos ipſi in medium proferunt Loiolas,Borgias,Gonzagas,Xauerios,Salmerones, Laigneſios &c. quid cauſæ quæſo eſt, mi optimi colẽdiſsimiq́; PATRES, cur nos qui integro quatuor ſeculorũ decurſu (& quod excurrit) præfatam hanc Societatem anteceſsimus,non omnium oculis animisq́ue libentes volenteſq́ue noſtros illos Sanctiſsimos Brunones, Hugones, Anthelmos, Lauduinos, Stephanos, Baſilios,Iancelinos, Dionyſios, Dominicos,& id genus alios obijciamus? Quorum vti nonnulli iam olim publico militantis Eccleſiæ præconio in triumphantem Diuorum omnium cœtum ſunt relati,ita cęterorum quoque nomen ac res benè geſtæ dignæ meritò cenſentur, quæ gentiũ omnium linguis concelebratæ, ad poſteros eant.

Qua in re vt pro Ordinis zelo, proq́ue illa quam ad proximos habetis charitate, opem auxiliumq́ue feratis, etiã atq; etiam Vos oro obteſtorq́ue. Quatenus ſi quę adhuc penes VV. Paternitates veſtras huius generis ſcripta,ad CARTVSIANI nominis decorem, ſubditorumq́ue veſtrorum ſpiritalem profectum,atque aliorum omnium ædificationem facientia, priuatim adſeruantur,(& quis ambigat, quin plurima paſsim talia in Bibliothecarum veſtrarum

rum angulis cellarumq; latibulis cũ blattis ac tineis gnauiter decertantia reperiantur?) ea non ſolùm deperire non ſinatis, verũ talibus veſtri Ordinis perſonis committenda decernatis, à quibus cum inſigni totius Chriſtianæ Reip. emolumento noſtræque religionis incremento, in lucem queant proferri. Hic namq; noſtræ huius dedicationis eſt ſcopus, hæc intentio, hoc argumentum. Quam vt vna cum breuibus hiſce NOSTRIS benigno ac paterno ſuſcipiatis animo, humiliter deprecor. Coloniæ Vbiorum ex Domo S. BARBARAE, ipſo S. HVGONIS EPISCOPI GRATIANOP. qui vti ſeptem primos illos ſacri Cartuſienſis Ordinis initiatores benigno hoſpitio ſuſcepit, aluit, fouit, ſic Vos quoq; VENERANDI PATRES, ſeptem hoſce PETRI DORLANDI libros, nunquam antea in publicum prolatos, humaniter quæſo excipiatis, meque humillimũ veſtrum clientulum, ſanctiſsimarum precum veſtrarum ſubſidio commendatum habeatis. Anno à partu virgineo octauo ſupra milleſimum ſexcenteſimum: ex caſa noſtra Cartuſiana.

VV. PP. Veſtrarum
humillimus filius,
F. Theodorus Petræus,
profeſſus ibidem.

ELVCIDATIONES, SEV NOTAE IN LIBRVM I. CHRONICI CARTVSIENSIS PETRI DORLANDI.

DE S. BRVNONE, EXIMIO SACRI *Cartuſienſis Ordinis Patriarcha, ac primo initiatore.*

§ I. De illius patria, ac parentela.

CVM felix Vbiorum Colonia, fidelis Romanæ Eccleſiæ filia, ac Germaniæ totius Metropolis celeberrima, plurimos pietate non minus, quàm inſigni eruditionis laude præſtantes in lucem produxerit Viros; tum in eo haud quaquam aſpernandæ laudis ſibi conſciuit nomẽ, quod ſanctiſsimi CARTVSIENSIS Ordinis imitatore, atque eximio Patriarcha Chriſtianum exhilarauerit Orbem. Hæc etenim eſt, quæ DIVI BRVNONIS prima excepit incunabula, hæc ſinceriori germanæ pietatis ſucco deuotum CHRISTO pectus potauit, hæc primæ literaturæ elementis tenerum imbuit animum, quæ poſtmodum celebris illa Pariſiorum Lutetia multò auctiori cum incremento, ad ſumma quæque prouexit: adeò vt publicæ ibidem profeſsionis donatus ſit cathedra; illa nimirum tempeſtate, qua Pariſijs, tanquam in ampliſsimo frequentiſsimoque Muſarum domicilio ingens ſtudioſorum turba agebat. Habuit verò parentes & genere & virtute inter Vbios cumprimis claros; ex illa nimirum nobi-

nobiliſsima Romanorum proſapia oriundos, qui Agrippinæ nouam deduxêre coloniá, quam etiamnum de duro pugno incolæ indigitant. Vnde apud omnes in confeſſo eſt, & natione Germanum, & origine Colonienſem exſtitiſſe. Prout huius nobis adſertionis teſtes ſunt, qui eius res geſtas vel ex profeſſo conſcripsêre, vel per tranſennam quaſi attigêre; nempe Sigebertus in Chronico, ad annum Domini 1084. Anthoninus in ſua hiſtoria, parte 2, Tit. 15. ca. 22. in princip. Necnon & Frater Ioannes Laziardus Cæleſtinus, in Epitom. hiſtoriæ vniuerſalis, capite 193. in fine. Similiter & Chriſtianus Maſſæus in Chronico, lib. 16. Cui Ioannes quoque Nauclerus adſtipulatur, Generatione 37. Simul ac Surius noſter, Tom. 5. 6. Octobr. alijq́; complures.

§ II. Fueritne Iuriſperitus, an verò S.S. Theologiæ Doctor.

CAEterum, in eo non omnes paſsim conueniunt, cuiuſnam facultatis profeſsionisq́; Bruno fuerit; licet illa prçualeat ſentẽtia, Theologum illum eximium exſtitiſſe, atq; in diuinarum literarum cognitione apprimè exercitatum, vti ex ijs, quæ literarum monumentis ad omnem poſteritatis memoriam conſignauit, liquidò conſtat. Poteſtque id aliorum etiam comprobari teſtimonijs. Nam Franciſcus de Puteo, Lugdunenſis, Iuris vtriuſque Doctor præſtantiſsimus, ac totius Cartuſienſis Ordinis GENERALIS integerrimus, id diſertis conteſtatur verbis. Et ante illum Dionyſius Ryckelius,

lius, æquè Cartuſianus, in Tractatu de præconio ſeu laude Ordinis Cartuſienſis, Artic. 1. in princip. Nec non & Petrus Sutor lib. 1. de vita Carthuſiana, Tractat. 2. cap. 4. Cui & Surius noſter hiſce verbis non inuitus adſtipulatur: *Ad ſacra quoq; Theologiæ ſtudia ſeſe* (BRVNO) *conferens, in Theologis doctiſſimus & celeberrimus eſt habitus: poſſuntq; ei rei teſtimonium haud vulgare præbere ſcripta eius, quæ exſtant.* Licet id multò efficatius colligi queat, ex diuerſorũ Collegiorum Cœnobiorumq; Epitaphijs (ſunt autem hæc ſupra centũ & ſexaginta:) D. BRVNONI, non longè poſt obitum, honoris amoriſq; ergà inſcriptis. Hinc Eccleſia S. Mauricij Andegauenſis, huiuſmodi poſuit Epitaphium:

In vita B. Brunon. Tom. 5. die 6 Octo. § 1.

Inueniuntur adiecta ad finem S. Brunonis, ſeorſim à D. Franciſco de Puteo edita.

Gallia triſtatur, Calaber populus lachrymatur,
Doctoremq; bonum gemit iſte, flet illa patronum.
Gloria Platonis vileſcit laude Brunonis,
Hic præcellebat Doctoribus, hic faciebat
Summos Doctores, non inſtituendo * *minores.*
DOCTOR *Doctorum fuit hic*, &c.

Reperitur apud Surium, loco ſuperius citato in fine vitæ.

Hinc namque legitur D. BRVNO in re Theologica Præceptor fuiſſe Vrbani Papæ II. à quo & poſtmodum, ob inſignem rerum diuinarum cognitionem, animique prudentiam, Romam eſt euocatus, ſicuti olim Hieronymus à Damaſo. Quin & multò eſt probabilius, Theologum illum fuiſſe, quàm Iuriſperitum; vtpote cùm in ampliſsima Rhemorum Vrbe Canonicatu ſit functus: non verò Carnoti, ſicuti malè ſentit Raphael Volaterranus, lib. 21. Anthropologiæ fol.

* *Non pueros, ſed graues viros docuit S. Bruno.*

fol.478. Sunt tamen qui adſtruunt, D. BRVNONEM Pariſijs inter Theologos publico aliquo dignitatis officio fuiſſe condecoratum, adeò vt *Scholarum Magiſtrum* eum nominent, quod ferè tantundem eſt, ac ſi totius Vniuerſitatis fuiſſe RECTOREM velint, quæ ſuprema ſolet eſſe Academiarum dignitas. Hinc auctor ille, qui carmine D. BRVNONIS vitam proſequitur, ita canit.

BRVNO *Sacerdotum ſplendor*, RECTORQVE *Scholarum*,
Quem genuit celebri Germana Colonia partu,
Vir pius, & ſapiens, ac præſtantiſſimus, omni
Munere doctrina, & templi Rhemenſis alumnus,
Tunc erat exponens problemata ſacra Pariſis.

Inueniuntur in fine operum D. Brunonis, Pariſijs ante annos plus 80. impreſſorum, ac iam iteratò recudendorum.

Hinc Eccleſia S. Mariæ Bernaci huiuſcemodi D. Brunoni poſuit Epitaphium:

DOCTOR *Doctorũ fuit, exemplarq́; bonorum:*
Noſtris temporibus BRVNO *vir eximius.*

Cõſonat ferè his, quod Nauclerus ſuo in Chronico Tom. 2. Generatione 37. fol. 730. hiſce verbis ait: *Fuit* BRVNO *Teutonicus ex Colonia natus, Philoſophia atq; ſacra pagina* DOCTOR *clariſſimus, Rhemenſis Eccleſiæ Canonicus, & Scholaſticorum Pariſiis* DOCTOR *diſertiſſimus.* Atque hinc eſt, quod paſsim etiam ab alijs *Scholarum*, ſeu *Scholariũ* Magiſter nuncupetur, nempe à Sigeberto, Antonino, Papirio Maſſonio, &c.

§ III. De altero illo Pariſienſi Doctore, qui ſe accuſarum, iudicatum, adeoq; & condemnatum palam eſt vociferatus.

Con-

COnſimilis quoq; hunc profeſsionis fuiſſe, inde licet opinari, quòd cùm eadem cum Diuo BRVNONE ſtudia tractârit, hinc tanta inter illos (vti fieri videmus) orta ſit familiaritas, tanta animorum coniunctio, tanta denique fraternæ charitatis conglutinatio. Ita namq; diſertis verbis Petrus teſtatur a Sutor, dum ait: *Ambo ſiquidem* DOCTORES *erant, ſcilicet* BRVNO, *& miſer ille homo, ambo literis eminentes, ambo ſacrarum literarum* PROFESSORES, *ambo fama celebritate ſanctitatiſq; opinione percelebres.* Nec non Exſtaticus Doctor Rykelius, articulo 1. libri de præconio Ordinis Carthuſienſis, fol. 751. col. 1. *Agnitum planè, atq; famoſum eſt,* inquit, *miraculum illud, reſuſcitati Pariſijs mortui, in Theologia Magiſtri facie tenus virtuoſi, grandiq; morum venuſtate forinſecus decorati.* In eadem planè ſententia eſt & Hermannus Petri, Brugenſis Cartuſiæ olim moderator, Serm. 12. in orationem Dominicam; & Iacobus Gruytrodius, domus Leodienſis Prior quondam doctiſsimus, cap. 6. Speculi Sacerdotum, ſiue lauacri conſcientiæ. Quod verò nonnulli, inter quos eſt b Hieronymus Platus, Iuriſperitum hunc fuiſſe volunt, ideo forſitan accidit, quod & in Theologia, & in Iure ſimul DOCTOR exſtitiſſe potuerit: quemadmodú noſtra hac tempeſtate huiuſcemodi non paucos reperire licet.

a Lib. 1. de vita Cartuſ. Tract. 2. cap. 4. fol. 31. lin. 3.

Ambo fuere SS. literarum Profeſſores.

Cur alij, damnatum hunc Doctorem, Iuriſperitum nominent?

b lib. 2. de bono ſtat. religioſi cap. 22. fo. 529.

§. IV. Quodnam ſit illud tam horrendum, ac ſeculis omnibus inauditum

ſpecta-

ſpectaculum, quod Ordini Cartuſienſi initium præbuerit, & quo tempore acciderit.

NON de nihilo reuera eſt, quod tam multi probatæ fidei auctores pari conſenſu referunt, in celebri Pariſiorũ Lutetia, circa annum Domini octogeſimum ſecundum, ſupra milleſimum, Gregorio VII. Romano Pontifice ſanctiſsimo, & Henrico III. Imperatore, accidiſſe: quod quidam illic primariæ eruditionis, atque omnium opinione celeberrimus DOCTOR, cùm ſepulturæ eſſet tradẽdus, per diuerſa temporum interualla, è feretro ſeſe erigens, in frequentiſsima doctiſsimorum virorum corona, atque innumerabili hominum frequentia, horrendum in modum proclamauerit, primò quidem ſe diuino coram tribunali accuſatum, deinde iudicatum, tertiò vero etiam cõdemnatum. Quemadmodum accuratius exactiusque referunt B. Anthoninus parte 2. Tit. 15. cap. 22. §. 1. fol. 173. Nauclerus Generat. 37. fol. 73. Raphael Volaterranus. lib. 21. Anthropologiæ. fol. 478. Petrus Sutor. libro 1. Vitæ Carthuſ. Tractat. 2. ca. 2. fol. 17. Ad longũ verò, Franciſcus à Puteo, Petrus Bloemenuenna, Laurentius Surius; qui D. BRVNONIS vitã ex profeſſo conſcripsêre; nec non & Petrus Dorlandus, in cuius hîc elucidandis ſcriptis, Notiſque illuſtrandis, noſtro pro modulo deſudamus. Ad quos veritatis amantem Lectorem remittimus. Nam ſi ſecundùm diuinę veritatis *c* eloquium, *in ore duorum aut triũ teſtium ſtabit omne verbũ*, quis iam de c Matth. 18. 16.
hiſto-

hiſtoriæ huius veritate, quæ tanta probatiſsimorum teſtium nube fulcitur, amplius queat ambigere? Iam verò ſi de temporis ratione certus debeat iniri calculus, fatentur ferè præfati omnes, circa annum Domini milleſimum octogeſimum ſecundum id accidiſſe; adeò vt biennio poſt Cartuſia inhabitari cœpta ſit. De quo ita *d* Surius: *Incolere cœperūt Cartuſiæ ſolitudinem circa ſolennitatem S. Ioannis Baptiſtæ*, Heremitarum omnium prodromi, quo inter natos mulierum ſanctior nemo exſtitit, anno ſalutis noſtræ milleſimo, octogeſimo quarto. Qua de re huiuſcemodi exſtāt apud *e* Sutorem verſiculi:

Quo tempore horrēdum hoc ſpectaculum acciderit.

d In vita S. Brunonis, cap. ſeu §. 15.

e Lib. I. vitæ Cart. Tract. 2. c. 7. fol. 59.

Anno milleno, quarto quoque, ſi benè cenſes,
Inſuper octeno, ſunt orti CARTVSIENSES.

Licet *f* Baronius, & alij nonnulli, videantur id velle referre ad annum Domini 1086.

f In Annalib. anno 1086. n. 16.

§ V. Cur damnati, ac ter infelicis Doctoris iſtius nomen, literarum monumentis conſignatum non ſit.

MIretur iam aliquis, cur, cùm Seruator noſter Euangelicam illam proferret, de diuite epulone, atque inope Lazaro, hiſtoricam parabolam, huius exprimere nomen, illius verò omitere voluerit. An, vt quod de libro vitæ iam expunxerat, illud ne ore quidem vſurpari cuperet? De talibus namq; per Prophetam olim dixerat; *g nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Et alibi; *h deleantur*, inquit, *de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur*: vnde *i*

Luc. 16. 20. I.

g Pſal. 15. 4.

h Pſal. 68. 29

nomen

i *nomen eorũ deliſti in æternũ,& in ſeculũ ſeculi,* i *Pſal.4.6.*
inquit Vates Regius. De viro verò iuſto,ac Deũ
reuerente,eiuſq; prçceptis obſequente,dicitur:
k *Noui te ex nomine*:Et Ioannes in Apoc. l *Qui* k *Exo.33.12.*
vicerit,ſic veſtietur veſtimentis albis, & nõ dele- l *Apoc.3.5.*
bo nomẽ eius de libro vitæ, ſed cõfitebor nomẽ eius
coram Patre meo,& coram Angelis eius.Deinde, II.
quidnãobſecro,proprij nominis cõmemoratio
defuncto profuiſſet? an non,ſicuti damnato,ni-
hil vtilitatis, ita & toti conſanguinitati pluri- *Comparatio.*
mum infamiæ ac dedecoris cõciliare potuiſſet.
Si etenim reſcitum ſcelerati cuiuſdam hominis III.
ſuſpendium, vniuerſam dedecorat familiam,
multò magis perpetuæ damnationis enarratio,
hoc ipſum efficeret.Parcitur quoque interdum
nominibus, quod qui bonorum ſibi virorũ no-
mina adſciuerant, turpiter ijs ſint abuſi: quos
Pſalmiſta iure ideo reprehendit, dum inquit, m
vocauerunt nomina ſua in terris ſuis.Sic olim fla- m *Pſalm.48.*
gitioſus quidam,ac perditæ nequitiæ homo,vti *12.*
ex Cicerone,Plutarcho,Valerio, ac Gellio con-
ſtat, vt præclarum, ac nullo vnquam æuo obli-
terandum nomen ſibi conſciret, templum Dia-
næ Epheſiorum, quod (n Plinio teſte) ducentis n *Lib.36.*
viginti annis fabricatum à tota Aſia fuerat, in- *cap.14.*
flammauit. Quod cùm gloriæ cupiditate ſe fe- *Heroſtratus,*
ciſſe palàm profiteretur, publico Magiſtratus *vt nomen cõ-*
edicto promulgatũ fuit, ne poſtea quiſquã hoc *celebraret ſu-*
nomine vocitaretur. Et forſitan ẽt hoc tẽpore *um, templum*
in tenebris conſepultũ iaceret, niſi Theopom- *incẽdit Ephe-*
pus id ſuis inſeruiſſet hiſtorijs. Quid ergo mi- *ſiæ Dianæ.*
rum,ſi Pariſienſes illi prudentiæ opinione præ-

ſtantes Theologi, cuius corpus fœtido committendum ſterquilinio cenſuerũt, illius etiam nomen nullis exſtare literarum monumentis voluerint? Et quidem ſatis de his, licet non ignorem, me in antiquiſsimis imaginum picturis reperiſſe, infelicem hunc atque execrandæ memoriæ hominem, Raymundum nominatum. Etiamſi nullarenus fidem meam interponam, hocne an illo ſit vocitatus nomine: maximè, cùm nihil ex vano hauſtũ velim, ſciamq́; quod

Horat. de arte Poet. in princip.

——— *Pictoribus atq; Poëtis*

Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Reperiuntur tamen inepti quidam, atq; inſulſi homines, & ſibi, & alijs perſuadere conantes, hunc damnatum Doctorem BRVNONEM noſtrum fuiſſe; quod ſanè otioſorũ eſſe hominum commentum, inde liquidò conſtat, quod infelix hic Pariſienſis Doctor, Beatiſsimo BRVNONI ſimul ac ſocijs eius, vitæ in melius cõmutandæ, atque in vaſtam heremi ſolitudinem ſecedendi occaſionem præbuerit.

§ VI. Quænam fuerit illa ſolitudo, in quam D. BRVNO ſenis comitatus ſocijs, pœnitentiæ peragendæ cauſa ſeſe recepit.

LOcum hunc horroris ac vaſtæ ſolitudinis, quem poſt ſtupẽdum illud Pariſijs hauſtum oculis ſpectaculum BRVNO cum ſocijs petijt, quibus nam verbis deſcribere commodius licebit, quam illius ſanctiſsimi Gratianopolitanæ Eccleſiæ ea tempeſtate Præſulis, qui ſecundum quietem ſeptem hiſce Viris totidem ſtellarum indicio

indicio cælitus præparatum eum vidit, eoſque lubens gaudensq́; eò perduxit. Ita etenim Brunonem, eiusque pariter collegas B. Hugo alloquitur. *a Locus autem diuinitus vobis adſignatus, eſt heremus quædam altiſſimis in montibus, quam* CARTVSIAM *vocant, ampla illa quidem, ſed prorſus inculta, atq; à nemine habitata, ſolis feris peruia, hominibus verò cæteriſq; animantibus, propter loci aſperitatem, penè incognita, & inacceſſa. Altas & tanquam exciſas hinc inde rupes & ſcopulos, arboresq; ſylueſtres & infrugiferas habet; eſtq; ſupra modum frigida, magnaq; anni parte niuibus operta. Tum quoq; adeò prærupta, ſterilis, & infructuoſa, vt nihil in ea neq; ſeri, neque meti queat*, &c. Hactenus quidem B. Hugo. Neq; ſecius aut Dorlandus noſter lib.1. ca.1. aut etiā ipſe Petrus Sutor, qui cùm Pariſienſis Cartuſiæ aliquandiu Prior exſtiterit, ac ratione officij ad hanc Maioris Cartuſiæ heremum ſæpius proficiſci potuerit, ac coram inſpicere, ita de eadem ſcriptum reliquit; *b Vis, inquit, horrida m* CARTVSIANI *loci faciem videre? Si ſuſpexeris, arduos ſaxoſosq; mōtes, gelidas niues, infœcundasq; arbores dorſo montiū adhærentes, ſpectabis. Si deſpexeris, terrificum amnem in pede montium ingratè murmurantem videbis. Terribilem deniq; ſitum accipe. Nulla ſiquidem ibi amœnitas, nullum ſolamen, nulla terrena iucunditas adeſt:*

Vix ibi ridenti veſtitur gramine tellus,
Vix ibi cantat auis, nec ſunt ibi luſtra ferarum.

a Tom. 5. Surij, in vita S. Brunon §.13. *Verba B. Hugonis Gratianop. Epiſcopi, quibus deſcribit Cartuſiā, quæ noſtri propoſiti mater eſt, & origo: vnde cæteræ omnes Ordinis domus nomen, ſimul ac viuendi normā hauſere.*

b Lib. 1. vitæ Cartuſ. Tract. 2. ca. 7. fol. 53. *Horrida Cartuſiani loci facies.*

Quid igitur? Niues quidem ibi perpetuo candore candeſcunt, ſed niuea frigora liuido pallore corpora inhabitantium adficiunt. Tanta denique eſt loci aſperitas, vt nec Scythiæ deſerta, nec Aegypti ſolitudines, poſſint illi Carthuſiano monti rectè comparari. Horrendum itaq; carcerem, purgatoriumq; locum potius, quàm aptum humanæ vitæ habitaculum meritò dixeris. Hæc ille.

§ VII. Vtrum hic tam horrendus vti ſqualidæ habitationis, ſic & eximię ſanctitatis locus, etiamnũ hoc tempore ſuos habeat incolas, D. BRVNONIS veſtigijs ſedulò inſiſtẽtes.

DE hoc quoque malim aliorum, quàm verba mea ponere. Vnde in primis operę pretium exiſtimo, quendam eximiæ pietatis, immo & cognomẽto *Venerabilem*, in medium proferre Virum; qui vti non tam longè poſt BRVNONIS obitum, in ipſis Galliarum partibus vixit, ita ſuo id calamo, quaſi oculatus teſtis, maiori cum fide faciet. Is autẽ eſt Petrus Mauriacenus, Abbas nimirum Cluniacenſis, tam ſcriptis, quã vitæ ſanctimonia clarus, ac D. Bernardi Clareuallenſis Abbatis contempotaneus. Cuius equidẽ hæc ſunt verba. *Seruatur*, inquit, a *in* * *Burgundiæ partibus inter omnes Europæ noſtræ Monaſtici Ordinis profeſſiones, profeſſio quædam, multis alijs eiuſdem propoſiti ſanctior & cautior, inſtituta noſtro tempore à quibuſdam Patribus*

a *Lib. 2. Mira. cap. 28.*

* *Dorlandus vult maiorẽ noſtram Car-*

tribus, magnis, doctis, & Sanctis, M. Brunone Colonienſi, M. Lauduino Italico, ac quibuſdam alijs verè magnis, ac Deum timentibus viris. Qui quorundam antiquorum Monachorum tepiditate, negligentia ac deſidia prædocti, ſeculo abrenuntiare volentes, cautius ſibi ſuiſq́, in via Dei, ſectatoribus, conſuluerunt; & vigilanti oculo Ordinem contra omnes penè Sathanæ inſidias circumſpectũ inſtituerunt, &c. Deinde paulò poſt. *Ad edomandum iumentũ corporis ſui, & ad ſubigendam, iuxta Apoſtolum, legem membrorum ſuorum, repugnantem legi mentis ſuæ, duris carnem cilicijs ſemper exaſperant, continuatis penè acribus ieiunijs corpora affligunt, extenuant, deſiccant. Inde eſt, quod pane furfureo ſemper vtuntur, vinoq́ adeo adaquato, vt meritò magis villum, quam vinum dicatur. Ab omni carnium eſu, tam ſani quã ægri, in perpetuũ abſtinent. Piſces nunquã emunt, ſed fortè ex charitate datos, accipiunt.* Quorum ſanctiſsimæ vitæ inſtitutum magnoperè Diuus admiratus Bernardus, in hæc exclamat verba: a *Altiſsima eſt profeſsio veſtra, cælos tranſit, par Angelis eſt, Angelicæ ſimilis puritati. Non enim ſolum nouiſtis omnem ſanctitatem, ſed omnis ſanctitatis perfectionẽ, & omnis cõſummationis finẽ.* Et cætera in hunc modum, non minus profectò verè, quã melliflué, quæ etſi nos breuitatis cauſa miſſa facimus, nõ poſſum tamẽ, quin Petri Bleſenſis, Bathoniẽſis Eccleſię Archidiaconi doctiſſimi teſtimoniũ, de hac eadẽ alma matre noſtra Cartuſia hic in medium adducã, ſic etenim ait:

...tuſiam in Sabaudiæ partibus ſitã, alij in Delphinatu.

Rom. 7. 23.

a *Epiſt. ad ff. montis Dei, de vita ſolitaria.*

Vixit anno Dom. 1160.

a Epiſt. 86. ad Alexand. Cartuſ. Monach. pag. 154.

b Pſalm. 103. 12

c Geneſ. 28. 17.

d Pſalm. 79. 12.

Vixit anno Dom. 1450.

a *Domus Cartuſienſis, & locus habitationis illius ſitus eſt in montibus, & ſcopulis, & in petris; vt ſit potius habitatio Angelorum, quàm hominum, ad dandam altiſſimo vocem confeſſionis & laudis, ſicut ſcriptum eſt;* b *ſuper ea volucres cæli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces. Sed & columba ædificat in foraminibus petræ, & vir prudens ædificat domum ſuam ſupra petram: vbi nec maris fluctus, nec ventus turbinis, nec pluuiarum inũdatio, nec alluuio formidatur* c Verè terribilis eſt locus iſte, nec eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cæli. *Et licet domus illa ſit in terra horroris & vaſtæ ſolitudinis, nominatiſſima tamen eſt* IN OBSERVANTIA RELIGIONIS ET ORDINIS. *In omnẽ quippe terram, per gratiam Dei, exiuit fama eius, & in fines orbis terræ, ſuæ odorem ſuauitatis effudit. Plantatio enim Dei eſt, & vinea Domini Sabaoth; ideoq́; iam excreuit in immenſum, & multiplices fructus fecit. Vide, ſi iam non* d *operuit montes vmbra eius, ſi non extendit palmites ſuos vſq; ad mare, & vſq; in Angliam propagines eius.* Verum ad vlteriorem temporis progreſſum animum ſimul ac calamum transferentes, videamus iam nunc, quid poſt annos circiter, ab inſtitutione Ordinis, plus minus quadringentos, eximius ille Florentinus Archiepræſul Antoninus; vir nimirum & eruditionis laude, & inſignis vitæ ſanctimonia adeò per orbem celebris, vt in Diuorum iam olim catalogum ſit relatus. Hic etenim dum D. IANCELINI, decimi Maioris Car-

Cartuſiæ Præfecti virtutes enarrat, inter cæteraſic ait: a *Certè valdè venerabilis eſt iſta religio* (CARTVSIANA) *quæ vſq; in præſentem diem ſeruat rigorem ſuarum obſeruantiarum per annos circiter quadringentos. Auſtera ſiquidem eſt in multis: in abſtinentia quidem, quia prolixa ieiunia, & ſextis omnibus ferijs in pane & aqua: ab eſu carnium ſemper abſtinent, etiam in grauiſsima infirmitate: ita vt qui eis veſci voluerit, amplius in clauſura* (clauſtro ſcilicet, ſeu Monaſterij conſeptu) *cum reliquis non valeat permanere. Quoad veſtitũ, quia ſemper cilicio induuntur ad carnem. Quoad ſolitudinem, quia nunquam exeunt; exceptis Priore & Procuratore. Et in cellis ſuis ſoli manent cum arcto ſilentio. Vigilias magnas habent, propter prolixitatem offi. ij.* Hactenus Antoninus. Si verò iam audire non pigeat D. Thomæ Campenſis (mirum enim, cur Kempenſem nonnulli eum vocitent, cùm ex b vita illius liquido conſtet, fuiſſe eum Vltraiecnæ diœceſeos, & Dauentriæ, hoc eſt, haud procul à natali ſuo ſolo vitam ad annos aliquot egiſſe, ac deinde Svvollam religionis ergo contendiſſe, ad montem ſcilicet S. Agnetis, à patria ſua æquè ac mea, non niſi ſeſqui milliario, diſsitum) de Cartuſianæ vitæ conuerſatione ſententiam, ecce habes eam hîc ipſiuſmet auctoris verbis. c *Eo tempore* (loquitur de collapſa ſuo æuo monaſtica ferè vbique diſciplina) *mundi ſtatus in maligno videbatur vndiq; poſitus; ita vt pauci eſſent, qui verbum vitæ moribus ac*

a *Parte 3. hiſtor. Tit. 15. cap. 22. §. 2. fol. 73.*

b *In principio Tituli 2.*

c *In vita Gerardi Magni cap. 4.*

Vixit Thomas Campensis anno Domini 1430.
Apud Cartuſianos velut cineribus latuit, viguitq́; intemeratus hactenus Monachiſmus.
a Secunda parte Serm. ad Nouit. Serm. 4.

vocibus prædicarent, pauciores verò qui continentiam ſectarentur, & quod dolendum erat, nomen ſanctæ religionis, & ſtatus deuotionis, præ inopia ſpiritus, à Patrum præcedentium veſtigijs nimiū claudicabat. Apud Cartvsienses *verò lux* Vitae coelestis *remanſit occultò, & carnalibus videbatur ſatis auſtera, erat tamen Deo gratiſſima, & ſpiritu feruentibus optabilis atque iucunda. a* Refert quoque idem Campenſis Thomas, ætate ſua fuiſſe eiuſdem ſecum inſtituti religioſum, qui viatorem quendam ſibi in itinere occurrentē, interrogans, quid de præcipuis monaſticæ religionis locis, hoc inter cætera ab eo audiuit; ſe in Maiori Cartvsia conſpexiſſe venerandum ætate ſenem, qui toto quadraginta ànnorum decurſu, quo ſe Cartuſianæ religioni addixerat, ne anteriorem quidē conſpexerat portam, per quam primum ingreſſus fuerat. Magnum profectò eſt hoc, ac multæ ædificationis exemplum, tali & loco & profeſſione dignum. Verum ne quis nobis obſtrepēs, dicat, deferbuiſſe iam illic in Maiori Cartvsia priſtinum illum rigidioris diſciplinæ zelum, neq; D. Brvnonis illic amplius, tanto cum feruore, vti olim, veſtigijs, inſiſti, eam ob rē vt ſiniſtrē hanc ſuſpicionē amoliamur, concludā paragraphū hunc verbis D. Stephani Salazarij, vti S. Theologi Doctoris profundiſsimi, ſic Xereſanæ in Hiſpanijs Cartuſiæ Prioris olim integerrimi, qui cùm Anno Domini 1584. Generali intereſſet Capitulo (hoc autem non niſi in Maiori Cartuſia annuatim peragi ac celebrari

lebrari fas eſt) quæ ſuis ibidem conſpexit oculis, ea publicis quoque literarum monumentis ad omnem poſteritatis memoriam conſignare haud quaquam detrectauit. Sic enim in epiſtola liminari, quam ſuo, de Chriſti Saluatoris Genealogia, præfixit operi, atque Illuſtriſs. S. R. E. Cardinali, ſimul ac Reuerendiſs. Toletano Archiepiſcopo Gaſpari à Quiroga dedicauit, hunc ſuum Mæcenatem alloquitur. *Adeo religio, pietas, rerum viſibilium & temporalium neglectus, propria voluntatis abnegatio & reſignatio, animi à rerum omnium tranſeuntium & interiturarũ vmbris abdicatio, & reliquæ virtutes in Maiori Cartuſia eſſloreſcunt; vt quicunq; eam viderint, iure teſtentur, nullum eſſe in Eccleſia Catholica Monaſterium, in quo* HAC AETATE *magis vigeant diſciplina, & obſeruantia regularis. Quo fit, vt cùm ex lapſu & ruina Monaſteriorum, quæ ſuis Ordinibus erant capita, Ordinis Manaſtici labefactati ſint atq; corrupti, ſola* CARTVSIA *ſteterit primis Patrum ſuorum inſtitutis & paſſibus inſiſtens.* Et paulò accuratius quotidianam Cartuſianæ vitæ exercitationẽ ibidẽ enarrans; *Habitant*, inquit, *penitiſſimam alpium Sabaudicarum ſolitudinem, vſque adeò rigentem, & perpetuis niuibus obductam, vt decantata illa niuium, & antiqua Sanctorum Aſcetarum Scytis præ hac heremo, pro temperatiſſima & amœna regione haberi poſſit. Veſtis etiã intima illis ex ſacco, dira ſubtus ad carnem cilicia, victus tenuis, panis cibarius ex ſiligine. Somnus*

Prodijt hic Liber anno Dom. 1584. Lugduni Galliarum, apud Carolum Peſnot.

Inſigne oculati teſtis encomium, de eximia vitæ ſanctimonia, quæ etiamnũ hoc noſtro æuo in Maiori conſpicitur Cartuſia.

Conueniunt hæc cum ijs, quæ ſupra ex Petro Venerabili allegauimus.

modicus, vigilia immēſa, & quæ ſolennioribus diebus ad horas quatuor cantando protrahātur, &c. Hæc de iſtius loci incolis in genere, de ipſo vero R.P. GENERALI, qui ibidē ſemper reſidēs, iſtius Maioris Cartuſiæ Præfectus eſt, quid ait? *Chorum hunc ducit admirabilis quidam, & diuinus ſenex, nomine* BERNARDVS, *cognomine* Caraſſus, *patria Tarbenſis, ætate octogenarius, ardore pietatis ſic incenſus, vt cùm tot domeſticæ adminiſtrationis, & totius Reipublicæ* CARTVSIANAE *negotijs obruatur, non die, non nocte ab actibus Conuentualibus abſit, perinde ac ſi modò in anno probationis & Ordinis tyrocinio verſaretur. Non victu, non veſtitu, ſed indefeſſo labore, animi tranquillitate, modeſtia, iuſtitia, æquitate, cæteriſq; Principe dignis virtutibus omnibus prælucens.* Atq; hæc hactenus, prolixius quidem quàm ſtatueram, non tamen ſine lectoris vtilitate, oblectationéue.

Fuit hic Venerandus ſenex, quadrageſimus Ordinis Generalis, optimè prædeceſſorū ſuorum veſtigijs inſiſtens.

§ VIII. Quàm diu B. BRVNO hunc Cartuſiæ locum incoluerit, & quo pacto à Pōtifice Romam euocatus, tandem abeūdi conſecutus veniam, Calabriæ deſerta expetierit,

Surius in vita B. Brunonis.

CVm non totos ſex annos in illa vaſta quidem, & horrida, ſed ſancta & modis omnibus optata CARTVSIAE ſolitudine D. BRVNO exegiſſet, Pontifex Vrbanus II. qui olim Beati viri diſcipulus fuerat, cùm ad illud ſublime præcipui honoris faſtigium euectus eſſet, cupe-

ſuperetque tantum munus accuratè implere, rerumq; ſuarum ſatagere, non immemor egregiæ virtutis & illuſtris doctrinæ ſui Præceptoris, acciuit eum per literas Apoſtolicas ad Sanctæ Eccleſiæ præſtanda officia; grauiter præcipiẽs, ne venire ad Vrbem cunctaretur. Animaduertit ex his quoque Lector pius, qualis quantuſuis fuerit B. BRVNO, quem tanti fecerit ipſe totius Paſtor Eccleſiæ, quemq; tantũ apud ſe familiaritatis autoritatisq; locũ habere voluerit, vt etiã plurimũ in eo laborauerit, quò poſſet illum ampliſsimo Rheginenſis Eccleſiæ, quæ prima totius Calabriæ Metropolis eſt, Archiepiſcopatu condecorare. Verum ille eligens abiectus eſſe in domo Dei ſui, elongauit fugiens, & bona cum Pontificis venia, curiam deſeruit. De quo ita doctiſsimus Eccleſiaſticorum ſcriptor Annalium Baronius; *a Vrbanus Papa accerſiuit ad ſe ex Cartuſiana ſolitudine* S. BRVNONEM, *eius inſtituti auctorem, quem iam diu ante coluiſſet, inuitumq; licet diu apud ſe retinuit, eius opera vſus in Concilijs celebrandis vſq; ad Placentinum Concilium. Quo celebrato, vix miſsionem obtinuit ab eo in Gallias profecturo, cùm iam vſque ad triennium apud eundem Pontificem permanſiſſet.* Quo quidem tempore exacto, non in Franciam ad ſuos, vti *b* Dorlandus noſter ſentire videtur, ſed in Calabriã, adiunctis ſibi aliquot eiuſdem ſecum propoſiti Viris, lætus contendit. Maluiſſet ille quidem, quod etiam crebrò apud ſe cõſtituerat, ad Maiorem illam remeare Cartuſiam, ſed quia Sum-

Dorlandus noſter, & alij nonnulli, putant fuiſſe Rhemenſem Archiepiſcopatum.

a Tom. 11. *Annal. anno* 1092. *nu.* 12.

S. Bruno in ſacris celebrandis Concilijs inſignẽ Pontifici nauat operam.

b *Lib.* 1. *ca.* 2. *pag.* 22.

Ratio cur D. Bruno Calabriã Bruno potius petierit

mus

quam priſtinam Gallicanam ſolitudinem. mus Pontifex cum ſua curia iter parabat in Franciam, in cuius finibus CARTVSIA hæc ſita eſt, verebatur, ſi ipſe quoque eò ſe conferret, ne aut curiæ ſtrepitus declinare non poſſet, aut illam non reliquiſſe, ſed ſequi videretur.

§ IX. Quænam ſit iſta Calabriæ ſolitudo, ad quam D. BRVNO ſe recepit, quamque diu in ea cōmoratus ſit.

BRVNO ſciens in Calabriæ (hæc eſt autē Magna Græcia, in quam celeberrimi Philoſophorum Principes Plato, & Pythagoras, alijque nonnulli philoſophandi gratia olim conceſſerant) regione, plurimas eſſe ſolitudines, agendæ pænitentiæ, vitæq; ſolitariæ conſectādæ aptiſsimas; ad quandam deuenit heremum, cui TVRRIS nomen eſt, in diœceſi Squillacenſi. Vnde adamato, quaſi quod à Deo ſibi offerretur, habitaculo, reliquam ibidem in precibus alijſque ſanctiſsimis exercitationibus, vitæ partem tranſegit. Quam quidem Calabriæ ſolitudinem, iuxta [a] Baronij ſententiam, videtur etiā magnus ille Aurelius Caſsiodorus quondam incoluiſſe, haud procul nimirum ab Vrbe Scyllitana, quæ in extrema Calabriæ parte ſita eſt, vbi famoſus Scyllæ contra Charibdin ſcopulus imminet, à quo ciuitas nomen accepit. Hic igitur D. BRVNO ad annos circiter octo vna cum ſocijs, tranquillam in viliſsimis caſis degens vitam feliciter tandem Creatori ſuo animam reddidit.

a Tom. 7. ad annum Domini 562. nu. 9.

§ X. De obitu B. BRVNONIS, eiuſdemq; miraculis, ac canonizatione.

Obijſſe

OBiiſſe D. BRVNONEM anno Domini milleſimo centeſimo primo, pridie Nonarum Octob. die nimirũ Dominico, poſt alios, teſtis eſt Surius, ita vt ſeptemdecim circiter, à primo conuerſionis ſuæ tempore, & obitus diem, anni interceſſerint. Anno namque Domini 1084. circa ſolennitatem S. Ioannis Baptiſtæ, diximus Cartuſiam primò habitari cœptam, illicq́; ſexennio propemodum illum egiſſe, ac triennio in vrbe apud Vrbanum Pontificem, reliquumque vitæ ſpatium Calabris in montibus beatiſsimo fine conſummaſſe. Ad cuius equidem tumulum eiuſcemodi poſitum eſt Epitaphium.

Epitaphium D. Brunonis.

Primus in hac, Chriſti fundator ouilis, heremo
Promerui fieri, qui tegor hoc lapide.
BRVNO *mihi nomen, genitrix Germania, meq́,*
Tranſtulit ad Calabros grata quies nemoris.
DOCTOR *erã, præco Chriſti, vir notus in Orbe,*
Deſuper illud erat, gratia, non meritum.
Carnis vincla dies Octobris ſexta reſoluit,
Oſſa manent tumulo ſpiritus aſtra petit.

Eius poſt obitum inſignia aliquot miracula.

Ad eius ſepulchrũ fons viuus prorumpit, multique proclamati à medicis ægri, optatam priſtinæ ſanitatis valetudinem conſequuntur, vti non ſolùm Dorlandus in fine libri primi, ſed & Surius, ipſeque adeo Petrus Sutor lib. 1. vitæ Cartuſianæ, Tractatu 5. cap. 3. & 4. commemorat; ita vt operæ pretium non putemus, eadem hîc cum lectoris tædio repetere.

Cæterum Leo X. eximiæ pietatis Pontifex, auditis præclaris aliquot D. BRVNONIS miraculis

Canonizatio. raculis, promouente negotium hoc, anno Domini 1514. Franciſco de Puteo, Iuris Vtriuſque Doctore præſtantiſsimo, ipſiusq; Maioris Cartuſiæ Primatæ meritiſsimo, Diuorum cathalogo eundem adſcripſit; adeò vt publicis Eccleſiæ tabulis obitus eius dies inſertus, quolibet anno celebriter obſeruetur. De quo quidam non indoctos hoſce ôlim cecinit verſiculos.

Papa LEO *geſtis, ac maieſtate verendus,*
Cardineis Patribus celebri circundatus actu,
Certior eſt factus, quàm ſanctè vixerit olim
BRVNO; *quod obſequiū Romana præſtitit Vrbi,*
Quodq; per hunc cultu diuino Eccleſia creuit:
Huius & audierat certò miracula quadam;
Propterea votis Patrum concordibus, illum
Rettulit in Diuos, feſtum largitus eiuſdem,
Octobris ſexta celebrari luce quotannis.
Illo nempe die moriens conſcendit Olympum:
Erigere huic ſtatuas, atq; ædificare ſacella
Permittent, ſuper his confecta diplomata donās
Ordinis hac noſtri mater CARTVSIA *ſeruat,*
Inter Romani multa inſtrumenta Senatus.

§ XI. De lucubrationibus, ac literarum monumentis, quæ D. BRVNO poſt obitum poſteritati reliquit.

QVemadmodum priſci illi Aegyptij Monachi, ſilentio, orationi, lectioni, cordis puritati, rerumq; diuinarum contemplationi vacabant, certis proinde etiā horis manuali exercitio, præſertim verò conſcribendis libris incumbe-

cumbebant, ita etiam D. BRVNO, quorum viuendi in heremo inſtitutum ſuſceperat, eorundem quoque maluit æmulari induſtriam, quàm cum deſidia panem otioſus comedere. Solent etenim homines imperiti eos otioſos, & S. Eccleſiæ parum vtiles exiſtimare, qui ab aliorum conſortio ſeparati, ſoli Deo, ac ſibi duntaxat vacant. Quorum tamē inſcitiam vt Sanctus Pater coargueret, cùm ore verbum Dei prædicare non poſſet, ſcriptis ac literarum monumentis abundè id præſtitit; ſciens illa quæ literis conſignata ſunt, nulla vnquam temporis iniuria poſſe aboleri, ſed potius quam diu hic Chriſtianus ſtabit orbis, ſuper viuere. Hinc de B. a Hugone, inſigni illo Lincolnienſi Præſule, memoriæ proditum eſt, eum non ſegnem ſacris impendiſſe operam codicibus: quos religioſis quibuſque neceſſarios, & maximè vitam ducentibus ſolitariam, dicere ſolebat. *His enim pro delicijs & diuitijs tempore tranquillo, his bellico in præcinctu pro telis & armis, his in fame pro alimonia, his in lāguore pro medela Monachis* (imo omni hominū generi) *vtendū memorabat:* Hi namq; ſunt illi cæleſtis Philoſophiæ duces, virtutis indagatrices, vitiorumq; expultrices, qui afflictis medētur animis, qui inanes rerum mundanarum ſollicitudines detrahunt, qui noxijs cupiditatibus liberant, ac timorem omnem depellunt. Hi inquam ſunt, qui in aduerſis perfugium, in proſperis ſolatium præbent, delectantes domi, non impedientes foris; imò pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.

a *Tom. 6. Surij, 17. Nouemb. cap. 8.*

Sacrorum codicum vtilitas.

Hinc

Hinc ſummus ille populi Sacerdos Iudaici, reliquuſq; cœtus, Spartiatis ſcribẽs, gloriabatur a *ſolatio ſe habere libros ſanctos, quos manibus tenerent*, tererentque. Quod quia probè cognitum habebat, tam ſacri initiator Ordinis BRVNO, hinc pientiſsimis ſuis ac lucidiſsimis Cõmentarijs, totum Dauidicum illuſtrauit Pſalterium, nec non & omnes Gentium Doctoris epiſtolas. De quibus in hæc verba haud quaquã aſpernãdi iudicis Theologus, Petrus Sutor, Doctorali etiã ipſe donatus laurea. *Scripſit*, inquit, *D. Bruno nobili ſtylo egregiam diuinamq; in Pſalterium expoſitionem, qua ſui autoris præſtantiſsimum ingenium, ſummamq; eruditionem oſtẽdit. Scripſit inſuper nobilem, fidelemq; interpretationem in epiſtolas D. Pauli, adeo clarè, ſubtiliter, copioſeq; vt omni laude maior, non iniuria eſſe putetur*. Sunt & aliæ aliquot non indoctę eiuſdem Beatiſsimi Patris noſtri lucubrationes; vti conſtare poteſt ex ijs, quæ ante annos plus octoginta, vno ſat magno volumine, Lutetiæ Pariſiorũ prælo ſunt impreſſæ Aſcenſiano, iamq; iterata vice, adiunctis ſimul & alijs quæ haberi potuerunt, recudendæ. Licet priuſquam eæ in meliorem redigi Synopſin queant, rogandi ſint nobis Viri docti, ac Monaſteriorum Prælati, vt ſi quæ inedita penes ſe habeant S. Brunonis ſcripta (quemadmodum & ex ſacro Anthonij Poſſeuini Apparatu, quædam Venetijs deliteſcere cognouimus, & in celeberrimi Clareuallenſis cœnobij bibliotheca nonnulla etiamnum adſeruari aliorum relatu intellleximus) ea benignè nobis

a 1. Machab. 12. 9.

Lib. 2. vitæ Cartuſ. Tract. 3. cap. 7. pag. 558.

bis communicare non detrectent. Stabit enim ſua liberalitati gratia, & vel leue beneficium ibit in poſteros.

§ XII. Sitne ſacer Brunonis Ordo, à ſede approbatus Apoſtolica.

FEciſſem iam finē Prælud ijs hiſce, ſi deeſſent qui calumniandi finem facerent. Quemadmodum enim extitêre olim, qui dicerent nulla huius rei certa atq; euidentia poſſe adferri documenta, ita etiamnum (proh dolor) reperiuntur, qui id vel certò adfirmare auſint, vel ſaltem in dubium reuocare. Quorum idcirco oblocutioni dubitationiue; finali hoc occurrendum erit paragrapho, ac veris certisq; documentis comprobandum; ſacrum Cartuſienſem ordinem, à D. Brunone ante annos admodum quingentos diuinitus inſtitutum, plurimorum quoque iam dudum Romanorum Pontificum placitis comprobatum. Cartuſianæ namque vitæ inſtitutum probatum eſſe, nemo ignorat, niſi qui diuinam eius originem compertam nō habet. Siquidem ad hoc cæleſtis vitæ genus inſtituendum, ſeptem Dominici gregis arietes diuina diſpoſitione delecti ſunt, qui per ſeptē ſplendidè radiantia ſydera, B. Hugoni ſecundū quietem apparentia, præſignificarentur. Quin & peruetuſti Cartuſianorū annales habent, a Victorem III. Romanæ Sedis Antiſtitem, per ſomnium vidiſſe, Deum Opt. Ter maximum ſuæ dignationi in vaſta illa Cartuſiæ ſolitudine, de qua b ſupra diximus, commorandi domicilium conſtruentem. Quamquam nonnulli dixerint,

De approbatione Ordinis Cartuſienſis à ſede Apoſtolica, conſule Gerſonem, qui ſcripſit Tractatum contra impugnantes; & Iacobū Iuuterbuyck.

a Petrus Sutor lib. vitæ Cartuſ. Tract. 3. cap. 2. pag. 63.

b § ſexto.

C cœle-

cæleſtem hanc viſionem præfato Hugoni Epiſcopo demonſtratam fuiſſe. Quam diſſonantiam facilè ſoluerit is, qui diuinum hoc portentum vtrique oſtenſum dixerit. Summo quidem Pontifici, vt Cartuſianæ vitæ primordia comprobaret; Hugoni verò Præſuli, vt magis magisq́; erga ſeptem hos ſuos clientulos, qui eius ſe directioni commiſerant, afficeretur, eiſque benè facere pergeret. Reperiuntur tamen, qui dicũt, Cartuſianum Ordinem ab Eccleſia toleratum duntaxat fuiſſe, nõ verò etiã approbatum. Qui, haud dubiè Eccleſiam Dei viui, quam a Apoſtolus *columnam ac firmamentum veritatis* non immeritò appellat, inertiæ, atque adeò etiam incuriæ turpiter arguunt. Inertiæ quidem, quod negligenter ſe habuerit, Ordinem ipſum tam longo temporis decurſu vbiuis locorum florentem, non reprobãdo, ſi reprobatione dignus erat. Incuriæ verò, quod viderit Cartuſianam familiam per totum penè terrarum orbem diffuſam, ac inſigni cum fœnore multiplicatam, nec tamen curauerit ipſam profligari atque eliminari (ſi id merebatur) ſed conniuendo diſsimulauerit, alieniſq́; peccatis perperam communicauerit. Quin immo, Concilium Baſileenſe Anno Domini M. CD. XXXI. inchoatum, diſertis verbis Cartuſienſem approbauit Ordinem; quod etſi partim confirmatum, partim reprobatum, ob Schiſma ibidem exortum, fuerit, Nicolaus tamen V. ſanctiones illas circa beneficia Eccleſiaſtica, aliaque id generis nonnulla poſtmodum ſuo calculo comprobauit: Licet interim Maiores noſtri de humana probatione ab initio non magno-

a 1. Tim. 3. 15.

magnoperè ſolliciti fuerint: prudẽter animaduertentes, non quæ certa, ſed quæ dubia ſunt, probatione indigere. Quippe qui probè cognitum haberent, pluribus in locis Iuris Canonici, eximia cum laude Cartuſianorum mentionem à S S. Pontificibus fieri. Primò namq; in Decretalibus de Cartuſianis agitur, maximè verò lib. 5. tit. de *Simonia*, cap. *per tuas literas*: vbi Innocentius III. Priori Cantuarienſi, de quodam Cartuſiano ſcribit, cuius hæſitationi conſulit. Similiter in eodem libro, Tit. de *homicidio*. Cap. *ſicut ex literarum*, vbi idem Pontifex Priori, & fratribus Cartuſienſibus ſcribit. Itidem in ſexto Decretalium, libro 3. de *decimis*, capit. *Statuto*, de eiſdem agitur. Quibus vna cum Ciſtercienſibus percipiendarum priuilegium decimarum conceditur. Porrò in Extrauagãtibus communibus *de regul. & tranſ.* ad reli. cap. *Viam ambitioſè*. Cartuſianorum quoque ſit mentio. Qui tanta illic, præ cæteris donantur Ordinibus, prærogatiua, vt religioſos mendicantes in ſuum conſortium ſoli admittere queant. Enimuero facer Cartuſienſis Ordo ab ipſis Summis S. Romanæ Eccleſię Pontificibus mirificè probatus, & (quod amplius eſt) egregiè commẽdatus reperitur. E quibus plus quàm tres & triginta enumerare licet, qui varijs priuilegijs, indultis, libertatibus, beneficijsq; Ordinem hunc condecorarunt, totq; ac tanta eidem contulerunt, quanta alteri nunquam dediſſe Religioni putantur, Quorũ equidem Bullæ originales vti in Maioris Cartuſiæ archiuo diligenter adſeruantur, ſic eorũ exempla de verbo ad verbũ in antiquis Ordinis ſta-

Adſignantur loca aliquot Iuris Canonici, in quibus Cartuſianorũ habetur mentio.

Cùm Cartuſiani, Ordines mendicantes ad ſuũ queãt admittere inſtitutum, dubium non eſt, quin à Sede Apoſt. approbati ſint. Alias ſequeretur &c.

Enumerantur hîc triginta Romani Pontifices, qui Cartuſ. Ordinem peculiaribus aliquot donarunt, honorarumque Priuilegijs ac indultis, idque iam ante annos plus centum.

tutis prælo edita ac typis promulgata reperiuntur. Sunt autem Pontifices, quorum illic Priuilegiorum fit mentio, hi ſubſequentes: nempe, Alexander III. Lucius III. Vrbanus III. Clemés III. Cæleſtinus III. Innocentius III. Honorius III. & IV. Alexander IV. Clemens IV. Innocentius IV. Gregorius IX. & X. Clemés V. Ioannes XXI. & XXII. Nicolaus IV. Clemens VI. Innocentius VI. Vrbanus V. Gregorius XI. Clemens VII. Benedictus XIII. Bonifacius IX. Vrbanus VI. Martinus V. Nicolaus V. Pius II. Sixtus IV. Alexander VI. quorum verba ac teſtimonia ſubinde in medium profert Dorlandus li. 4. Chronici ſui Cartuſienſis, cap. 3. nec non & Petrus Sutor lib. 2. vitæ Cartuſianæ, Tractat. 3. cap. 2. fol. 466. & ſequentibus. In quo quidem capite ex profeſſo agit de ſextuplici Cartuſianæ vitæ approbatione, ſcilicet Diuina, Synodali ſeu Eccleſiaſtica, Iuridica, Pontificia, doctrinali, ac rationali; quem ibidem copiosè hac de re diſſerentem conſule. Nos etenim qui NOTAS tantùm ac ſuccinctas ſolummodò ELVCIDATIONES molimur, breuitatis ſtudio beneuolo Lectori commendati eſſe, cupimus.

Nonnulli Pontifices varias Ordini ædificarunt Cartuſias.

Cæterùm, nonnulli Romanorum Pótificum, nec probatione, nec commendatione, aut priuilegiorum conceſsione ſatis contenti, vt paternum erga præfatum Ordinem affectum euidentius oſtenderent, atq; orbi Chriſtiano teſtatius facerét, quaſdam ipſius Domos conſtruxerunt, atque egregijs ædificijs non minus quam ampliſsimis annuis redditibus exornarunt, dotaueruntque. In quibus eſt Vrbanus V. qui vnam e x præcipuis Romanę Vrbis Eccleſijs; nempe S.

Crucis in Hieruſalem, Cartuſianis incolendum adſignauit, qui tamen ante nõ multos annos, ob loci inconuenientiã auramq́;, minus ſalubrem, ad Thermas ſe recepêre Diocletianas, vbi nunc multò & ſalubrius & commodius, quietiuſque cõmorautur. Innocentiũs quoq; Tertius, quandam in honorem Diui Bartholomæi Cartuſiam erigi curauit. Nec non & Ioannes XXII. Domũ *boni paſſus* Ordini Cartuſienſi, ſuper Durentiam propè Auinionem, in qua & tumulatus eſt, cõdidit. Similiter & Innocentius iſtius nominis VI. vltra Rhodanum iuxta Auinionem in villa noua eidem Ordini Cartuſiam erexit, *Vallem benedictionis* nuncupatam: in qua humo quoque mandari voluit, ac ſepeliri. Inſuper & *alij complures Summi Pontifices* (verbis vtor Dionyſij noſtri Rickelij) *ad reparationem & reſtaurationem Domorum quarundam Ordinis Cartuſienſis delictarũ, multa contulerunt ſubſidia, aliorumque Ordinum monaſteria quædam deformata, collapſa, ac deſolata, huic Ordini incorporarunt.* Quin & alij eximij aliquot diuerſarum Prælati Eccleſiarum, Principes quoq; ſpectatæ probitatis cõplures; vtpote Reges Franciæ, Angliæ, Bohemiæ, Hungariæ, Arragoniæ, varias ſuis in regnis Cartuſias conſtruxerunt. Quod nunquam vtique attentaſſent, niſi Ordinem ipſum ſanctum, probatum, confirmatumque, exploratè cognitum habuiſſent.

Libro de preconio ſex laudo Ordinis Cartuſ. Artic. 7. in fine.

Vnde non de nihilo profecto eſt, quod Thomas Bozius, vir equidem præſtanti doctrina, ſumma eruditione, atq; ingenio, iudicio, literarumque monumentis cum primis celebris, huiuſcemodi encomium de ſacro Cartuſienſi

ordine, eiuſdemq; primo initiatore, ac reliquis nonnullis Viris eiuſdem familiæ doctiſsimis, iam olim hiſce verbis, quibus etiam noſtra hęc Præludia cōcludemus, protulerit: ſic enim ait: a *Bruno Colonienſis, vir cælo delapſus, cœtus talium hominum ſolitariorum primus ab Orbe condito auſus eſt inſtituere, maxima Germanicæ nobilitatis laude: vt eſſent ſcilicet, qui ab omnibus rebus terrenis omninò abſtracti, toti in rerum diuinarum contemplatione & obtutu defigerentur. Quamuis Romualdus etiam hoc ſit aggreſſus; ſed non tanto, vt apparet, vel exitu vel conatu. Hoc autem Bruno feliciter eſt aggreſſus, vt non in Cartuſia ſola (agri Gratianopolitani loco) hoc perfecerit, verum etiam in Anglia, reliqua Gallia, Germania, Italia, Hiſpania, aut ſi quæ ſunt aliæ regiones, quæ Conuentus habeant huiuſmodi Virorum celeberrimos. Neq; verò vna ætate aut ſeculo id ille diuino eſt munere aſſecutus, vt inſtituti ſui plurimos diuerſis in locis imitatores habuerit; ſed quinq; iam ſecula exacta numeramus, quo tempore innumeri prodierunt tantæ laudis Viri ex Ordine ipſius. Hinc factum, vt pauci ordines Religioſorum ſint, qui tot è ſuis ciere poſſint, à quibus adeò cæleſtium contemplandorum ratio ſit illuſtrata, vt à ſcriptoribus Cartuſianis &c.* Atq; vt omittamus alios, referamus ſolos Germanos, neq; omnes tamē, ſed ætati noſtræ propinquiores. Igitur quales, quæſo, quantiq; Ludulphus Saxo, Henricus de Coëſfeldia, Ioannes Teneremundanus, Her-

a Lib. 22. de ſignis Eccleſ. cap. 3 ſigno 35. pag. 1037. vlt. edition.

Cartuſianus Ordo vltra quinq; floruit ſecula.

Recenſentur Cartuſiani aliquot Ger-

Hermannus de Petra, Henricus de Haſſia, Gerardus Stredanus, Bartholomaus Ruremundanus, Iacobus Iunterbuy kius, Iacobus Moſander, Dionyſius Rickelius, Ioannes Haghen, ſiue de Indagine, Iacobus Gruytroedius, Henricus de Piro, Henricus Prudens, Henricus Arnoldi, Ioannes de lapide, quē Trithemius inter præcipuos Gymnaſii Tubingenſis (vtinam hæc Schola etiamnum hoc ſeculo conſimilis & fidei & pietatis ſcriptores proferret) *ponit auctores: VVernerus inſuper Rocleuinckius, Laurētius Surius, Ioānes Lanſpergius?* *mani, literarum monumentis celebres.* Quos quidem Viros omni vitę ſanctimoniæ, atque eruditionis laudę præſtantes Bozius nominatim cùm percenſuiſſet, & Cartuſianæ vitæ præconium proſequens, hæc totidem demum verbis ſubiungit: *Iure attribui poſſe videtur Cartuſianorum familijs, quod nunquam ſic eorū mores à primaeua inſtitutione ſunt collapſi, vt eorum leges in deteriorem faciem, nedum viuendi normam, ſint immutata. Quod multis Ordinibus non ita contigit, qui longè ab antiqua puritate, vel ſaltem vitæ auſteritate, viſi ſunt deflexiſſe.* Huc vſque Bozius, non quidem profeſsione Cartuſianus (ne quis tam eximiam Cartuſienſis Ordinis laudem ſuſpectam habeat, ſi à domeſtico proferatur) ſed congregationis Oratorij Præsbyter, cui nihil cum Ordine noſtro commune aut familiare eſt. Et hæc quidem pro elucidatione libri huius primi Chronici Dorlandi ſufficiant.

ELVCIDATIONES, SEV NOTAE IN LIBRVM II. CHRONICI CARTVSIENSIS.

§ I. Argumentum huius Libri.

QVemadmodum totus liber primus in enarrandis rebus, à D. BRVNONE præclarè ſanctéq; geſtis conſumitur; ita hic ſecundus qui conſequitur, nil niſi B. HVGONIS Gratianopolitanæ Eccleſiæ admirandæ ſanctitatis Antiſtitis, Vitam moreſque complectitur. Quæ quidem omnia Dorlandus compendiosè excerpſiſſe videtur ex ijs, quæ D. GVIGO, quintus Maioris Cartuſiæ Præfectus, iuſſu ac voluntate Innocentij Papæ II. literis conſignauit; quæ vti Tomo ſecundo Surij ſub die 1. Aprilis ad lõgum reperiuntur, ita minori quoque illuſtratione opus habẽt. Vnde cùm in ſuperioribus aliquantò diffuſius prima Ordinis incunabula proſecuti ſumus, hîc eò iam nunc ſuccinctiores erimus.

§ II. Etſi complures in Ordine Cartuſiẽſi exſtiterint HVGONES, hũc tamen Gratianopolitanæ Eccleſiæ Antiſtitem prę cęteris celebriorem fuiſſe habitum.

Quinque Hugones, in ordine Cartuſienſi celebres.

FAteor equidem, complures primæua Ordinis ætate, vel ſaltem non longè poſt, floruiſſe in eo Hugones. Fuit enim ex primis D. BRVNONIS ſocijs Hugo quidam, quem, quòd ſolus inter

Inter eos Sacerdotio initiatus eſſet, Capellanũ vocitabant. Fuit deinde & alius, qui B. HVGONI Gratianopolitano in Epiſcopatu ibidẽ ſucceſſit, & poſtmodum Archipiſcopatui Viennẽſi in Gallijs præſedit. Quin & Lincolnienſ. celebris Anglicani regni Eccleſia, Hugonem Epiſcopum, de quo in libro 3. Dorlandus agit, concelebrat. Ne quid interim taceam de quarto illo, qui poſt GVIGONEM, totius Ordinis Generalatum biennio tenuit. Verum illius, quo de hìc agimus, cùm laus ac nominis fama lõgè ſit celeberrima, vtpote Ordinis promotoris, directoris, adiutoris ac D. Brunonis Mecenatis optimi, hinc cæteris ſuis reſeruatis locis, de hoc ſolo nobis pertractandũm eſt. Huius autem virtutes breui compendio ita noſter perſtringit *a* Dorlandus: *Si laudatur caſtitas, quis illo mundior? Si ſermonis veritas, quis in loquendo cautior? Si Dei Charitas, quis feruentior? Si dilectio proximi, quis benignior? Si humilitas, quis deiectior? Si eleemoſyna, quis largior? Si oratio, quis deuotior? Si lachrymorum gratia, in quo effuſior? Si contemplatio, in quo ſublimior? Si tolerantia, quis in tribulatione fortior? Si iuſtitia, quis diſtrictior? Si prudentia, quis circumſpectior? Si deniq; temperantia, quis moderatior?* Quas tamẽ ſanctiſsimi huius Præſulis virtutes, iam olim totidem verbis dudum ante recitat *b* Anthoninus; & ante eum Vincentius in ſpeculo hiſtoriali; nec non & Guigo in eius vita apud Surium §.7.

In vita S. Brunoni apud Surium §5.

II.

De quo Dorlandus lib. 4. cap. 8.

III.

IV.

V.

Primariæ D. Hugonis Gratianopolitanæ virtutes.

a *Lib. 1. cap. 7.*

b *In Hiſtoria parte 3. Tit. 15. cap. 22. in princip.*

§ III. An B.HVGO ex Cartuſiano, factus ſit Epiſcopus; an verò ex Epiſcopo Cartuſianus.

DE primo paragraphi huius membro nunquam mihi in mentem venit, vel leuiter ſaltem ambigere, niſi quod apud *a* Volaterranum repperi, B.Hugonem ex D.Brunonis ſocijs vnũ fuiſſe, ac primũ Cartuſienſis inſtituti Abbatem, deinde verò Præſulem Gratianopolitanũ effectum: quorum nec hoc, nec illud verum eſſe poteſt. Neq; enim hic B. Hugo vel Cartuſianæ religionis Præfectus (Abbatem ipſe nuncupat) nunquam fuit, vel ex Præfecto deſignatus Epiſcopus, ſed potius contrariũ egiſſe putatur, vt nimirum Epiſcopalis officij ſarcina reiecta, atque in alios tranſlata, Carthuſianæ ſe quieti dederet. Nam illum Anno Domini octogeſimo ſupra milleſimum (tunc autem necdum vllum Ordinis huius fundamentũ collocari erat cœptum, ſed biennio pòſt) in Auinionenſi Concilio creatum fuiſſe Epiſcopum, accuratiſsimus noſtræ tempeſtatis Eccleſiaſticorum ſcriptor Annalium, teſtis mihi eſt Baronius: ſic.n. ait: *b Hugonem Dienſem Epiſcopum* (fuit hic aliquãdiu Sedis Apoſtolicæ in Gallijs legatus) *trãſlatum fuiſſe in cathedram Lugdunenſem, & creatum eius ciuitatis Archiepiſcopum, teſtantur acta* S. HVGONIS *Epiſcopi Gratianopolitani. In quibus pariter habetur, hoc anno*(nẽpe 1080) *ab eodem Hugone eſſe celebratum Conciliũ Auinionenſe, in quo inter alia reperitur, creatum ibi fuiſſe* S. HVGONEM *Epiſcopum Gratianopolita-*

a Lib. 21. Anthropologiæ pag. 478. Lapſus Raphael. Volaterrani.

b *Ad annum* Dom. 1080. *num. 78.*

Tom. 2. Surij 1. April. §. 3.

polita-

politanum: quem ponit ſediſſe annos quinquaginta duos, diemq́; obiiſſe, Anno Domini milleſimo centeſimo trigeſimo ſecundo.

An B. Hugo Cartuſianæ vitæ inſtitutum ſit amplexus, illorumque donum habitu?

Cæterum, an hic B. Hugo Cartuſianam quoque incolere cum D. Brunone, viro ſibi intimè charo, ſolitudinē cœperit, non abnuit vel idem Baronius, vel etiam vetuſtiores aliquot probatæ fidei Scriptores: inter quos cum primis eſt Sigebertus Gemblacenſis, qui eodem cum Hugone ſeculo in viuis fuit. Cuius hæc ſunt verba; BRVNO *natione Theutonicus ex vrbe Colonia, literis apprimè eruditus, Rhemenſis Eccleſiæ Canonicus, & Scholarum Magiſter, relicto ſeculo, heremum Cartuſiæ fundat, propoſitumq́; monaſticæ conuerſationis ſatis arduum inſtituit. Cuius ſancti propoſiti cooperator & æmulator* HVGO *Gratianopolitanus Epiſcopus, ab eodem Brunone habitum Monachicum ſumpſit, cunctiſq́; ibi habitantibus inſigne exemplum præbuit.* Cuius ſententiæ non inuitus quoque adſtipulatur Nauclerus, ad annum Dom. 1086. Generatione 37. fol. 733. Et Chriſtianus Maſſæus; dicens, Ordinem Cartuſienſem initium ſumpſiſſe à D. BRVNONE, cooperante B. Hugone Gratianopolitano Pontifice, *qui tandem relicto* (inquit) *Pontificatu; ſub ipſo* BRVNONE *factus eſt Monachus.* Quo pacto verò ante obitum Pontificatui renuntiauerit, & alium quendam eiuſdem ſecum nominis ſibi ſubſtitui curauerit, non ſilet is, qui vitam eius ad poſteros, fide ſanè quàm optima, tranſmiſit; epiſtola nimirum ad Innocentium Papam II. idque hiſce potiſsimum verbis: *Hugo*

In Chronico, ad annum Dom. 1084.

Lib. 16. Chronicorum Mundi.

ex

Guigo in prologo vitæ S. Hugonis. Tom. 2. Surij 1. April.

ex nobis Monachus, ita ei (huic nimirum Gratianopolitano Hugoni) *In Eccleſiaſtico regimine ſucceſſit, vt propter diuturnam ac vehementem infirmitatem ipſius, in eius locum, ipſo petente, veſtraque pietate iubente*, priuſquam obiret ipſe, conſecraretur. Neque verò etiam Raphael Volaterranus infiicias ire audet, quin hic B. Hugo Gratianopolitanus, & habitu & profeſsione noſtras fuerit. Quod tamen aliquanto expreſsius teſtatur peruetuſtus quidam autor, qui carmine res geſtas D. BRVNONIS eſt proſecutus, hiſce nimirum verſibus:

Inuenitur in operibus D. Brunonis ad finem.

Hugo autem nuſquam potuit deſiſtere cœptis,
Quos ſemel adiuuit, fouit quoq; ſemper & auxit,
Iugiter inter eos ſtuduit conſiſtere, clauſtro
Conditus, albentes tunicas quoq; ſumpſit ab illis.

Lib. 2. cap. 2. Pag. 39.

Ita namq; in plurimis antiquiſsimis licet picturis cernere; fateturque ipſe inſuper Dorlandus, Guilhelmũ S. Theofredi Abbatem ſubinde conqueſtum D. Brunoni, B. Hugonem qui tunc eandem tecum cellam incolebat (bini quippe, ob domiciliorum defectum, ſimul habitabant) tam humiliter in Cartuſia vixiſſe, vt omnia fere ſibi ſeruitiorum genera, alternis vicibus obeunda, præriperet. In tantum namq; deuotus optatam illam Cartuſianam ſolitudinem incolebat, & ſedulus, vt eum M. Bruno nonnunquam exire compelleret.

§ IV. De virtutibus ac moribus Sanctiſſimi huius Præſulis Hugonis.

ETſi breui (vt ſupra memoraui) compendio, eximias præſtantiſsimarum virtutum opes, quibus

quibus beatiſsimus Antiſtes à Deo bonorũ omnium largitore cumulatus fuerit, Dorlandus perſtringat, ſumma tantum ſecutus faſtigia rerum, attamen haud quaquam ſilet, quàm innocenti pueritia adoleuerit, quàm inuitus ad Epiſcopalis apicem dignitatis aſcenderit, quàm in corrigendis deprauatis cleri moribus inuigilauerit, quàm verus in verbis, quàm conſtans in factis fuerit, quàm erga D. Brunonem, eiuſq; ſocios, humanus, quàm in excipiendis aliorum confeſsionibus benignus, quàm in peruigili ſolitariæ vitæ cultu ſtrenuus ac demiſſus, quam deniq; in Epiſcopatus reſignatione promptus ac alacer; adeo vt neque alij quidem Eccleſiaſticarum Scriptores hiſtoriarum, tam admirandas eius virtutes ſilentio inuoluere potuerint. Commemorat namq; illius laudes *a* Vincẽtius in Speculo, *b* Anthoninus in Chronico, *c* Volaterranus in Commentario; tribuens hoc eius commendationi, quòd totos quinquaginta annos nunquam curiosè alicuius faciem conſpicere mulieris voluerit: exemplo nimirũ B. Iobi, *d pangentis fœdus cum oculis ſuis, vt ne cogitaret quidem de virgine.* Nam cùm impudicus oculus, impudici cordis (teſte Auguſtino) ſit nuntius, hinc peccati *e* mors, facilè per haſce ſolet oculorum irrepere feneſtras. Vnde volens B. Hugo tam ſuæ conſulere ſaluti, quàm ſubditorum ſuorum omnium vtilitati pariter ac ędificationi, diligenter ſibi à mulierum familiaritate cauit; ſciens nec Sapientem, nec Prophetam, nec Iudicem, nec hoſpitẽ Dei, nec filios, nec ipſum manibus Dei formatũ prothoplaſtũ, potuiſſe euadere blanditias,

a Lib. 27. ſpeculi hiſtorial. cap. 8.
b parte 2. Tit. 15. cap. 22. §. in princip.
c *Lib. 21.*
d *Iob 31. 1.*
e *Ierem. 9. 21.*

ditias, vel fraudes mulierum; ne dum ſi Clerici illarum familiaritati, aſpectui, frequentioriq; colloquio ſeſe importunè ingerant. Quos quidem meritò D. Bernardus, qui eodem cum B. Hugone ſeculo vixit, illique perquam familiaris extitit, hiſce increpat verbis: *Cum fœmina ſemper eſſe, & non cognoſcere fœminam, nonne plus eſt, quam mortuum ſuſcitare? Quod minus eſt non potes, & quod maius eſt, vis credam tibi? Quotidiè latus tuũ ad latus iuuenculæ eſt in menſa. Lectus tuus ad lectum eius in camera, oculi tui ad illius oculos in colloquio, manus tuæ ad manus ipſius in opere, & cõtinens vis putari? Eſto vt ſis, ſed ego ſuſpitione non careo. Scãdalo mihi es, tolle ſcandali cauſſam, quo te probes verum, vti iactitas, Euangelij æmulatorem. Qui ſcandalizauerit vnum de Eccleſia, nonne Euangelium condemnat illum? At tu Eccleſiam ſcandalizas.* Verum vti hæc hactenus, ſic iam nunc ad obitum ſacratiſſimi huius Præſulis acceleremus.

Serm. 65. in Cant.

§ V. De obitu illius, ac canonizatione.

a Lib. 27. Speculi hiſtorialis cap. 12.
b part. 2. hiſt. tit. 15. ca. 22. in princip.
c Lib. Chron. Cartuſ. cap 8. pag. 66.
d Tom. 11. annal. anno 1080. nu. 78.

COnſentiunt in eo autores omnes, B. nimirum Hugonem migraſſe è corpore anno ab incarnatione Dom. milleſimo centeſimo triceſimo ſecũdo, ætatis porrò ſuę ad minus octogeſimo[?], menſe 4. conſecrationis autem ad minus quinquageſimo ſecundo. Ita namque pari conſenſu ſcriptum reliquere *a* Vincentius, *b* Anthonius, *c* Dorlandus, nec non & *d* Baronius ipſe. Obijt autem Calendis Aprilis, ſexta ante Palmarum Dominicã feria, circa gallicinium, vir

nimirum

nimirum inter ſui æui Epiſcopos r rum præclarè geſtarum gloria celeberrimus. De cuius vitæ ſanctimonia Innocentius Papa II. vtpote teſtis oculatus, huiuſcemodi protulit teſtimonium: *Diuinis reſpondentes beneficijs, cognita vita eius, & auditis, quæ per B. Hugonis merita fiunt, miraculis, ſupernæ maieſtatis clementiam collaudauimus, & Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Cardinaliũ, atq; aliorum qui nobiſcũ aderant, cõmunicato conſilio,* IPSVM INTER SANCTOS ET ELECTOS HONORARI PRAECEPIMVS, *& diem eius cum gaudio ſolenniter celebrari.* Reliquit autẽ Epiſcopatus ſui ſucceſſorem alium quendam eiuſdem & inſtituti & nominis, vti ſupra §.1. à nobis commemoratum eſt, Præſulem per quam eximium, vti ante obitum diu multumque deſiderauerat, ac ſummis imisque precibus impetrauerat. Porrò B. Hugonis memoriam poſteris annis ſingulis rediuiuam, celebrans eius natalem Kalendis Aprilis S. Eccleſia Catholica, in Eccleſiaſticis tabulis, eiuſcemodi verbis, religiosè conſeruat. *Gratianopoli S.* HVGONIS *Epiſcopi, qui multis annis in ſolitudine vitam exigens, Cartuſianorum primus hoſpes fuit, ac comes, &* MIRACVLORVM GLORIA CLARVS, MIGRAVIT AD DOMINVM.

In Epiſt. ad Guigonem, Maioris Eccleſiæ Præſ.... ſtum; qua præcipit illi, vt vitam D. Hugonis litteris fideliter conſignet.

Tom. 2. Surij 1. Aprilis.

Relatus eſt in numerum Sanctorum, non longè poſt obitum.

Succeſſit illi in Epiſcopatu alius quidam Hugo, æquè Cartuſianus.

In Martyrol. Romano, iuſſu Grego. XIII. recuſo.

§ VI. Quæ nam Cartuſiæ, atq; alia religioſorum domicilia, B. Hugone viuente atque auxilium fertẽe, erectæ conſtructæque ſint.

NOn ſatis habuit B. Hugo, quod D. Brunoni, eiuſdemque ſocijs Maiorem adſignaret inhabitandam Cartuſiam, verum etiam alia nonnulla religioſorum voluit promouere domicilia. De quo ita Guigo in eius vita: *Vt enim taceamus, quæ Clero pariter & plebi per eum bona prouenerunt, heremus Cartuſiæ, Caleſienſis Abbatia, Excubiarum heremus, Regularium Canonicorum apud Miſerenum, & apud S. Georgium domus, ipſo adnitente cœperant, ipſo ſpiritaliter & corporaliter fouente profecerãt.* Itaque hæ pro antiquiſsimis ordinis habentur domibus: nempe in primis ipſa Maior Cartuſia; item domus illa Calabrina, quæ nunc SS. Stephani ac Brunonis nomine gaudet. Domus itẽ Excubiarum, Montis Dei, ac Maioreui, necnon & Portarum. Nam ſicuti D. Bernardus ad fratres montes Dei inſignẽ de vita ſolitaria ſcripſit epiſtolam, ita & Petrus Cluniacenſis Abbas, qui eadẽ vixit ætate Maioreuicæ meminit Cartuſiæ. Domus verò Portarũ, quæ & ipſa in Burgundiæ partibus ſita eſt, ſemel aut iterũ fit mentio in vita S. Anthelmi, Bellicenſis Epiſcopi. Cæterarum verò primarium ordinis Domorum antiquitatem, ſitum ac elegantiam, tũc accuratiori licebit calamo depingere, cùm illarum Primates, qui hac tempeſtate ijs præſunt zelo Dei ac ordinis inflammati, benigna manu ſubſidium nobis cobis contulerint.

Tom. 2. Surij 1. April. §. 17.

Monaſteria eius opera conſtructa.

Lib. 6. Epiſt. 25.

Tom 3. Surij, 26. Iunij, § 2. & 10.

ELV-

ELVCIDATIONES, SEV NOTAE IN LIBRVM III. CHRONICI CARTVSIENSIS.

§ I. Argumentum huius libri.

SIcuti liber ſecundus vitam B. Hugonis Gratianopolitani compēdioſè deſcribit, ita iam nunc tertio hoc libro eximiæ quædam virtutes D. Hugonis Lincolnienſis à Dorlando enarrantur: quæ tamen multo copioſius Tom. 6. Surij 17. Nouemb. reperiuntur, extracta nimirum ex quinq; illis libris, quos de beatiſsimi huius viri vita ſcripſit anonymus quidam, qui aliquot annorū curriculo familiariter cum eo vixit. Quos equidē manuſcriptos, in noſtra hac Colonienſi Bibliotheca, inſigni antiquorū ſimul ac recentium librorum ſuppellectili inſtructa, ſtudioſè adſeruamus.

§ II. Ex quibus auctoribus res geſtæ ſanctiſsimi huius viri petendæ expiſcandæque ſint.

DE hoc ita *a* Molanus in Notis ad Martyrologium Vſuardi: *Hugones Cartuſianæ vitæ duo in Catalogo Britannico nominantur Scriptores: Syluester nimirum Giraldus, Cambrenſis, qui claruit anno Domini 1210. & Adamus Cartuſianus, Doctor Theologus; qui claruiſſe fertur anno* 1340. Adſerit quoque idem Molanus, quinque integros manuſcriptos extare, ac penes Cartuſianos reperiri libros de rebus geſtis huius B. Hugonis: quorum equidem

a Die 17. Nouemb.

D libro-

librorum in ſuperiori memini §. atque ex ijs videtur Dorlandus ſuos hoſce decerpſiſſe racemos. Quin & [a] Petrus Sutor multa quoq; præclara de hoc B. Hugone recenſet. Similiter & integris aliquot annorum centurijs ante illum [b] Matthæus Pariſius, in hiſtoria ſua Anglicana, ad annum Dom. M,C C. *Huius quoque admirabilis viri geſta continentur paſſimq́ue habentur* (verba ſunt Molani) *præſertim in eo opere, quod Archidiaconus Lincolnienſis de ſanctis mirandisq́; Actibus, ac miraculis eius ſcripſit.* Quod tamen nobis videre, aut legere necdum licuit; etſi eius meminerit Petrus Sutor, pag. 521. lin. 3. à fine.

a *Lib. 2. vitæ Cartuſ. Tract. 3. cap. 5. fol. 5. 17. & ſequentib.*

b *Eſt impreſſus in fol. anno 1606. apud Andreã Cambierum in Helvetijs.*

§ III. Primariæ aliquot virtutes B. Hugonis; cuiuis religioſo comprimis neceſſariæ.

QVanto cum feruore homini religioſo melioris vitę capeſſenda ſit ſemita, liquet maximè beatiſsimi huius viri exemplo, qui ad Sacerdotium [a] promotus, deuotiſsimè tanti ſoluit debitum officij; adeo vt induci non quiuerit, etiam ne in maximo quidem periculo, quò preces horarias aut præueniret, aut differret: quod etiam vſq; ad vitæ finem exactè ſeruauit. [b] Cùm enim aliquãdo cum Prælatis quibuſdam in itinere conſtitutus, moneretur vt ante lucem ſurgẽtes, loca prædonibus infeſta necdum diluceſcente aurora furtim præterirẽt; quò, inquit, *ibimus, Matutinis necdum precibus abſolutis?* Illis autem reſpondentibus, nunc properandum, & poſtea de illarum recitatione cogitandum, periculum namq; eſſe in mora, & parum abeſſe quin capian-

a *In vita ipſius apud Surium cap. 4.*

b *Surius ibidem cap. 22.*

capiantur. Ad quos ille: *qui capit, ait, capiat; & qui timet, timeat. Ego hinc non exibo, donec ſolito more preces matutinas perſoluero.* Sed quid quæſo contigit? illi itinere mox ſeſe accingentes, in prædones incidêre, Epiſcopo eadem via, lectis precibus paulo poſt innocuè proficiſcēte. c Solebat quoque idem B. Hugo ad ędificationem ſuorum dicere, *poſtquam Cartuſianæ vitæ inſtitutum amplexus eſſet, vix ſemel ſibi morantiæ negligentiam* (* Morantiam vocant Monachi, eiuſmodi negligentem incuriam, ob quam fratrum Conuētus moram aliquam ſuſtinere, ac cum tædio expectare cogatur) *ſubrepſiſſe.* Quàm verò ſtudiosè voluerit religioſos omnes à mūdanis abeſſe colloquijs, ſeculiſque rumoribus indagandis, patet ex eo, quod aliquod veniēs ad Cartuſiam d Arueriam (eſt quoque hæc vna ex antiquioribus) ea videlicet tempeſtate, cùm iam paulo ante ante longum illud iter confeciſſet, in quo pacem conciliauerat inter Franciæ, & Ioannem Angliæ Reges, interrogatusq; de modo initæ pacis, reſpōderet; *Rumores audire & referre, etſi liceret Epiſcopis, Monachis tamen non licere.* Porrò tam fuit in precibus, deuotisq; ſuſpirijs aſsiduus, vt etiā dormiens e creberrimè ſubmurmuraret, *Amen, amē,* tanquam præmiſſę orationis clauſulam. Si ſolus in cella ederet, liber expanſus ante oculos ſemper fuit: f refectorium verò diebus Dominicis ingreſſus, prout cæteros docuit, oculos in menſa, manus in ſcutella, aures ad librum, cor ad Deum habebat. g Pacis verò amator & conſeruator in tantum fuit, vt bono pacis in hac vita nihil præferendum, nec ſeditionis & turbatio-

c *Ibid. ca. 4.*

* *Facit hoc ad explicationem loci iſtius marginalis, qui pag. 74. Dorlandi reperitur.*

d *Ibid. cap. eodem.*

Mira orandi eius aſsiduitas.

e *cap. 8.*

f *Ibid.*

Optima ſunt hæc documēta pro religioſis.

g *Cap. 12.*

Studioſiſſimus eſt pacis & concordiæ. nis peſte quidquam amplius fugiendum adſereret. Itaque quoſlibet indifferenter monebat Prælatos, vt vnitatis & concordiæ vinculũ ſuis cum ſubditis inuiolabiliter conſeruarent: ſi facerent, nunquam internã pectoris ſecuritatem perderent, quæ ſempiternam nobis tranquillitatem conciliat. *h* De ſingulari eius cura & ſollicitudine erga mortuorum ſepulturam, id cõpertiſsimum eſt, tam in Nouo quàm Veteri Inſtrumento vix quenquam illi in hoc humanitatis ſtudio fuiſſe quodammodo parem, ne dum ſuperiorem: adeo vt non immeritò de illo dicatur; *ſi plures reperiſſet, plures ſepeliſſet*. Atq; ideo ipſe quoq; tam celebrem poſtea meruit ſepulturam, vt & *i* Reges & Archiepiſcopi eius feretro humeros ſupponere ſuos magnoperè geſtierint. Magna inſuper ſubditos beneuolentia & humanitate proſequebatur; præcipue verò peccatores, quos tanta commiſeratione, vt ſanguinem pro eorum ſalute, ſi opus fuiſſet, profundere non dubitaſſet. *k* Fuit verò non minus zeloſus, contra quoſlibet alios pauperum oppreſſores, Eccleſiaſticæq; libertatis violatores, quos indifferenter abſq; vlla perſonarum acceptione arguebat, admonebat, & ſi contumaces perſiſterent, etiam excommunicationis ſententia feriebat. Adeo vt etiam inter micantes gladios, nudo ſæpius capite ſteterit imperterritus, & ne ad momentũ quidem ab obiurgationibus ceſſauerit, vbicunq; id res, pro iuſtitiæ defenſione, poſtulare videretur. Cæterùm, Regi Richardo, qui Henrico in imperio ſucceſsit, eiq; maximas ſępè difficultates faceſſiuit, quanta cum dexteritate

h cap. 15. *Mortuis ſepeliẽdis ſtrenuè incumbit.*

i cap. 31.

k cap. 20. *Zelus eius aduerſus libertatis Eccleſiaſticæ violatores.*

Contemnit ſæpè mortem intentatam.

ritate, animiq; conſtantia, pro Eccleſiaſticæ libertatis immunitate, ſeſe oppoſuerit, ſuperfluũ fuerit hîc recenſere. Id etenim ex *l* Surio, & ex Dorlando, nec non & *n* Matthæo Paris, Angelicarum rerum ſcriptore, ſufficienter conſtat, adeo vt actum agere nolimus. *o* Quanta autem deuotione fuerit erga tremendum, terq; ſanctiſsimum altaris Sacramentum, ex hoc ſolo ſatis liquet, quod crebrò pius Dominus in forma ſpecioſiſsimi pueruli, ſacrificandi illi viſibiliter apparêre eſt dignatus: quod quidem religioſis quibuſdam perſonis diuino nutu non rarò intueri conceſſum fuit. Quemadmodum etiã ex Dorlando conſtare poteſt, cap. 8. pag. 96.

l *cap.* 16. 18. 19. 11.
m *cap.* 11.
n *Surius cap.* 27.

Chriſtus ſacris operanti in ſpecie puerulæ apparet.

§ IV. De eius ægritudine, morte, ac ſepultura.

Poſt longa tandem huius vitæ certamina, cũ iam tempus aduẽtaret tranſitus eius ex hoc mundo ad Patrem, acri febre correptus, magna cum animi fiducia dixit; *malè profectò nobiſcum ageretur, ſi nunquam moriendum foret.* Vnde in omni ſua ægritudine, quamuis violentiſsimè torqueretur, inuicto ſemper fuit animo, adeo vt medici ſtupefacti, dicerent; *reuera ſpiritus hominis huius, ſuſtentat imbecillum corpus eius.* Orationi deinceps mens eius intenta fuit. Eodem verò die quo Epiſcopus conſecratus fuerat, etiam ſacro delibutus eſt oleo; nempè ferijs B. Matthæi Apoſtoli, æquè ac Euangeliſtæ. Cum autem quintus decimus Kalendarum Decembris dies appropinquaſſet, lachrimantibus filijs dixit, vt funeri neceſſaria præpararent. Iuſsit quoq;, vt non Lõ-

Extremæ vnctionis Sacramentum percipit.

Iubet funeri neceſſaria preparari.

Non vult Londoniæ, ſed Lincolniæ in Cathedrali ſua Eccleſia ſepeliri.

doniæ vbi morbo corripi cœpit, humaretur, ſed vt Lincolniã in primariam ædem trãſlatus, ſepulturæ ibidem traderetur. Obijt verò circa annum Domini milleſimum ducenteſimum, cũ iam ſexagenarius eſſet, exegiſſetq́; in Epiſcopatu annos quindecim, menſes duos.

Sepultura eius perquam honorifica ac glorioſa.

Quam verò glorioſam habuerit ſepulturam, celebreſq́; exequias, non meis hîc verbis attexã, ſed potius vetuſti cuiuſdem rerum Anglicarum Scriptoris, nempe Matthæi Pariſij, Monachi Albanenſis, qui poſtquam eximias aliquot ſanctiſsimi huius Præſulis virtutes, ac res verè illuſtres enarraſſet, tandem ſubiungens; a *conuenerunt*, inquit, *ad colloquium apud Lincolniam Rex Anglorum Iohannes, & Rex Scotorum VVilhelmus, cum vniuerſa nobilitate tam Cleri, quã populi vtriuſq; regni vndecimo Kalendas Decembris. Et eodem die perlatũ eſt ibidem corpus Sanctiſſimi Hugonis Epiſcopi tumulandum: cui occurrentes Reges memorati, & tres Archiepiſcopi, Hubertus videlicet Cantuarienſis, Gaufridus Eboracenſis, & Bernardus Raguenſis, cum tredecim Epiſcopis, Comitibus & Baronibus, & Clericis infinitis, corpus ſanctiſsimũ ſuſceperunt. Quod ipſi Reges cum Comitibus, & cæteris Principibus portauerunt in humeris ſuis, vſq; ad atrium Cathedralis Eccleſiæ. Ad oſtium autem Eccleſiæ ſuſceperunt illud Archiepiſcopi præfati, & Epiſcopi: & ſic per miniſteriũ Prælatorum perlatum eſt vſq; in chorum, vbi honorificè eſt pernoctatum.* Sed ne quis miretur, cur Omnipotens Deus tam celebri ſepultura

a pag. 196. hiſt. Anglic.

Vt corpus S. Hugonis Lincolniam ad tumulandum ſit delatum.

Obſerua viri ſanctiſsimi corpus, qui Archiepiſcopi Regesq́ue reuerenter ſuſceperint, ceruicesq́ue eidem ſubiecerint.

pultura mirificare voluerit ſanctum ſuũ, adeò vt non inconuenienter verba poſsimus hîc aptare Prophetica, *& erit ſepulchrũ eius glorioſum*, is iam ſecum conſideret, quid nam ſacrilego iſti Iaſoni diuina perurgente vindicta euenerit, nêpe vt, *qui inſepultos multos abiecerat, ipſe quoq; illamentatus, & inſepultus abijceretur, ſepultura neq; peregrina vſus, neq; patrio ſepulchro participans*. Sic è contra, huic B. Hugoni omnes quos reperire potuit mortuos ſepelienti, tam glorioſa, præ cæteris aliquot Sanctis, ſepultura à Regib. ac Principibus, ab Archiepiſcopis & Epiſcopis, Comitibus ac Baronibus, clericis ac plebeis præſtita impenſaq; fuit. Quemadmodum etiam idem Matthias Paris ſubſequentibus hiſce teſtatur verbis. *Solebat hic Pontifex dum viueret, in mortuis ſepeliendis tam diligens humanitatis officium exhibere, vt nullam mortuum præteriret, cuius ſepulturæ miniſterium ſibi competens videretur. Vnde Dominus qui nouit retributione condigna iuſtorum merita remunerare, tam honorabilem ei exhibuit ſepulturam, vt honorem illum retribuiſſe ſupradicto merito videatur*. Officium namq; exequiarũ tanta celebritate peractum eſt, vt Epiſcopi lectiones, Abbates verſus ſeu reſponſoria recitarent. Ecce hoc tam inaudito ſepulturæ honore condignus eſt habitus B. Hugo, quem Rex cœli, qui ſibi arbitratur eſſe factum, quidquid vni ex minimis ipſius præſtatur, honorare voluit. Cuius epitaphium eiuſcemodi quoq; condecoratum eſt inſcriptione.

Eſa. 11.10.

2. Machab. 5. 10.

Pontificum baculus, Monachorũ norma, ſcolarũ
Conſultor, Regũ malleus. HVGO *fuit*.

§ V. De eiuſdem tranſlatione, atq; in Diuorum numerum relatione, celebriq; miraculorũ illuſtratione.

Honorius III. B. Hugonem Diuorum adſcripſit cathalogo.

Porro anno CHRISTI milleſimo ducenteſimo octogeſimo, qui fuit à Beati viri obitu ferè octogeſimus ſextus, pridiè nonarum Octobris, hoc eſt ipſo diuo Brunoni ſacro, corpus eius eleuatum tranſlatumque eſt; cùm iam ante ad inſtantiã Regis Angliæ, ab Honorio III. Pontifice maximo Diuorũ eſſet cathalogo adſcriptus. Agitur verò in Eccleſia natalis eius dies per annos ſingulos iugi memoria repetendus. De quo ita Romano in Martyrologio: In Britannia S. HVGONIS, Epiſcopi & Confeſſoris, qui ex Monacho Cartuſiano ad Eccleſiam Lincolnienſem regendam vocatus, multis claruit miraculis, & ſancto fine quieuit.

An Cartuſiani miraculis vnquam claruerint, vnde apud Sutorem, loco in textu deſignato.

Quæ verò hæc miracula ſint, quibus B. Hugo tam viuus quàm mortuus claruit, videat Lector apud Surium, in fine vitæ illius, & Dorlandum cap. 9. & 13. Matthæum quoque Pariſ. fol. 197. Petrum Sutorem li. 2. vitæ Cartuſ. Tract. 3. ca. 5. pag. 522. Cuius equidem verbis præſentem hunc concludemus paragraphum. *Tot, inquit, & tanta fecit. adhucq; facit miracula B. Hugo, vt non ſolum ad probandam eius ſanctimoniam ſufficere debeant, verumetiam ad repellendum eorum temeritatẽ, qui impudenter mentiuntur, nulla à Cartuſianis miracula fuiſſe edita.* Subdit verò rem etiam admiratione dignam, cuius tamen eò fidelior teſtis eſſe poteſt, quò pluribus annis Pariſienſi præfuit Cartuſiæ: in qua dicit imagi-

Imaginnem quandam huius beatiſsimi Præſulis adſeruari;ad quam languentes delati infantuli, priſtinæ valetudinis robur recuperent.

Cap. VI. Dorlandi, pag. 88. deſcribitur amplitudo Diœceſis Lincolnienſis, cuius Epiſcopatum egit B.Hugo;de qua cōſule Gerardi Mercatoris Atlantem, aliosque qui de re Geographica ex profeſſo ſcripsêre.

Eodem quoque capite, pag. 92. linea 4. dicitur B. Hugo lætus ad mortem acceleraſſe, ſicuti cygnus cantādo fati ſuperat horrorem. De quo vide Pierium Valerianū in Hieroglyphicis;nam cygnæus cantus etiam locum Prouerbio fecit; hinc Ouidius,

Dulcia defecta modulatur carmina lingua,
Cantator cygnus funeris ipſe ſui.

Cantat autem non ex triſtitia, vt ait Plato, ſed potius lætitia propinquante fato; vnde Cicero cygnos Apollini ſacros eſſe fabulatur, ob vaticinium finis eorum.Cygnus itaque allegoricè animæ probæ viri comparari poteſt, qui lætus mortem obit.

Cæterum quod in fine pag.91. dicitur:B.Hieronymum leonem pro ſolatio habuiſſe, mirum quibuſdam videri queat; cùm nō deſint qui explodant antiquam illam de leoni aſini cuſtode, fabellam. Tale namque de B. Hieronymo apud probatæ fidei Scriptores non facilè reperietur; quippe cùm illud (a) Geraſimo Abbati in Prato Spirituali adſcribatur. Quod tamen pictores paſsim Hieronymum adiuncto leone depingant, hyeroglyphicè haud malè poterit intelligi; vt quemadmodum b leo fortiſsimus beſtia-

a *Ioannes Miſſeus Euiratus,ca.*107. *Prati Spirit.*
b *Prouerb.* 30.30.

rum ad nullius expaueſcit occurſum, ſic ille intrepidè varijs ſe hæreticorum monſtris oppoſuerit, nempe Vigilantio, Heluidio, Iouiniano, & cæt. Vel quod in vaſtam Syriæ ſolitudinem ſecedens, quadriennium illic in diuinorum lectione librorum, cæleſtisq; beatitudinis contemplatione conſumpſerit, aſsidua ſe abſtinentia cōmacerans. Leonem enim B. Hieronymus Marco attribuit, qui Euangelium ſuum à ſolitudine auſpicatur. B. verò Aegydium ceruino aliquandiu lacte alitum fuiſſe, teſtantur illi, qui eius res geſtas bona fide conſcribunt, ipſumque adeo Breuiarium Romanum, die 1. Septemb.

De hyperico ſeu herba perforata.

CAP. IX. pag. 102. in med. fit mentio herbæ hyperici, quam illius eſſe virtutis mulieri cuidam, ab incubo infeſtatæ perſuadere voluit, vt immundum poſſet abigere ſpiritum: quæ an tali ſit facultate prædita, necdū apud vllum probatæ fidei medicum reperire licuit. Deſcribit quidem eam Mathiolus Senēſis, ſuis in Dioſcoridem doctiſsimis Commentarijs, verum profundum apud illū rei huius eſt ſilentium. *Naſcitur*, inquit, *frequentiſsima in Italia, & à perforatis folijs Perforata vulgo à noſtris nominatur; folia enim innumeris ſcatent foraminibus, vſque adeò munitis, vt viſum effugiāt, niſi ipſa folia Soli obiecta inſpiciantur: neq; altior dotrantali altitudine adſurgit, folijs ericæ, minoribus tamen, & ſubpinguibus, caulibus rufeſcentibus, odore ſuaui, ac grato.* De quo Plinius lib. 26. cap. 8. Hyperici verò vires memoriæ prodidit Galenus lib. 8. ſimplicium medicamentorum. Græcè vocatur ὑπερικὸν, Latinè perforata, Germanis Sant Johans Kraut.

Lib. 3. in Dioſcor. cap. 156. pag. 479 editionis Venetæ, anno 1558.

CAP.

CAP. X. Pag. 103, linea 3, à fine dicitur B. Hugo adinſtar Moyſi cornutam geſtaſſe faciem, quod nullatenus ſecundum literam debet intelligi, ſed quod ex frequenti orationis, hoc eſt, diuinæ collocutionis vſu, huiuſcemodi cælitus obtinuerit gratiam, vt qui cum illo ſermocinabantur, arbitrarentur vultum illius quaſi diuinum quendam præ ſe ferre ſplendorem: quemadmodum illi qui ſedentes in cõcilio, ac diſputantes cum a Stephano, *viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli*. Neque verò etiam arbitrandum eſt, Moyſen faciem verè cornutam habuiſſe, ſed potius radijs quibuſdam illuſtratam. Quod ex verbis ipſis potiſsimum intelligitur, quæ Hebraicè hunc in modũ b habent. v Moſce lo iadah chi karan hor panaiu beddabere ito; hoc eſt, & ignorabat Moyſes, quod cutis faciei ſuæ eſſet radians; vel vt alia habet litera, *ſplendida*. Non enim cornua è fronte egrediebantur, ſed & frons, & naſus, & mentum ſplẽdore quodam coruſcabant, radiabantq́ue. Vnde rectè admodum Septuaginta Interpretes hunc Exodi locum verterunt, Καὶ Μωϋσῆς οὐκ ᾔδει δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρωτὸς τοῦ προσώπου αὐτοῦ. *Et Moyſes ignorabat, quod glorificatus eſſet aſpectus cutis faciei ſuæ*. Rident itaq; nos, & execrantur Iudæi, quoties Moyſen Chriſtianorum in templis cornuta depictum facie conſpiciunt; quaſi nos eum diabolum quendam, vti ſtultè ipſi interpretantur, eſſe exiſtimemus.

a *Actor. 6. 15.*

An Moyſes habuerit faciem verè cornutam.

b *Exod. 34. 29.*

Videatur Hieronymus ab Oleaſtro in hunc Exodi locũ. Et Molanus de picturis & imagin. cap. 85.

ELV-

ELVCIDATIONES IN LIBRVM QVARTVM CHRONICI CARTVSIENSIS.

Argumentum huius Libri.

POſtquam tribus præcedẽtibus libris vitam duorum Præſulum Hugonũ Dorlãdus enarraſſet, & pręcipuè ipſius Ordinis initiatoris D. Brunonis, primi Maioris Cartuſię Pręfecti, iam nunc quarto hoc libro ex ordine aliquot recenſetur eiuſdem loci Prioris, qui poſt B. Brunonẽ eandem illam rexêre Cartuſiam: quæ cùm noſtri propoſiti mater ſit & origo, hinc quicunq; in iſtius loci Præfectum ſeu Priorem eligitur, is etiam illa gaudet prærogatiua, vt totius Cartuſienſis Ordinis Generalis ſit Miniſter; penes quem ſuprema rerum omnium ſit poteſtas: qui ſemper in alma reſidens Cartuſia, ex æquo ius omnibus dicit, annisque ſingulis Generali illic præſidet Capitulo.

CAP. I. De B. Lauduino, quem D. Bruno ab Vrbano Pontifice ad vrbem euocatus, in ſuum ſubſtituit locum. Hic etenim eſt vnus ex ſeptem primis ordinis cãdidatis: qui in abſentia B. Brunonis ſuos in arrepto fluctuare vitæ propoſito conſpiciens, ſedulo ad conſtantiam eos eſt cohortatus, vti conſtat ex pag. 135. Dorlandi. Apparens enim eis D. Petrus Apoſtolus, conſilium ſalutare ſuggeſsit, quatenus horas Canonicas in honorem ſacratiſsimæ Virginis quotidiè decantarent, quod deinde etiam clerus vniuerſus, vti ex decretis Claremontenſ. Cócilij conſtat, imitandum ſuſcepit.

Cur Cartuſiani quotidiè horas D. Virgini ſeparatim perſoluant.

CAPVT

Capvt II. Agitur iam de profectione B. Lauduini ad D. Brunonem, in Calabriæ ſolitudine degentem: quo cum poſtquam plurima de ratione Carthuſianæ propagandæ religionis, alijſque negotijs contuliſſet, iamque reditum ad maiorem Cartuſiam pararet, in itinere ab Antipapa Gilberto, quem nónulli Gibertũ, alij verò Guibertum nominant, eſt interceptus, diroque carceri mancipatus: de quo ita a Surius; *Cùm à ſanctiſſimo viro* (Brunonem intelligit) *rediret, in manus Giberti ſciſmatici incidit, & cũ non poſſet à ſententia deduci, pro iuſtitia defenſione in cuſtodia detentus eſt: vnde paulò poſt dimiſſus, non multo interiecto tempore, impollitum Chriſto ſpiritum reddidit.* Hæc illic.

a Tom. 5. die 6. Octob. § Hac autem Comitis. Caniſius in Martyrolog. 31. Martij, putat eum in carcere expiraſſe.

Cæterum quis nam hic Guibertus ſit, operæ pretium fuerit ſcire. Ingẽtem quippe malorum ſeditionumque ſtragem in Eccleſiam inuexit; vtpote ſciſmaticus, Antipapa, & frequenti excõmunicationis fulmine à diuerſis Chriſti Vicarijs fideliũ numero ſegregatus. De hoc namq; ita b Baronius: *Vidit planè inauditum hactenus portentum Roma; nempe viuente ipſo legitimo, Orthodoxo Gregorio VII. Papa, iam à toto Chriſtiano orbe per annos vndecim recepto, atq; culto Pontifice, ſuperinduci in Petri Cathedram ac conſecrari ſæpe ante depoſitum, & execratum ſæpius Guibertum Archiepiſcopum Rauennatem, decoro nomine Clementem III. vocitatum. Quod factum tradunt XI. Kalend. April. feria 6. ante Palmatum Dominicam; licet alij id factum dicant anno ſequen-*

De Guiberto Pſeudopontifice.

b Tom. XI. ad annum Dom. 1083. num. 2.

In Cathedramq́; locant hunc; Clemens falsò vocatur.
Hic eſt Guibertus, fallax, vaſtator apertus
Eccleſiæ Chriſti, merito quem ſignat abyſſi
c cap. 11. *Beſtia, quam vidit dilectus in c Apocalypſi.*

Inſuper & Tomo duodecimo, qui vltimus Baronij annalium fœtus eſt, complectens nimirũ res geſtas annorum circiter octoginta, iamque Moguntiæ ſub prælo deſudat, de eodem in hunc
d Anno Dom. loquitur d modum: *Gloriabatur Guibertus Anti-*
1100. num. 1. *papa ſub ſuo regimine extinctos tres Pontifices: nempe Gregorium VIII. Victorem III. & Vrbanum II. quem tamen hoc anno contigit ex hac vita ad inferos morte repentina perduci.* De quo ita Domnizo:

Hic per viginti tres annos deniq; Chriſti
Eccleſiam niſu toto turbauit iniquo.

Verum enimuerò quàm ignominioſam tam hic quam eius fautor ac promotor Henricus Imperator ſortitus ſit ſepulturam, Nauclerus ſuis
e Generat. nobis verbis enarret. Sic enim e ait: *Diuulgata*
37. anno 1106 *Hērici Imperatoris morte, omnes qui queſtus gra-*
pag. 731. *tia eidem adhærendo, ſuas animas venales expoſuerant, deditioni Regis ſimul & communioni Catholicæ ſine mora ſubijciuntur. Leodienſes autem hac recipiuntur conditione in communionem, quo cadauer ipſius execrati per ſe pridie in Monaſterio tumulatum, effoderent; & abſque vllo ſepulturæ vel exequiarum communione, in loco non conſe-*
crato

Leodienſibus præcipitur vt cadauer Henrici Imp. apud ſe ſepultum, effodiãt.

erato deponerent. Comprobantibus his qui aderãt Archiepiſcopis & Epiſcopis: quia, quibus viuis Eccleſia non communicat, illis etiam nec mortuis cõmunicandum eſt. Quo facto, paulo poſt corpus ipſius Spiram ductum, & in ſarcophago lapideo, Regis conſenſu poſitum, extra Eccleſiam per quinquenium manſit inhumatum, in capella S. Afræ Martyris collocatum, eò quod in excommunicatione mortuus fuit. Pari modo etiam grauius ſæuitum eſt in Guibertum Antipapam, cuius oſſa mandato Papæ de ſepulchro ſuo, vbi per ſex annos ſepulta erant in Eccleſia Rauennate, exhumata ſunt, & inde proiecta. Hic finis, hic interitus Henrici atque Guiberti Antipapæ: qui ambo cenſuras Eccleſiæ pro nullo ducentes, maledicti, atque inter hæreticos ſunt habiti. Vidiſti ergo iam hic beneuole Lector, quam infelicem vitæ exitum conſecutus ſit hic Pſeudopapa Guibertus, qui hunc Sanctiſsimum virum Lauduinnum per fas & nefas, in ſuam pertrahere ſententiam, admotis etiam vinculis ac carceribus, omni ſtudio eſt conatus.

atq; in locum non ſacrum conijciant.

Idem planè contigit Guiberto Antipapæ, poſtquam ſexennio ſepulturæ fuiſſet traditus.

Fuit verò hic Lauduinus, natione Thuſcus, patria Lucenſis, diciturq; eodem anno obijſſe, quo infelix iſte Guibertus expirauit, hoc eſt anno centeſimo ſupra milleſimum: vno nimirum anno antequam Diuus BRVNO hinc ad ſuperos emigraret; adeò vt ad annos circiter decem Maioris Cartuſiæ Præfecturam adminiſtrauerit.

B. Lauduinus Caniſij inſertus eſt martyrologio die vltimo Martij.

CA-

CAPVT III. De B. Guigone, quinto Maioris Ordinis Cartuſiæ Præfectus, Ordinisq; Generali. Hic eſt celebris ille Guigo, qui iubente Innocentio II. B. Hugonis Gratianopol. Epiſcopi vitam, vti ſuperius lib. 2. §. 1. dictum eſt, conſcripſit, quique alia nonnulla in lucem præterea protulit: de quibus ita a Poſſeuinus; GVIGO, inquit, *natione Gallus, patria Delphinas, primaria Cartuſiæ quintus à B.* BRVNONE *Præfectus: cuius honorifica mentio fit in D. Bernardi* b *Ciſtercienſis vita; & ad quem eiuſdem Bernardi* c *duæ exſtant Epiſtolæ, varias & graues ſcripſit Meditationes, librum item de Contemplatione: qui nondum in lucem prodijt, ſed in eadem Carthuſia* (Maiori) *adſeruatur*, & cæt. Neque ſolùm D. Bernardus ſanctum hunc virum ſuis inuiſit epiſtolis, verùm etiam celebris ille Cluniacenſis Ordinis Primas, ac vir doctiſſimus, Petrus cognomento *Venerabilis*: vti licet videre lib. 4. epiſt. 12. & lib. 3. epiſt. 24.

a *In Apparatu ſacro, Tom. 1.*

b *Lib. 3. cap. 1. in fine.*

c *Eſt Epiſt. 11. & 12.*

Cæterum quàm diu præfuerit, quamq; præclarè de Ordine ipſo ſit meritus, conſtat ex Petro Sutore, qui eiuſcemodi de illo fert teſtimonium d: *Guigo de Caſtro, Valentinenſis diœceſis, claris ortus parentibus, ingenio præſtans, memoria tenax, clarus eloquio, exhortatione efficaciſſimus, literis ſecularibus & diuinis mirum in modũ eruditus, nec minus conuerſatione quàm doctrina venerabilis, V. poſt Brunonem Maioris Carthuſiæ Prior effectus, viginti ſeptem annos, vel circiter, domum illam prudentiſſimè rexit, & anteceſſores*

d *Lib. 1. vitæ Cartuſ. Tract. 3. cap. 7. pag. 59.*

ſuos

ſuos fama & auctoritate longè præceſſit. Aedificia penè omnia aut fecit noua, aut vetuſta inſtaurauit. Rigorem quoq; Ordinis obſeruauit ad vnguē. Quapropter diuina dante gratia, plurimos meruit habere ſequaces. Siquidē tēpore illius ſex aut ſeptem Cartuſienſis Ordinis domus exordium, incrementumq; non exiguum ſumpſerunt. Videlicet domus * Portarum, Excubiarum, Durbonis, Syluæ benedictæ, Maioreui, & Aruciæ. Domus quoq; montis Dei anno vitæ eius vltimo, conſilio eius exſtrui cœpit. Compoſuit etiam, ac pulchro ordine digeſsit Cartuſianorum ſtatuta, ipſasq; D. Hieronymi doctiſsimas epiſtolas emaculatiores in lucem promulgauit. De quo alio inſuper in loco ita præfatus Sutor: GVIGO, inquit, quinquageſimum ætatis agens annum, conuerſionis verò trigeſimum, Prioratus autem ſui vigeſimū ſeptimum, vel circiter, non ſine ſanctitatis opinione ſpiritum Domino reddidit, anno Domini trigeſimo ſeptimo ſupra milleſimum centeſimum, Ab inchoatione verò Ordinis tertio & quinquageſimo.

* Horum eaſrundem etiā Dorlandus meminit pag. 143. lin. 8.

Quo ætatis ac regiminis anno obierit. e Lib. 2. cap. 5. pag. 509.

Interim verò quàm ſanctæ Conuerſationis laicos, re ac nomine Conuerſos, poſt ſe B. Guigo reliquerit, cōſtat non ſolùm ex ijs quæ Dorlandus lib. 4. cap. 3. pag. 148. commemorat, verū etiam ex Petro Bleſenſi, qui eadem fermè ætate literarum monumentis perquam celebris extitit; ideoque ſuis quæ oculis coram conſpexit, ea ad omnem poſteritatis memoriam propagare haud quaquam dubitauit: Explanans etenim

Quàm inſignes pietate laici, & maximè Conuerſi, ſub B. Guigone in ordine Cartuſ. extiterint.

Vide vltimã editionem Petri Bleſenſ. Moguntiæ, anno 1600. pag. 497.

ſecundum caput libri Iob, ita ait: *Nudiuſtertius vidi quendam* GERARDVM *nomine, Cartuſienſis Ordinis fratrem. Qui ſuper omnia deſiderabilia ſua iam per ſeptennium deſiderauerat mori; cupiens exire de carcere, & de vinculis huius carnis, &c. Hic ſingulis noctibus in principio Vigiliarum ſurgebat, imo anticipabat vigilias noctis. Ego, & quidam alij, qui eramus cum eo, dabamus requiem temporibus noſtris, & palpebris noſtris dormitationem. Ipſe autem pernoctabat in oratione, ſemper tamen cum fletu & gemitu. Vix aliquã hora comedebat panem ſine lachrymis, ſed & poculum ſuum cum fletu miſcebat. In omni opere ſuo ſuſpirabat ad Chriſtum, deſpiciens terram, ſuſpiciens cælum, vtens mundo quaſi non vtens,* &c. *Et licet laicus eſſet, & literas non nouiſſet, habebat tamen ſcriptam in corde ſuo digito Dei ſcientiam vitæ & diſciplinæ. Sanè docuerat eum, qui docet hominem ſcientiam: & vtinam literati omnes ſic eſſent docibiles Dei, & infudiſſet illis gratia, quod non contulit diſciplina. Deum teſtor; non minus circumſpectè & ſanè, de articulis fidei Chriſtianæ reſpondebat, quàm ſi maximam vitæ ſuæ partem in ſcholis Pariſienſibus expendiſſet. In ſchola ſiquidem illius eruditus fuerat, qui docuit & inflammauit Apoſtolos.* Hæc ille. Cæterum de inſigni quoque pietate alterius iſtius Gerardi (niſi fortè hic vnus idemque cum illo ſit) Comitis nimirum Niuernenſis; vide Dorlandum capite 14. huius libri quarti. Item de Petro Frecoldi,

Eximia ſanctitas laici cuiuſdam Cartuſ. Gerardi.

Nulla literarum præditus cognitione, accuratiſſimè de Chriſtianæ fidei articulis reſpondet.

coldi, patre nimirum Clementis IV. Rom. Pontific. Ordinis noſtri Conuerſo, vide eundem Dorlandum lib.4.ca.3.pag.156. in margine, nec non & Petrum Sutorem lib.2. vitæ Cartuſ. Tractatu 3. cap.5.pag.524.

Porro quod hoc eodem capite, pagina nimirum 153. Dorlandus adſerit; anno viceſimo ſexto prioratus B. Gvigonis; procurante humani generis hoſte, aliquot religioſorum cellas tanta niuium mole obrutas fuiſſe; vt nonnulli illorum miſerè ſint extincti, id etiam referunt æui illius ſcriptores. E quorum numero cum primis eſt Petrus Venerabilis, Cluniacenſis doctiſsimus Abbas. Qui ad B. Guigonem, reliquoſque maioris iſtius Cartuſiæ fratres conſolatoriam ſuper hac re ſcribens epiſtolam, inter cætera ita a ait: *Audita; dilectiſsimi, & vix credita Apoſtolici numeri; & cœleſtis collegij veſtri tam ſubita & inopinata immunitione, fateor quaſi in extaſi raptus, diu ſtupui*, &c. Concludens deinde epiſtolam; *quoniam*, inquit, *ſupremo Iudici ea via tentationis vos ex parte aggredi placuit, qua Iob iuſtus tentatus eſt* (ſuppreſsis nimirum ædium mole liberis) *& quia tanti vos habuit cœleſtis cenſura; vt ad tanti viri flagella perferenda vos idoneos iudicaret, libeat in ſubuerſione cellarum, & oppreſſione fratrum, omni cordis tranquillitate clamare, quod ille à vento diſerti domo ſubuerſa, à filijs ac filiabus eius ruina extinctis, adorans dixit*; Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum. Hæc ille. Recenſet quoque hanc cladem Sutor, licet eam anno tertio & viceſimo Prioratus B. Gvigonis dicat acci-

Quo pacto aliquot Maioris Cartuſiæ Patres ingenti niuium mole ſint oppreſſi, extinctique.

a Epiſt. 12. lib.4.

Iob.1.verſ. 19.

diſſe. *b Tunc enim niues de altiſſimis* (inquit) *montibus impetu ſubito incredibiliq; e mole ruentes, cellasq; omnes præter vnam vaſta congerie operientes, ſex Monachos, vnumque Nouitium, horrendo turbine obruerunt.* Illum verò Lotharingum, quem *c* Dorlandus dicit poſt diem duodecimum ſpirãtem adhuc repertum, Sutor Auduinum nominat; vſus, vti opinor, Chronico Priorum Maioris Cartuſiæ, quod penes nos manu ſcriptũ adſeruamus. Verùm nos ſolitæ ſtudentes breuitati, tam de hac horrendâ niuali ſtrage, quàm eximijs B. Guigonis virtutibus, auidum lectorem ad vitam S. *d* Anthelmi remittimus; in qua vtriuſque rei fit commemoratio.

b Lib. 2. Tract. 3. cap. 5. pag. 5. pag.

c Pag. 153. in medio.

d Extat Tom. 3. Surij, die 26. Iunij, § 5.

At verò quod pag. 154. Dorlandus dicit, Lotharingum iſtum fratrem, meritis ſanctiſsimæ BARBARAE Virginis, id à Deo obtinuiſſe, vt non niſi ſacroſanctis Eccleſiæ Sacramentis probè munitus, hinc ad aliam vitam emigrauerit, non debet cuiquam vel lectu mirũ, vel creditu impoſsibile videri; conſideranti nimirum, quàm mirabili euentu hæc eadem Beatiſsima Chriſti Martyr BARBARA Henricum Kockium, Gorcomiẽſem iſtum lanionem, qui ſe eius tutelæ commiſerat, anno Domini 1448. miſerabili incendio ambuſtum, ne dicam exuſtũ, tam diu in vita conſeruauerit, vt non niſi facta exomologeſi, ſacroque percepto viatico, diem obiret ſuum.

Surius Tom. 6. 4. Decemb. Et poſt illum Bredenb. lib. 4. Collat. c. 1.

CAP. VI. pag. 157. Incipit hic Dorlandus recenſere vitam ſanctiſsimi Viri ANTHELMI, ex VII. Maioris Cartuſiæ Præfecto, Bellicenſis Eccleſiæ Epiſcopi celeberrimi, plurimorumq;

rumque miraculorum gloria præſtantiſsimi. Cuius vitam, ac res præclarè geſtas, à quodam eius æquali, ac populari amico, qui nomẽ ſuum modeſtiæ cauſſa ſubticeri voluit, in lucem prolatas, eleganti ſtylo recenſuit Surius, Tomo nimirum 3. de Probatis Sanctorum hiſtorijs, die 26. Iunij. Ad quam lectorem remittimus.

Cæterum quod hic dicitur pag. 157. linea 6. à fine, Anthelmum hunc rogatu Hugonis Epiſcopi Gratianopolitani, ex Domo Portarum, nouitiatus ſui tempore, ad Maiorẽ fuiſſe tranſlatum Carthuſiam, non arbitrandum eſt, hunc Hugonem fuiſſe primum illum Gratianopol. Antiſtitem, quo iuuante ac comitante D. Brvno Ordinis huius fundamenta iecit; de quo nimirum toto ſecundo libro Dorlandus agit, verum alterum illum, de quo §. 2. lib. ſecundo Notarvm mentionem fecimus, quod ſcilicet ſeniori illi in eodem Gratianopolitano Epiſcopatu ſucceſſerit, tandemque etiam Vienenſis Archiepiſcopus effectus ſit. Anthelmus namque vixit ſub Alexandro III. Rom. Pontifice, circa annum 1160. ſenior verò Hugo obijt anno Domini 1131. vti ſuperius à nobis commemoratum eſt. Neque vero etiam Anthelmus Gvigoni in regimine Cartuſiæ immediate ſucceſsit, vti Dorlandus videtur innuere, cap. 4. lin. 2. ſed alius quidam * Hugo, Guigonis nimirum diſcipulus intermedius fuit: qui tamen poſt biennium, vltro petijt iſto ſe onere releuari, ſicuti & factum. Hunc ergo B. ſubſecutus Anthelmus, ad annos circiter bis ſenos Cartuſiæ Maiori, imò Ordini vniuerſo magna cum laude

Dorlandus lib. cap. 8.

** De eodem cap. 15. Notarvm mentio quoq; habetur.*

laude ac vitæ ſanctimonia præfuit. de quo nimirum *a* legitur, quod CARTVSIAE terminos dilatauerit, itaq; obſtruxerit, vt nullus mulieribus pateret ingreſſus; ſtructuras quoq; nõnullas meliores reddiderit; nec non & aquæ ductus multo labore prolixis ſpacijs ad culinã cellaſq; fratrum deriuauerit. Quibus verò claruerit miraculis, non eſt hîc noſtri inſtituti dicere; quippe cùm ea non ſolum apud Surium capite 27. vitæ illius ad longum reperiantur, verum etiam apud Dorlandum cap. 7. huius eiuſdem libri, pag. 174.

a Auctor vitæ apud Surium, cap. 7.

CAP. VIII. pag. 180. Hîc iam agitur de alio illo HVGONE, ex Epiſcopo Gratianopol. Vienſis Eccleſiæ deſignato Archiepiſcopo: quem tamen non conſtat vllo vnquam tempore maioris Carthuſiæ Prioratum geſsiſſe, ſed alium quendam Hugonem, diſcipulum nimirum S. GVIGONIS. adeò vt in argumẽto ſeu inſcriptione *f* capitis huius, ob eandem nominis claturam ſeu ſynonymiam, librariorum vitio erratum ſit.

f Pag. 180. lin. 2.

CAP. IX. 81. Bernardi Prioris Cartuſiæ Portarum eximia laudum præconia non ſolũ Dorlandus hoc capite ſummatim perſtringit, verũ etiam auctor vitæ B. Antelmi apud *b* Surium ca. 19. & 10. nec non & cap. 1. adeo vt dicat eius ſolius opera innumeros à deuijs vitiorum callibus ad diuinæ ſeruitutis obſequium eſſe perductos. Hic eſt enim ille qui duos illos inſignes Chriſtianæ plebis antiſtites ad Ordinis gremium admiſit: nempe B. Anthelmum Bellicenſem, & Stephanum Dienſem, de quo capite ſequenti.

b Tom. 3. 26. Iunij.

quenti. Hic inquam ille eſt Bernardus, quem eius ſynchronus ac ſynonimus Clareuallenſis Abbas, INNOCENTIO II. Romano Pontifici, hiſce per epiſtolam verbis commendat: *a Dilectum Deo & hominibus Bernardum de Portu, Pater Venerande, vocatione veſtra cogi ad opus, & onus Epiſcopale audiuimus. Probabiliùs res, ac digna planè veſtro Apoſtolatu; ponere in lumine lumen abſconditum, ne ſibi ſoli viuat, qui & alios ad vitam trahere poſſit. Vſquequo namque latet & ardet tãtummodò, qui & lucere valet?* Porrò vtrum in Gallia Ciſalpina, ſeu Lombardia, an verò alibi Epiſcopus exſtiterit, incompertum habeo, niſi quod Petrus Caniſius ſuo in Martirologio ita de eo ſcriptũ reliquerit: *b Cõmemoratio B. BERNARDI, qui ex Carthuſiæ* (Portarum) *Priore, Dienſis factus Epiſcopus, varijs claruit miraculis*: addens in margine annum Domini 1140. Cæterum de eius miraculis *c* Boſtius non immeritò vſurpat hoſce Baptiſtæ Mantuani verſiculos:

a Epiſt. 155.

b Die 16. Kalend. Ianuar.

c Lib. de viris illuſt. Ord. Cartuſ.

Qui venit ægrotus, redit ad ſua limina liber,
Et miſeros homines oſſa ſepulta iuuat.
Loripedes, oculis capti, nodiſq; podagræ,
Diuinam illabi teſtificantur opem.
Summa virum probitas, ſimul & miracula Sanctum.
Eſſe probant, fidei ſi ſit habenda fides.

De B. Stephano Dienſi.

CAP. X. STEPANI huius Dienſis Epiſcopi vitam tribus conſcriptam folijs, apud *d* Surium licet videre. à puero namque cœpit manifeſta edere indicia, ſe ad ſacrum Carthuſianorum inſtitu-

d Tom. 5. die 7. Septem. de quo etiam Caniſius in Germanico ſuo Martyrolog. eodem die.

inſtitutum cœlitus præparari: cùm nimirum ſe rijs ſextis materna recuſans vbera,à lacticinijs, exemplo Diui Nicolai magni Myrarum Epiſcopi,abſtineret.Adeo namque Carthuſiani ab eſu lacticiniorum diebus iſtis ſibi temperant, vt etiamſi celeberrima Dominicæ Natiuitatis ſolemnitas, in diem Veneris incideret (quando videlicet ſecularibus ob tantę letitiæ feſtum etiam carnibus veſci, quibuſdam in locis permittitur) ipſi tamen nullo pacto hanc tam laudatam, Ordinis ſui conſuetudinem infringerent, violarentur. Cæterum migrauit hic Sanctiſſimus Præſul ad Dominũ ſeptimo Iduum Septembris, anno ſalutis milleſimo ducenteſimo tertio decimo, ætatis ſuæ quinquageſimo octauo, cõuerſionis trigeſimoſecundo Epiſcopatus verò ſexto.

PAG. 186. in fine dicitur in eadem Portarum Carthuſia, vnde Stephanus Dienſis Epiſcopus prodijt,plurimos eximiæ ſanctitatis Viros exſtitiſſe: quemadmodum harum rerum Lectori auido ad liquidum conſtare poterit, ſi inſpicere dignabitur cap. 3. vitæ præfati Stephani, To. 5. Surij: nec non & cap. 10. vitæ B. Anthelmi, Tom. 3. Protulit enim ſola hæc Carthuſia tres admirandæ ſanctitatis Epiſcopos; nempe Anthelmum Bellicenſem, Stephanum Dienſem,& Bernardum, eiuſdem loci Præſulem, vti vult Caniſius.

CAP. XIV. pag. 201. Poſt obitum B. Anthelmi (quem Sutor *a* Ancelinum nominat) BASILIVS ſucceſſit: de quo hæc apud Sutorem reperiuntur, *b* BASILIVS *Maioris Carthuſiæ, Prior*

a li. 2. vitæ Carthu. Trac. 512.

VIII

VIII. multa ſcientia præclarus, eximiiſq́ virtutibus tumulatus, domum CARTVSIAE *Maioris, cui tres & viginti annos (Dorlandus nonnihil ſuperaddit) præfuit, totamque Ordinem prudentiſſimè gubernans, in ſpiritualibus temporalibuſq́ non parum ampliauit. Multas etenim conſtitutiones ad ordinis conſeruationem pertinentes, edidit, Multos quoq́ lingua calamoq́ ad mundi contemptum æternamq́ vitam incitauit: & demum multos ad ordinem, qui ſuo tempore plurimũ incrementi accepit. Deniq́ cum præclari regiminis exemplum, & ſuæ quoq́ vitæ monumenta poſteritati dimiſiſſet, tandem deficiẽs in ſenectute bona, poſt labores ſudoreſq́ ſacræ militiæ peractæ, migrauit ad Chriſtum, circa annum Domini milleſimum centeſimum ſeptuageſimum tertium, ſepultuſq́ eſt cum miraculorum ſplendore multo, quæ ſanctitati illius teſtimonia perhibuerunt* Hæc ille; cui etiam adſtipulatur Martyrologium Caniſij, 18. Kalend. Iulij. Refert quoque Dionyſius Carthuſianus, articulo octauo de præconio ordinis Carthuſienſis, B. DOMINICVM Prædicatoriæ familiæ primum initiatorem, ad hunc noſtrum veniſſe BASILIVM, atque ab eodem conſilium accepiſſe de modo prædicandi aduerſus hæreticos, nec non & de inſtitutione ac habitu ordinis ſui: adeo vt hinc forſitan factum ſit, quod tanta inter Dominicanos ac Cartuſianos veſtium reperiatur conformitas. Quod vero Dorlãdus c dicit, hũc Baſilium noſtrum præter alia facũdam ſcripſiſſe ſolitariæ vitæ Epitomen,

B. Baſilius obijt circa annũ Domini 1173. 14. Iunij.

c *pag. 201. in fine.*

Caeterum quod eodem hoc capite pag. 202. prædicatur inſignis virtus Gerardi cuiuſdã laici, qui ex Niuernenſi Comite Conuerſus eſt effectus, neſcio an hic idem ille ſit, de quo ſupra cap. 3. ex Petro Bleſenſi meminimus. Vt vt eſt, præclarum ſanè exhibuit humilitatis exemplũ, quando opibus honoribuſque relictis, libenter ſe omnium minimum fecit, vt Chriſtum lucrifaceret; occurrens nimirum filio ſuo in ſordidiſsimo habitu velleraque ouium recenter tonſarum ceruicibus deferens. Quemadmodum conſimile ferè exemplum de quodam Adolpho Holſatiæ Comite *d* Krantzius cõmemorat, qui mundo circa annum Domini quadrageſimum poſt mille ducentos nuntium remittens, Minorum eſt ingreſſus Ordinem; non erubeſcens oſtiatim lac in hydria emendicare. Cui cùm quodam tempore filij in equis ſublimes publica via vbi declinare non poterat, caſu occurriſſent, iamq; humanitus aliquid ſentiret, ita vt rubore perfundi inciperet, tãdem robur mentis aduocans, cùm adhuc in conſpectu eſſet filiorum, hydriam ſuper caput leuatam euertens, totum ſe à vertice lacte perfudit, dixitque: *Infælix, erubuiſti Chriſti paupertatem, baiulare lac in manibus, nunc vel in capite oſtende quid portaueris.* Quis non iure miretur, inquit Krantzius, tantam humilitatem, patientiam manſuetudinem?

Dorlandus pag. 204. in princip.

d *In Saxonia lib. 8. cap. 7.*

Verum mirari Comitis huius exemplum deſinimus, quando nimirum noſtra ætate etiam in Ducibus eiuſcemodi licuit ſpectare exempla, maximè autem in Franciſco Borgia, tertio Societatis I e s v Præpoſito Generali, qui cùm

eſſet

eſſet Gothalaniæ Prorex, ac Gandiæ Dux, poſt Societatis ingreſſum non detrectauit neq; erubuit etiam viliſsimas obire functiones, nempe ligna & aquam in culinam deferre ignem accendere, verrere pauimentum, lances olaſque mundare, cæteraque id genus. Imo Calenſi in collegio Luſitaniæ, quod oppidum vulgo *Portum* appellant, Belgæ verò kalys Malys, oſtiarij officio perfunctus, cùm porcũ iugulatum, eleemoſynæ vice obtuliſſent, humeris ſublatum tacitus in ſuperiorem domus partem, per gradus non ſine labore portauit. Quod alij cùm mirarentur, facti commendationem ſic eluſit: *Quid mirum,* inquit, *ſi porcum porcus commodè tulerit?* Non diſsimile nimirum eſt, quod de Carlomanno Caſsinenſes referunt annales. Qui Imperio ſe abdicans, regnumque Pipino fratri relinquens, Romam, Zacharia Pontifice Maximo clauum tenente, venit, atque, in Caſsino monte Benedictinis ſe Sodalibus iunxit. Oues verò, Abbatis iuſſu, fortè paſcens, claudicantem vnam, quod gregem conſequi non poſſet, humeris ſumma cum animi voluntate ſuſtulit: quemadmodum & Gerardus noſter libens in filij ſui conſpectum prodijt, exornatus ſcilicet aurei loco torquis, exuuijs ouium recenter tonſarum, quarum ſtillantia in humeros vellera libenter ſuſtulit baiulauitque; nedum quod ſcatens vermibus, vel vnum ex ijs adimi ſibi à filio permitteret: exẽplo nimirum ſanctiſsimæ illius ſolitariæ fœminæ, re ac nomine BONAE, cuius ex pectore cùm innumeri prodirent vermes, B. Dominicus ex animo illi compaſſus, obnixè

Lib. 2. vitæ eius, ca. 1. pa.

Ibidem lib. 4. cap. pa. 221

Ioan. Nauclerus Tom. 2. Generat. 25. in fine. Et Hieron. Platus li. 2. de bono ſtatus relig. cap. 26.

Quo pacto hic idem Carlomannus, nouitiatus tempore, inſigni ſit exceptus alapa à coquo vide apud Reginonẽ Prumienſ. ad ann. Domini 1246.

Faciunt hæc ad elucidationem pa. 204. in fine.

Lib. 2. vitæ S. Domin. ca. vlt. tom. 4. Surij, 5. Aug.

nixè rogauit, vt vnum ex his benignè ei largiretur. At illa noluit, g niſi fidem daret, ſe confeſtim redditurum. Et is quidem ingens erat, atroq; capite. Quem vt B. DOMINICVS accipiens, digitis verſaret, eumque accuratius inſpiceret, ſubitò in gemmam pretioſiſsimam eſt conuerſus. Cæterum iſtius generis gemmis etiam exornatum fuiſſe legimus, inſignem illam B. THOMAE Cantuarienſis Archiepiſcopi, iuxta ac Martyris, interulam. De qua nimirum M. Eduardus, eius contemporaneus, atque oculatus necis inſpector: *Poſtero,* inquit, *interfectionis die, Martyris corpus mundiſsimum quidam loturi, ad nudam carnem inueniunt cilicium adeo pediculis refertum, vt martyrium quod pridie vir ſanctus perpeſſus erat, iſto tolerabilius videretur.* Quartò igitur ſatius fuerit, amore CHRISTI, pauculos cum hoc Niuernenſi Comite patienter in corpore morſicantes ſuſtinere vermes, quàm incidere tandem in iſtum damnatorum hominum locum, *vbi vermis eorum non morietur. & ignis eorum non extinguetur, ſed erunt vſque ad ſatietatem viſionis omni carni?*

Tom. 6. Surij 29. Decembr. ca. 25. vitæ eius.

Eſa. 66. 24.

Quin & hóc eodem capite, circa finem pag. 205. refert DORLANDVS B. BASILIVM in conſopienda carnis tentatione ita opitulatum S. HVGONI, Lincolnienſi Præſuli, vt quaſi exectus, nullos deinde huiuſcemodi ſtimulos amplius perſenſerit. Cui ſimile omnino eſt, quod de B. Equitio commemorat Gregorius f. Quem, cùm iuuentutis ſuæ tempore, acri certamine carnis incentiua fatigaret, quadam nocte precibus

f Lib. 1. Dial. c. 4. in princ.

cibus diuini numinis gratiam implorantem, viſus eſt adire Angelus, qui eum ita emaſcularet, vt de cætero ab huius generis tentationibus alienus omninò exiſteret, ac ſi ſexum in corpore circumferre non videretur. Quod & Sereno Abbati accidiſſe, apud Caſsianum collatione ſeptima legitur.

CAP. XV. pag. 206. B. IANCELINVS, qui hic dicitur Baſilio ſucceſsiſſe, decimus fuit Generalis, vnde vnus ſolummodò fuit intermedius, nempe Hugo quidam, de quo ita in Cathalogo PRIORVM Maioris Cartuſiæ ſcriptum reperi: *Circa annum Domini milleſimum ſeptuageſimum quartum, in* PRIORATV *Baſilio ſucceſſit D. Hugo, Monachus dictæ domus. Qui vtrum fuerit ille, de quo a ſupra narratum eſt, an verò alius eiuſdem nominis, incompertum habetur. Nam non niſi duobus annis* PRIOR *exiſtens, contemplationi ac quieti impenſe deditus, à Capitulo Generali abſolutionē petijt, & accepit.* Itaque hoc Magiſtratu ſeſe abdicante, ſubſequutus eſt. Vir eximijs maximarum virtutum ornamentis præditus, IANCELINVS, vel vt alij vocant Ancelinus: De cuius præclaris virtutibus vide Anthoninum parte 2. Tit. 15. ca. 22. §. 2. Illic enim idem hoc miraculum refertur, quod hic apud DORLANDVM reperitur pa. 205. quo pacto nimirum B. IANCELINVS in virtute obedientiæ defuncto cuidam Cartuſiano præceperit, ne vlla amplius ederet miracula: quod putat accidiſſe circa annum Domini milleſimum centeſimum ſeptuageſimum quintum.

a De eodem Hugone enā nos ſupra in Notis diximus, paulo ante cap. 8. ad ſignum *

tum. Porrò cùm hic IANCELINVS Maiori præeſſet Cartuſiæ, contigit Stephanum Dienſem ab eodem compelli, Eccleſiæ iſtius Epiſcopatum ſuſcipere, vti habes in eius vita Tom. 5. Surij, 7. Septemb. §. 8. De quo quidem IANCELINO, in hunc modum Sutor: g IANCELINVS *Maioris Cartuſiæ* PRIOR X. *tam eximiæ ſanctitatis, tantiq; meriti ac præſtantis virtutis extitit, vt vnus de antiquis Sanctis Patribus deputaretur. Hic (quod dictu quoq; mirum eſt) ſarcinam* PRIORATVS *Maioris Cartuſiæ ad annos circiter ſexaginta tam laudabiliter geſſit, vt in ſtuporem videntes, audiẽteſq; omnes verterentur. Hic quoq; ſacri Ordinis habitu Petrum Frecoldi, Patrem,* CLEMENTIS *IV. Summi Pontif. donauit.* De quo DORLANDVS lib. 4. cap. 4. pag. 156. Verum hic IANCELINVS poſt diuturnos ærumnoſæ huius vitæ labores tandem in ſenectute ſancta deficiens, anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo tertio perpetuam quietem habiturus, paradiſianas adiuit ſedes. Cuius equidem laudabilem mentionem facit ſuo in Martyrologio Caniſius, quarto Kalend. Martij.

g *Lib. 2. vitæ Cartuſ. tract. 3. c. 5. p. 524.*

Sutor. ibidem pag. 526.

CAP. XVI. pag. 211. Fuit hic Martinus huius nominis primus, qui Iancelino ſucceſſit, præfuitque annos circiter tredecim: ſub cuius regimine referunt maioris Cartuſiæ annales accidiſſe Toleti in Hiſpanijs id, quod Dorlandus habet pag. 214. de libro illo triplici idiomate conſcripto: quem poſtquam Iudæis in rupe deliteſcentem reperiſſet, inibique Chriſti Salua-

toris

toris haberi mentionem comperiſſet, Baptiſmatis Sacramento confeſtim initiatus eſt.

CAETERVM quod pag.212.commemoratur exemplum iſtius anachoretæ in extaſin rapti, illud idem quoque reperitur apud Dionyſ. Rickelium art.7. de Præconio Ord.Cartuſ.

CAP.XVII.pag.215.Quod hic Dorlandus dicit, BOSONEM, paucis intermedijs, ſucceſsiſſe P.Martino; ſciendum eſt, quatuor inter hunc & illum Generales extitiſſe: nempe Bernardum, Rifferiuin, * Gerardum; & Guilielmum: quorum primus præfuit annis circiter octonis, ſecundus vndenis, tertius ſenis, quartus plus minus quinis. *al.Girardus*

PORRO; quod pag. 217. huius eiuſdem capitis in Templarios inuehitur Dorlandus, quaſi qui Iudæis ac paganis peiores, vna nocte internecione deleti ſint, atque ad tartara relegati à quibuſdam in dubium vocatur; adeo vt nonnulli tam horum quam antiquorum temporum ſcriptores reperiantur, qui eos iniuſtè de ſuperficis terræ ſublatos opinentur: Inter quos cum primis videtur eſſe B.a Antoninus, b Nauclerus; Volaterranus, in vita Clementis V. Sabellicus in hiſtoriarum rhapſodia; Ioannes Bocatius libro de ruina Principum, nec non & Papirius Maſſonius lib. 3. annalium Francorum pag. 365. & Ioannes Villaneus. Cæterum Templarij, ſeu templaris militiæ Ordo, cœpit anno Domini viceſimo ſupra milleſimum centeſimum: indeque nomen traxit; quod iuxta templum Domini Hieroſolymis, in palatio regio à prima eorum inſtitutione commorandi domicilium haberent.

a part. 3. tit. 21. cap. 3. in princip.
b Tom. 2. gener. 44. ann. 1307. p. 873.
Templari qui fuerint, & quando exorti, deletique.

berent. Quemadmodum auctor eſt Guilielmus Tyrenſis Archiepiſcopus, in ſua belli ſacri c hiſtoria. Quos varijs equidem Sermonibus D. Bernardus ad benè beateque viuendum eſt cohortatus. Verum cùm iam immodicis aucti opibus, etiam de hæreſi ſuſpecti haberentur, ſummi Pontificis CLEMENTIS V. Patrumque decreto, ad Regis Francorum Philippi Pulchri inſtigationem, in Oecumenica Viennenſi Synodo, à trecentis Epiſcopis anno Domini milleſimo trecenteſimo vndecimo celebrata, damnati, flammiſque adiudicati ſunt; eorumque inſtitutum, quod iam ducentis fermè annis perdurauerat, abrogatum: adeo vt bona ipſorum Rhódijs adſignarentur militibus, quod In primis ad Sarracenos defeciſſe dicerentur. De quo ita Platina in principio vitæ CLEMENTIS V. Rom. Pontif. *Reſcitum quoq; eodem ferè tempore eſt, Templarios olim Chriſti milites, à noſtris ad Sarracenos defeciſſe. Hanc ob rem interfecti illi ſunt, qui comprehendi potuêre; eorumq; bona partim Rodijs militibus, qui inſulam paulo ante occupauerant, partim verò nouis Religionibus ſunt attributa.* De Templarijs quoque conqueſtus eſt Alexander III. in Concilio Lateranenſi part. 1. c. 9. & potiſsimum quòd abutentes priuilegijs à Sede Apoſtolica ſibi conceſsis, robur Epiſcopalis authoritatis eneruarent. Hinc Aluarus Pelagius de planctu Eccleſiæ: *Templarij*, inquit *propter eorum flagitia ab Eccleſia reprobati ſunt*. Quæ verò hæc eorum flagitia hæreſeſque fuerint, videat Lector apud Gabrielem Prateolum Marcoſsium, pag. 459.

c Lib. 11. c. 7.

In Concili Viennenſi 300. Patrib. damnantur.

Ad Sarracenos eos defeciſſe conſtat.

d Lib. 2. cap. 23. paulo poſt princip. capitis.

CAETE-

CAETERVM de Beato BOSONE conſule Petrũ *e* Sutorem, confirmantem idem quod hic à Dorlando pag. 218. adſeritur; nempe ſuper eius ſepulchro herbam quandam enaſci, varijs medentem ægritudinibus, maximè verò febricitantibus. Obijt verò circa annum Domini tertium decimum poſt mille trecentos. Quem & *f* Caniſius ſuo inſerens Martyrologio, dicit tam in vita, quàm poſt obitum, inſigni miraculorũ gloria reſplenduiſſe.

e Lib. 2. vitæ Cartuſ. tract. 3. ca. 5. pag. 536.

f quarto nonas Martij.

CAP. XVIII. pag. 218. BOSONI in regimine ſuccesſit Haymo ſiue Aymo, ſub quo miſerè deflagrauit ipſa alma mater CARTVSIA, quę diuerſis temporibus quina ſuſtinuit incendia. *Primò* quidem quando hic HAYMO præfuit, ſicuti habet Dorlandus, pag. 219. *Deinde* ſub Guilhelmo Rainaldi, vigeſimo quarto Ordinis Generali, circa annum Domini 1372. De quo idem Dorlandus pag. 252. *Tertiò* ſub Franciſco Mareſme, vigeſimo octauo Generali, anno circiter Domini 1444. *Quartò* ſub Patre Anthonio, trigeſimo Generali, circa annum Domini plus minus 1474. *Vltimum* verò incendium contigit ſub R. Patre HIERONYMO MARCHANT, anno vt puto Domini 1593. in peruigilio omnium SS. manifeſtè cõſtet, humani generis hoſtem adeò vt hinc tam eximię ſanctitatis locum vehementer odiſſe, quem voracibus flammis tàm libenter abolitum videret.

Quinquies exuſta fuit domus Maioris Cartuſiæ.

I. *II.* *III.* *IV.* *V.*

CAP. XIX. De eximia PETRI FAVERII ſanctimonia, vide Petrum Sutorem libr. 2. vitæ Cartuſ. tract. 3. ca. 5. pag. 527. nec non & Petrum Caniſ. ſuo in Martyrolog. 3. Kalend. Maij.

CAP.XX. De Patre CLARO, decimo nono Ordinis Generali, itemque † Ioanne Tornerio, miraculis claro, vide eundem Sutorem, loco iã nominato, pag. 529.

† *Caniſ. in Mart die 15. Decemb.*

CAP.XXI. Similiter & de hoc P.Iacobo, pa. 530. quem dicit multis clarum miraculis, obijſſe circa annum Domini ſexageſimum ſecundum ſupra milleſimum trecenteſimum.

CAP.XXII. De Ioanne Birellio eadem quoq; commemorat a Sutor, quæ & Dorlandus: nempe quo pacto, cùm maior purpuratorum Patrũ numerus, poſt obitum. CLEMENTIS VI. (hic autem apud Auinionem anno Dominicæ Natiuitatis 1352. vitam cum morte commutauit) eum ad Pontificiæ dignitatis culmen euehere cogitaret, à Petragoricenſi Cardinali aliter perſuaſi, ſententiam mutauerint. Quem quidem eundem reor eſſe Cardinalem, pro cuius animæ refrigerio Ordo Cartuſienſis in ſingulis domibus peculiare annuatim perſoluit Tricenariũ. De quo ita M. Anthonius Ciaconius in vitis Summorum Pontificum, Romæ anno 1601. editis: b *Talairandus Comes Petragoricenſis, Vaſco, Gallus, Presbyter, Cardinalis S. Petri ad Vincula tt. Eudoxiæ, Prior Presbyterorum.* Itaq; huic Talairando debetur, quod magno totius Chriſtianæ Reip. bono INNOCENTIVS VI. Clementi in Pontificatu ſucceſſerit: qui etſi BIRELLIVM noſtrum in Cardinalium referre numerum voluerit, is tamen ſuæ & humilitatis & profeſsionis memor, ſummo ſtudio hunc à ſe Cardinalitiæ dignitatis gradũ reiecit. Cæterum

a *Lib. 2. pag. 532.*

b *Pag. 711. Obijt hic Cardinalis Auinione anno Dom. 1364.*

Recuſat Cardinalatum P. Birellius.

terum, quæ de Pontio, Decretorum Doctore, Dorlandus pa. 233. commemorat, eadem quoq; Sutor ſuo confirmat teſtimonio, pa, 532. qui hũc Patrem Birellium miraculis clarum obijſſe dicit in ipſa Epiphaniæ ſolennitate, anno nimirũ virginei partus ſexageſimo poſt mille trecẽtos.

Porrò, quàm rigidus ſibi ipſi hic S. Pater fuerit, cõſtat ex hirſuto hiſpidoq; illo cilicio, quo vſum eum fuiſſe Dorlandus pagina 240. commemorat: *Erat enim*, inquit, *nodoſum, aſperrimo pilo contextũ, & inſtar Camiſiæ vndequaq; clauſum, atq; vſq; ad poplites deſcendens.* Quẽadmodum etiam de B. Thomæ Cantuarienſ. Archiepiſcopo eius refert contemporaneus c Eduardus, dicens ſanctiſsimi huius viri cilicium ad genua vſque prominuiſſe, ac ſtrictè admodum femur coarctaſſe. Tale quid etiam in vita d Gerardi Magni reperitur; licet de Lanſpergio noſtro fide digni referant ſcriptores, eum loricam ferream aliquandiu ad nudam carnem geſtaſſe. Verum quale cilicij genus ſibi effinxerit B. Edmundus Cantuarienſ. Archiep. videat Lector Tom. 6. Surij 16. Nouembr. ca. 9. vitæ eius. Et Tom. 5. die 14. in vita Dominici Loricati c. 4.

c *Tom. 6. Surij, die 29. Decemb. cap. 25.*

d *Thom. Cãpenſis cap. 7. vitæ eius.*

Pag. 240. circa finem; Lapidis, ſuper quo defunctorum aluuntur corpora, frequens eſt mẽtio apud Cæſarium Heiſterbacenſem, auctorẽque *ſpeculi* iſtius *Monachorum*, quod ſub nomine D. Bernardi inter opera eius reperitur, vbi inter cætera etiã monemur, vt *tædio aff. cti, componamus nos meditando ſupra petram, in qua lauantur mortui, cogitemusque apud nos, quo pacto tractentur ibi ſepeliendi, qui nunc in tergum, nunc in faciem verſantur*, &c.

Adeo vt non ſolùm apud Cartuſianos, verum etiam alios paſsim religioſos hæc defunctorum lauandorum corporum conſuetudo in vſu olim fuerit.

CAP. XXIII. Heliſarij, ſiue Eliſarij res geſtas licet apud a Sutorem videre: quem Dorlandus pa. 242. dicit aſperrima hyeme ſemper ferè diſcalceatum, detectoque capite inceſsiſſe, in magnis nimirum quæ illic in Maiori Cartuſia rigent frigoribus, ac perpetuis quaſi niuibus. Quemadmodum colligi poteſt ex ijs, quæ libr. 1. NOTARVM diximus, §. 6. pag. 19.

a *Lib. 1. vitæ Cartuſ. pag. 537.*

PORRO, quod pag. 246. dicitur, fratres, pro more Ordinis, feria ſexta, qua & Heliſarius ad Dominum migrauit cum pane & aqua refecti eſſent, facto per tabulam ſigno, ad ægrotantis cellam conueniſſe; ſciendum, olim in vſu fuiſſe, vt b qualibet ſecunda, quarta, & ſexta feria pane duntaxat & aqua contenti eſſemus. Quod quia noſtris temporibus in diſſuetudinem abijt, idcirco Ordinis ſtatuta volunt, vt ſemel ad minus in ſeptimana qualibet abſtinētia ſeruetur: non prohibendo interim illos, qui pro laudata veteri conſuetudine ternam poſſunt ac volunt obſeruare, modò ſuperiorum accedat conſenſio, approbatioque.

b *2. parte nouæ Collect. Statutor. cap. 10. n. 1.*

Pag. 244. lin. 7. Querenti mihi, quis nam hic fuerit Mimatenſis Cardinalis, qui huius P. Heliſarij, propinquus extitiſſe dicitur, occurrit id quod apud Ciaconium legitur in rebus geſtis VRBANI PAPAE V. hiſce nimirum verbis: c *F. Anglicus Grimaldi, de Griſaco, diœceſis Mimatenſis, Gallus, Papæ fratris filius, Canonicus regularis,*

c *pag. 747. lin. 1. Rom. editiun. anno 1601.*

laris, monaſterij S. Rufi prope Valentiam, ex Epiſcopo Auinionenſi. Presbyter Cardinalis S. Petri ad Vincula tt. Eudoxiæ. poſtea Epiſcopus Albanus, Piceni, Vmbriæ, Hetruriæ, Campaniæ maritimæ Legatus, & Vicarius Generalis in temporalibus, ab Vrbano V. patruo creatus, quum in Italiam veniſſet, obijt Auinione XVI. Kalend. Maij, anno 1387.

Itaq; veriſimile eſt, hunc Mimatenſem Cardinalem, nepotem P. Heliſarij extitiſſe: quippe qui annis viginti poſt auunculum ſeu patruum ſuum vita functus ſit. Nam Heliſarius obijt anno Domini 1367. in feſto S. Barnabæ Apoſtoli. ** al. Rainaldi.*

CAP. XXIV. pag. 247. De Patre Guilielmo * Rainaldi ita Sutor: *a Fuit hic*, inquit, *Maioris Cartuſiæ Prior viceſimus quartus, ſcientia, moribus, multiſq; virtutibus perornatus, tantaq; opinionis, vt Cardinalatus ei oblatus ſit, quem tamen recuſauit. In electione quoq; ſummi Pontificis vndecim habuit ſuffragia. Porrò eius induſtria ſtudiiq; ſolicitudine domus* CARTVSIAE *fortuito incendio combuſta, & ad nihilum ferè redacta, longè melius quàm antea fuerat, inſtaurata eſt. In qua & triginta quinq; annos laudabiliter viuens, totius Ordinis habenas ſtrenuè prudenterq; moderatus eſt.* Obijt verò anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſecundo.

a Lib. 2. vitæ Cartuſ. Tract. 3. cap. 7. pag. 564.

Guilielmi Reinaldi virtutes.

Recuſat Cardinalatum.

Habet 11. voces ad Pontificatum.

Reædificat Maiorem Cartuſ.

PORRO quod pag. 253. lin. 3. à fine dicitur ſub hoc Patre Guilielmo Rainaldi horrendum in Eccleſia exortum fuiſſe ſchiſma; de eo in noſtri Ordinis Chronicis ita ſcriptum reperio: *Anno decimo Prioratus huius Reuerendi Patris, qui fuit*

De eius ſcriptis vide ibid. Sutorem.

Obijt anno 1402.

annus Chriſti milleſimus treceteſimus ſeptuageſimus ſeptimus,poſt obitum D. GREGORII *Papa XI. exortum fuit ſchiſma ſatis durum. Nam ex violentia ciuium Romanorum quidem Bartholomaeus Barenſis intruſus eſt ad Papatum. Contra quem de communi Cardinalium conſenſu electus eſt* D. CLEMENS *Papa VII. Cuius ſchiſmatis occaſione circa annum milleſimum trecenteſimum ſeptuageſimum nonum Ordo noſter fuit diuiſus, ita vt vna pars prafata Bartholomao, tunc* VRBANO *VI, altera* D. CLEMENTI *VII. adhareret. Et ſic remanſit Ordo diuiſus ſpatio annorum triginta & vnius, vſq; poſt celebratum Concilium Piſanum,tunc enim anno Domini 1410. denuò fuit reunitus.* Atque hoc eſt quod Dorlandus hic ait,præfatum Patrem Reinaldi tum ratione ſchiſmatis, tum etiam exuſtæ Cartuſiæ, plurimas ſui regimis tempore ſuſtinuiſſe moleſtias. Cæterum de hoc diutino moleſtoque ſchiſmate ita Ciaconius,d CLEMENS VII. *Antipapa contra* VRBANVM *VI. creatus, Auinione annos nouendecim, menſes vndecim, dies viginti nouē, VVēceſlao Cæſare,ſummi ſacerdotij iura in ſchiſmate vſurpauit: quo nullum aut deterius,aut prolixius,quoue maioribus odijs,& acrioribus diſſenſionibus certatum ſit,humana poteſt memoria recordari.* Hæc Alphonſus Ciaconius, qui deinde aliquantò poſt proſequens res geſtas Antipapæ Petri de Luna, Benedicti XIII. nomen ſibi malè vſurpantis,dicit,illum anno 15. ſui Antipontificatus, qui fuit annus Domini 1409. tredecim creaſſe

d *In vita Clemēt. VII. antipapæ ad annum Dom.* 1378. *pag.* 789.

creaſſe Cardinales; inter quos ait fuiſſe etiam Cartuſianum quendam, quem vti ſine nomine in medium producit, ſic fortaſsis etiam ſine auctoritate. Quippe cùm Ordo Cartuſienſis è cœtu ſuo non niſi vnicum duntaxat S. R. E. Cardinalem habuerit, nempe NICOLAUM Albergatiū; de cuius inſigni præconio capite primo libri ſeptimi agendum nobis erit. Interim tamen ipſius Ciaconij verba hæc ſunt: *e F. N. Monachus Cartuſianus, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis tt. S.... Hunc cum Iuliano Dobla*(qui & ipſe ab hoc eodem Benedicto Antipapa Cardinalis creatus erat)*ſchiſma curare negantes, Petrus Fuxius Cardinalis legationis Hiſpanicæ, carcere incluſit, vbi miſerè perierunt, adeo vt potius Anticarunales quam veri Catholicæ Eccleſiæ cardines cenſendi ſint.* e pag. 838.

CAP. XXV. pag. 254. Huius XXV. GENERALIS laudes ac res geſtas ita breuiter commemorat Sutorius: a *Bonifacius Ferrarius B. Vincentij famoſi Prædicatoris frater, vir in diuinis ſcripturis eruditus, & ſecularium quoq; literarum non ignarus, Iuris Canonici Doctor percelebris, & ſanctimoniæ ſublimitate egregius, vnus de ſeptem Regentibus regnum Valentiæ fuit, poſtea verò Cartuſianus effectus, à ſancto fratre ſuo vita & conuerſatione non degenerans, poſt quatuor annos* PRIOR CARTVSIAE *effectus, tantum zelum habuit, vt ſtatuta Ordinis ferè ſemper in manibus haberet, &c. Tanta denique prudentia extitit, vt Benedictus 13., Papa dictus, eum, quā-*

a Lib. 2. vitæ Cartuſ. tract. 3. cap. 7. pag. 564.

Bonifacius Ferrarius 25. Generalis.

uis renitentem pro ſe Legatum ad Concilium Piſanum (ad quod citatus fuerat) mittendum curauerit. At verò cùm venire tardaret, Generale Cōcilium tantas moras non ferens, tam Benedictum ipſum, quàm Gregorium (qui de Papatu contendebant) depoſuit. In Concilio namque Piſano, anno Domini 1409. celebrato, tam Benedictus XIII. quàm Gregorius XII. veluti colluſores ac præuaricatores, à ſuis abſoluti ſunt officijs, tertiuſque in vtriuſq; locum ſuffectus, nempe Alexander Papa V.

De hoc Rom. Pontif. ſchiſmate vide vitam B. Vincentij Ferrarij, lib. 2. cap. 2. Tom. 2. Surij, 5. Aprilis.

Pag 25ᶜ. lin. 9. à fine. [Hæc eſt ille magnus Vincentius, Apoſtolica ſublimitate nō impar.] Quàm eximiæ ſanctitatis hic Vincentius, Bonifacij noſtri germanus frater fuerit, quamque Apoſtolicæ conuerſationis, ſcire cupientibus conſtare poteſt ex tribus iſtis libris, quos Petrus Rauzanus Panormitanus de reb' eius ſanctiſſimè geſtis conſcripſit *Fuit enim,* inquit, *vir Apoſtolicus; qui veluti Sol cæteras ſtellas claritate, ſic ipſe vitæ ſanctimonia verbi Dei præconio, ac variorum miraculorum fulgore cæteros ſuperauit.* Illud ſiquidem conſtat, ipſius duntaxat prædicatione ſupra viginti quinque Saracenorum millia ad Chriſtum fuiſſe adducta; Chriſtianorum verò perditorum, qui ſe ad bonam frugem receperunt, plus quam centum millia. Quòd non parum facit ad laudem totius Ferrarianæ proſapiæ, ex cuius ſtirpe duo tam præclaræ religionis ornamenta prodiêre: nempe Vincentius ac Bonifacius: quorum vti primus Dominicanam ſuis concionibus illuſtrauit familiam, ſancteque

Reperiuntur Tomo 2. Surij die 5. Aprilis.

Hieron. Platus de bono ſtat. Relig. li. 2. cap. 30. pag. 614.

q̃ue in Domino anno 1418. obdormiuit, ſic alter totius, Carthuſienſis Ordinis præfecturam ad annos circiter octo diligenter prudenterq́ue adminiſtrauit, plurimoſq́ue monaſticæ profeſſionis habitu donauit. Quos enim frater ſuus prædicando ad pœnitentiam prouocabat, hoc Bonifacius Ordinis gremio libenter inſerebat. Scripſit autem hic BONIFACIVS inter cætera nobilem quendam tractatum, *Cur in ordine* CARTVSIENSI *pauci reperiãtur Canonizati, & miracula publicè non fiant*. Item, *de Confirmatione & approbatione Ordinis Cartuſienſis*, vti ex Eiſengrenio citat ſacro ſuo in apparatu Anton. Poſſeuinus. *Lucubrationes huius P. Bonifacij.*

Pag. 259. [Hæc enim tunc graui ſchiſmate laborabat.] Quam graui ſchiſmate Eccleſia annorum aliquot ſpatio laborauerit, quidve in hoc conſopiendo conatus ſit hic Pater noſter BONIFACIVS efficere, diximus ſupra ca. vigeſimoquinto.

CAP. 26. pag. 260. Quandoquidem Dorlandus confuſè in hoc capite nonnullos in mediũ profert, noſtri Ordinis GENERALES, idcirco operæ pretium me facturum credidi, ſi breuem eorundem hic CATALOGVM pertexã: incipiendo nimirum ab ipſo Diuo BRVNONI, primario tanti Operis architecto, atq; ad modernum R. Patrem noſtrũ BRVNONEM, etiamnum fideliter fœliciterq́ue Cartuſianæ huic familiæ præſidentem, perducendo; addito ſemper Diſticho numerali, ex quo cognoſci queat, quando quiſque eorum Ordini præeſſe cœperit.

BREVIS ET SVCCINTVS OMNIVM AC SINGVLORVM GENERALIVM, QVOS ſacer Cartuſienſis Ordo in vniuerſum habuit, CATALOGVS

I. Generalis. DIVVS BRVNO patria Colonienſis ordinem cœpit fundare Cartuſienſem circa annum Domini, 1048. obijtque miraculorum gloria illuſtris; adeo vt iam olim in Beatorum ſit adſcriptus conſortium. Eius ſcripta non niſi ſemel ante annos circiter nonaginta in lucem prolata, iam nunc denuò in eius natali ſolo recudenda veniunt. Migrauit ad Dominum, anno 1101. Cartuſianum verò ſolitudinem incolere cœpit anno Domini circa ſolemnitatem S. Ioannis Baptiſtæ, anno ſcilicet ſalutis noſtræ milleſimo octogeſimoquarto, prout ſequẽs Carmen numerale indicat:

Eſt annus Domini 1084. *BrVno ſeCeſſVs Cantatos DoCtVs agones*
RegVLa & arChItypon CartVſIenſe fVIt.

II. LAVDVINVS patria Thuſcus (Lucanamque oriundus fuit) B. BRVNONE Romã Apoſtolica authoritate euocato, CARTVSIAM ad annos circiter decem adminiſtrauit, rediensque ex Calabria, vbi D. BRVNONEM cõſilij cauſſa inuiſerat, in Guiberti antipapæ manus incidit, à quo in carcerem vinculaque coniectus, paulo poſt obijt anno nimirum Domini 1100. Quando verò Cartuſiæ præfici cœperit, ſequens indicat Diſtichon.

Protogenos LaVDI'InVs pietatIs Vt hæres,
OffICÿ, aC tItVLI patrIa ſanCta oLIt.

PETRVS cognomento Franciſcus, ſucceſſit anno Domini milleſimo centeſimo primo, diciturque fuiſſe Flandria, ſeu potius Arteſia oriundus, nempe Bethunia: qui cum anno duntaxat præfuiſſet vno, Rachelis amplexus Liç deformitati præferens, ad optatæ ſolitudinis portum eſt regreſſus. III.

In CLYtVs eX Iſto PetrVs ſpeCIoſVs honore
PLenIVs eX Iſto ſIDere VeLLe LoCo.

IOANNES I. qui & ipſe natione Thuſcus fuit, annis circiter octo præfuit. Cuius regiminis tempus, ex hoc poteſt colligi Diſticho. IV.

VIVIDa Ioannls CeLebrIs GVLtVra ſVbactos,
SVbſeqVItVr SaLtVs Cogere raſtra patI.

GVIGO. De huius beatiſſimi ſcriptis, moribus, ac vitæ conuerſatione, copioſius diximus in NOTIS huius eiuſdem lib. 4. c. 3. Obijt verò non ſine inſigni vitæ ſanctimonia anno nimirũ Domini trigeſimo ſeptimo ſupra milleſimum centeſimum, Præfecturæ autem ſuæ viceſimo ſeptimo, aut præter propter. Vnde quando pręeſſe cœperit patet ex ſequenti Diſticho. V.

GVIgo Sacer VICtV, LIterIs, VrenteqVe ZeLo,
AC VIrtVte VaLens, BrVno ſecVnDVs erat.

HVGO I. De hoc diximus paulo ante caput 8. NOTARVM quarti huius libri, quo pacto nimirum cum biennio pręfuiſſet, abſolui ab officio petierit, atque alium ſibi ſubſtitui; quod accidit circa annum Domini milleſimum triceſimum nonũ, vt & ſequenti liquet Verſiculo. VI.

eſt

1098. *Eſt pIa CartVsIæ generatIo, orIgo benIgna;*
ILLInC floreſCens sVrCVLVs HVgofVIt.

ANTHELMVS Epiſcopus Bellicenſis (de quo ad longum Dorlandus lib. 4. pag. 157. cap. 4. & ſequentibus, item Surius Tom. 3. die 26. Iun.) præfuit ad annos circiter duodecim, obijtque plurimis clarus miraculis, anno Domini 1131. Quando verò Maioris Cartuſiæ Prioratum inire cœperit, ſequens indicat Diſtichon:

Diſticha numeralia continent annorum tempus, quando præeſſe cœperint.

An. 1139. FœLIX HVgo SILes, qVIa In arDVa qVæqVe VoCatVr
VIrtVs, CVIVs apex InfVLa BeLLoVaCI?

VIII. BASILIVS. De huius ſanctiſsimi Patris rebus præclarè geſtis copioſius egimus paulo ante, capite 14. Fuit verò GENERALIS ordinis ad annos circiter tres & viginti, obijtque circa annum Domini milleſimum centeſimum ſeptuageſimum tertium.

RegIVs eſt VIgor & noMen tIbI, regIa VIta,
An. 1152. CorqVe tenaX æqVI, IVre præſto tVIs.

IX. HVGO II. ſucceſſit anno Domini milleſimo ſeptuageſimo plus minus tertio, nempe poſt obitum Baſilij. Vtrum verò fuerit ille, quē in hoc Catalogo ſexto loco poſuimus, atque ab officio abſolui petijſſe diximus, iamque denuò ad eandem functionem reuocatus ſit, pro incomperto habetur.

Antropos IrrIſa eſt, fLorentes ſVppetIt orDo
An. 1175. HVgones, per qVos nec perIVnDo perIt.

X. IANCELINVS circa annum Domini milleſimum cēteſimum ſeptuageſimū ſextum Hugoni ſuccedens, ad annos plus minus ſexaginta non ſine inſigni laude, ac vitæ ſanctimonia præfuit,

fuit, vti conſtare poteſt ex iꝭs quæ diximus ad caput 15. obijt verò circa annum Domini milleſimum ducenteſimum treceſimum tertium.

SVb tanto neget*An CeLIno Patre qVIs eſſe? * *al. Ianceinus.*
ManIbVs æthereIs IVIta IVbere poteſt.

MARTINVS I. De hoc Dorlandus cap. 16. pag. 211. præfuitque annis plus minus tredecim. De quo hoc numerale Diſtichon. *Ann.1177.* XI.

GLorIa Vera VIros fVerat MartIne,tot Inter *Ann.1235.*
SanCtos atqVe pIos VIVere ſoLe SVo.

BERNARDVS I. Anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo octauo, vel circa, ſucceſſit in regimine P. Bernardus, qui ad annos circiter octo ordinis tenuit gubernacula. *XII.*

QVI Vepres Inter Boreæ qVoqVe ſaXa Lareſ-qVe *An. 1248.*
NarDVS oDoratIs ante Locata IVgIs.

*RIFERIVS per annos circiter vndecim maiorem Cartuſiam gubernauit, obijtque ad annum plus minus Domini milleſimum ducenteſimum ſexageſimum ſeptimum. *XIII.* * *alias Riſferius.*

ProprIa RIferIVM ſat geſta LoqVVntur VbI-VIs, *An. 1256.*
QVI Leges & IVs CartVsIenſe noVat.

Quod vt melius intelligatur, ponemus hic verba Petri Sutoris: quæ ita habent. *Riſferius tertius decimus maioris Cartuſiæ* PRIOR, *vir recolendæ memoriæ, omnibus literis tam diuinis quàm humanis admodum eruditus, doctrina, ingenio, & exhortatione efficaciſſimus,* CARTVSIENSIS *propoſiti* CONSVETVDINES *(quæ modò antiqua Statuta dicuntur) ampliauit, correxit, in* *a lib. 2. vitæ Cartuſ. Tract. 3. c. 7 pa. 561.*

vnum

vnum cōgeſſit, ternaſq; in partes aptiſſimè diſtinxit: Tanta deniq; ſtyli venuſtate grauitateq; ſcripſit, vt & Cæſareas Leges ad viuum referre, & omnes ſui temporis ſcriptores, ſtyli nobilitate ſuperaſſe non dubitetur.

XIV. GERARDVS hic cùm ſex admodum annis ad ordinis clauum conceſſiſſet, laudabiliterque maiori Cartuſiæ prȩfuiſſet, beato in Domino fine quieuit.

An. 1267. Et noſtro narratVs erIs pater aLMe Labore;
AptVs es haC Læta ſe De GerarDe frVI.

XV. GVILIELMVS I. Hic cùm per annos circiter quinque præfuiſſet, obijt anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo octauo.

An. 1273. PaſtorI referes IVſto GVILIeLMe repoſta,
Annona Lenes hVbere paſcis oVes.

XVI. BOSO. De hoc ſuperius in NOTES noſtris ad cap. 17. Dorlandi: obijt verò non ſine eximiȩ ſanctitatis opinione circa annum Domini tertium decimum poſt mille trecentos: cùm iam ordinem vniuerſum rexiſſet ad annos circiter quinque ſupra triginta,

An. 1278. Argento pretIoVe egeas aVroVé, qVID [InDe?
* Suſcitauit eum mortuum FraCta Boſo *ParCæ IVngere FILa potes.

XVII HAYMO, ſiue Aymo. De hoc quoque vide caput 18. Quindecim enim annis cum præfuiſſet, ad cellæ quietem redire petens, compos factus eſt voti. Cùm prius magnas habuiſſet cum nobilibus quibusdam, de quibus tamen fœliciter triumphauit, difficultates controuerſiasq;, Ad quod etiam ſequens alludit.

SVnt

SVnt nIhILo fVrIæ,robVr ſæ CLIqVe potentes; *Anno* 1304.
FortIor eXosIs VIrIbVs HaYMo potes. *XVIII.*

IACOBVS de Viuiaco. De hoc refert Sutor lib.2.tract.3.cap.7.pag.530.quod tantę fuerit ſapientię,diſcretionis,conſilij,atque illum in modum cõtemplationi deditus,vt qui cùm eo verba facerent,Angelum ſe Dei reperiſſe crederẽt, vnde & imis ſummiſq; precibus ſemel iterũq; obtinuit, vt ab officij ſarcina poſſet amoueri: quod licet difficulter,conſecutus eſt tamen. Ad quod ſequens alludit Deſtichon.

QVIs ferat aVre bona, qVoD CeLLas ſeDIbVs IpsIs
Antehabeo? Veras res IaCobe probo.

CLARVS (de quo Dorlandus cap.20.) obijt anno Domini,fuitque antea PRIOR Cartuſiæ Parienſienſis.Verum GENERALIS conſtitutus,præfuit ordini annis quinque vel ſex. *XIX.*

Annis CognItIone CLaro prænoMIne VIta
Vrens & præIens ergo qVoVſqVe Lates?

IACOBVS ſecundùm Generalis,qui tamen poſt quinquenium denuò abſolutionem petijt, & accepit;vti ſequens innuit Deſtichon. *XX.*

VnDe IaCobe reDIs?perqVIrIt gLorIa par Vos
SIC rapVIſſe nefas,Vt repVLIſſe nefas.

HENRICVS cognomento Poleti antea Prior Pariſienſis,ſucceſsit Iacobo Viuiaco anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo tertio, rexitque Cartuſianam familiam tribus annis,& poſtmodum Lutetiam Pariſiorum reuerſus,ibidem obijt;iuxta id quod habet Deſtichon. *XXI.*

Fratri-

Anno 1343. FratrIbVs HenrICVM ternos LargItVr In annos

Ἀουρετία at rVrsVs pIgnVs aVara rapIt.

XXII. IOANNES II. cognomento Birellius (de quo capite 22. dictum) aliquot habuit ad Pontificatum ſuffragia, vtpote eximiæ ſanctitatis vir, qui plurimum ordini profint annis iſtis quatuordecim quibus & præfuit: obijt verò nõ ſine miraculorum gloria anno Virginei partus ſexageſimo poſt mille trecentos, ipſa Epiphaniæ ſolennitate.

Anno 1346. *SVaVIter & LaVtè Grates nVtrIere BIreLLVM;*

EffLVIt hInC IVſto gratIa tanta VIro.

XXIII. HELISARIVS (de quo ſimiliter capite 23. diximus poſtquam annis circiter quinque magna cum laude ſanctitatiſque opinione Cartuſiã rexiſſet, obijt anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo in die S. Barnabæ Apoſtoli, hoc eſt xi. Iunij.

Anno 1360. *ELYsiæ ſoboLes Pater eſt HeLIſarIVS ore.*

Corporea horreſCens, athera Mente ferIt.

XXIV. GVILIELMVS II. cognomento Reinaldi (de quo Dorlandus capite 24. pag. 247. & nos in NOTIS) ex Priore vallis bonæ factus ordinis totus Generalis, Cardinalatum ſibi oblatum recuſauit. Quin immo etiam ſummum ad Pontificatum vndecim habuiſſe ſuffragia dicitur: ſed malens in ſua deliteſcere Cartuſiana quiete, cum ad annos circiter triginta quinque prudẽter laudabiliterq; ordinis negotia adminiſtraſſet, piè ſanctèque in Domino obdormiuit, anno nimi-

nimirum partæ ſalutis milleſimo quadringenteſimo ſecundo, die quinta menſis Iunij.

AnnoſIs pLaCItIs ſCItè noVa ſIngIs, & aptI An. 1366.
IngenII ſtabILes Das RaynaLDe notas.

BONIFACIVS ex nobili Ferrariorum oriundus familia celebre ſibi per ordinem vniuerſum conſciuit nomen, quemadmodum ex Dorlando & Sutore ſuperius fuit indicatum. Egerat enim antea PRIOREM in domo Portæ cœli prope Valentiam, nobilem ſcilicet Hiſpaniarum Vrbem. Verum in GENERALATV ad annos circiter octo conſtitutus, vltro ceſſit officio, anno nimirum RedemptiOrbis decimo ſupra milleſimum quadringenteſimum celebris Iuris vtriuſque Doctor: ad quod ſequens alludit Diſtichon. XXV.

(IpſI IVre In VtroqVe VaLens DoCtVs BonIfaCIVs An. 1403.
LaVs fVIt, aLterIVs ſeDe abIIſſe bono.

IOANNES III. de Griffomonte, natione Saxo, ex Priore domus Pariſienſis, ſedente capitulo Generali, anno milleſimo quadringenteſimo decimo, electus eſt in totius Ordinis GENERALEM, fecitq́; officio ſuo, toto decem annorum curriculo, ſatis; ſepultus cum Patribus ſuis anno milleſimo quadringenteſimo decimo. XXVI.

SoLVs Iohannes CœLeſtIs gratIa ſoLa, An. 1410.
Laſa Integra feret paCis aMata bona.

GVILERINVS (quē Sutor & alij Gulielmū de Mota nuncupant, fuitq́; iſtius nominis III.) admirandæ humilitatis, ſummæq́; pietatis extitit, adeo vt vna cōtentus tunica, in victu potuq́; magnum frugalitatis præberet exemplum. De XXVII.

cuius eximijs virtutib. cõſulat Lector Sutorẽ li. 2. de vita Cart trac. 3. c. 5. p. 541. Ibi nãq; reperiet, quanta miraculorum gloria ante, & poſt obitũ (hic autem fuit anno ſupra milleſimum quadringenteſimum trigeſimo ſeptimo, 18. Iunij.) floruerit: quod & ſequens innuit Diſtichon:

Anno 1410. *QVantVs eras VIVens, qVantVs GVILerIne ſepVLtVs,*

TeMporIs eLapſI faCta VtrIVſqVe CanVnt.

XXVIII. FRANCISCVS huius nominis I. cognomento *Mareſme* ex Priore montis hilaris, quæ Cartuſia iuxta Barcinonem in Valentiæ regno ſita eſt, in GENERALEM adſumptus, vir fuit non ſolùm pietate clarus, verùm prudentiæ opinione, & eruditionis laude cum primis celebris ità vt tempore Concilij Baſileenſis decem habuiſſe ad Pontificatum ſuffragià dicatur. Hic etiam ædificauit in maioris Cartuſiæ confinio in honorem Deiparæ Virginis pulcherrimam Capellam, quæ etiamnum magno illic in pretio habetur, vocaturque B. Mariæ de Caſalibus, Obijt autem die S. Vincentij Martyris, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo tertio cum annis circiter viginti quinque Ordinis curam geſsiſſet.

Anno 1438. *FranCIſCo ſrVſtra Ingeſtos qVIs CreDIt honores?*

QVID nIſI VIrtVtes aſpera rVra Creant?

XXIX. IOANES IV. patria Neomagenſis (quæ inſignis Geldriæ vrbs eſt) cognomento Rœſendal, cum eſſet profeſſus ac Prior domus Vallis benedictionis propè Auinionẽ, electus eſt anno Domini 1463. mẽſe Februario, in totius ordinis Genera-

neralem. Obijtq; ſenex ac plenus dierum anno reparatæ ſalutis milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo in feſto S. Annæ, quod eſt 26. Iulij. AEtatis autem ſuæ ferè nonageſimo, regiminis vero nono: qui à multis *Angelicus* vocabatur, ad quod ſequẽs quoque alludit Diſtichõ.

VIVat Ioannes VIta hVnc reVerentIa, VILIs
**EXpers fœtorIs nVnCVpat AngeLICVM.* *Anno 1463.

ANTONIVS I. Hic quoq; ex eiuſdem Auinionenſis domus Priore creatus eſt maioris Cartuſiæ, ſeu totius ordinis PRAEFECTVS; idque anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, obijt autem iſtius eiuſdẽ ſeculi octogeſimo primo, die quarta decima menſis Februarij, ita vt annis plus minus nouem præfuerit. XXX.

ProDIIt oCCaſVs Abbas AntonIVs orIs, *Anno 1472.*
AEgyptVs sILeat GaLLIa DoCta praIt

Huc vſq; ſe extendebat Chronicon PRIORVM *maioris Cartuſiæ, ſiue* GENERALIVM *quod penes nos manuſcriptum habemus: vnde iã reliquorũ potius nomina, quàm vel patria, vel vita conuerſatio enumeranda erunt.*

ANTONIVS II. Quo anno hic regiminis habenas ſuſceperit, conſtat ex numerali, quod ſequitur, Diſticho. XXXI.

Læta ter hVbertas, sI Magno AntonIVs aLter *Anno 1488.*
SVffeCtVs, FLores frVCtIFICantIs agrI.

PETRVS II. cognomẽto Rufus ſcripſit in Pſalterium & in Cantica cuius Præſulatus tempus, ſequens indicat verſus: XXXII.

Anno 1495. *PLVs reLIqVIs aLIIs ſoCIos nI PetrVs a Maſſet Cartuſiæ neqVe sIC enVtrIſſet oVes.*

Obijt verò an. 1503. De quo vide Sutorem lib.
XXXIII. 2. vitæ Cart. pag. 527.

FRANCISCVS II. Hic eſt ille celebris I. V. Doctor à Puteo trahens nomen de quo Sixtus Senenſis libro quarto Bibliothecæ ſanctæ ita ſcribit: *Franciſcus Puteanus*, CARTVSIAE *Prior 33. virniſq; iuris* DOCTOR *præſtantiſſimus. & in ſacris Scripturis exercitatus, compoſuit ad imitationem Diui Thomæ Aquinatis Auream Cathenam ſuper Pſalmos. In qua explanationes Patrũ Latinæ Eccleſiæ in Pſalterium, adiectis etiam eorum nominibus, maxima diligentia, miroq; artificio congregauit* Prodijt hęc cathena Pariſijs in folio, anno 1529. Curauit etiam imprimi Baſileæ apud Amorbachium antiqua ordinis ſtatuta, anno Domini 1510. Quin & Diui Brunonis canonizationem vt vocant, anno 1514. ſtudioſè procurauit, recuperauitque ordini domum SS. Stephani & Brunonis in Calabria ſitam. Fuit verò patria Lugdunenſis, & duorum Epiſcoporũ, Valentiæ ſcilicet & Gratianop. à multis annis Officialis. Verum cùm ætate iam quinquagenarius eſſet, relictis rebus omnibus mundanis, diuino ſe, maiori in Cartuſia famulatui adduxit. Neque longè poſt, ad domus eiuſdem Prioratũ eſt euectus. Quam quidem octodecim annorũ curriculo tanta quum prudentia gubernauit, vt poſteris omnib. perpetuã ſui memoriã reliquerit. Exceſſit verò rebus humanis anno viceſimo primo poſt ſeſquimilleſimum, menſe Sept. Qui, quo-

quoniã ſtatuta ſuo tẽpore typis mandari pręcepit, hinc eiuſcemodi meruit numerale Diſtich. *Anno 1304.*

CartVsIanVs hIC eſt, qVI sVppLeat arte retrVſa,

Et ſanè eXCVtIat ſanCta ſtatVta patrVM.

GVLIELMVS III. cognomento Bibaucius, *XXXIV.*
honeſto imo & ſplẽdido loco in Flandria natus, cùm eſſet puer annorũ nouem, Louanium à parentibus ſtudiorum cauſſa miſſus tantos ibidẽ in literis fecit progreſſus, vt ingẽtem omnibus admirationẽ excitaret. Erat enim ingenio acri ac vehemẽti, memoria vero tam tenaci, vt quidquid ſemel apprehendiſſet, nulla temporis diuturnitate euaneſceret. Quã verò dulcis eloquio fuerit, diuinarumq; peritus literarum, Conciones illæ Capitulares, quas in præcipuis quibuſdam anni Solemnitatibus publicè in Conuentu habuit, liquido teſtantur, impreſſæ nimirũ anno 1539. ſtudio Iudoci Heſsi, Erphordianæ domus Priore, quibus etiamnum ordo pleriſq; in Domibus vtitur. Cęterum Bibaucius adulta iam ętate beneficio Principis, cuius liberos erudiebat, ad ſummos honores ac dignitates euectus, ſoli Deo placere deſiderãs, Cartuſianæ ſe familiæ Gandaui addixit: & tandem Generalis ordinis deſignatus, ad maiorem ſe conferre Cartuſiam, obedientiæ compellente præcepto, debuit: cui ad annos circiter tredecim magna cum laude præfuit.

EffICIt æternos pLeroſqVe ſCIentIa parta, *Anno 1521.*

VeL regnantIs honos, hæC GVILIeLMe tenes.

IOANNES V. cognomento Gailhardus, eſt *XXXV.*
idem ille, cui anno Domini 1537. dedicauit P. Iu-

docus Heſſus conciones Capitulares Guilhelmi Bebauci;cœpitq́; præeſſe circa annum Domini 1534.iuxta id quod habet Diſtichon.

Anno 1620. *Os Canẽs*ſoLVM,CeLebrata ſCIentIa,VIrtVs*
Ioannes tItVLI nobILItatVs erat.

XXXVI. PETRVS III.Huius quoque regiminis tempus,ſequens indicat Verſus,

An. 1541. *ECCe thronVs Petro eſt eX fortI peCtore poſCVnt.*
IrreqVIeta patrIs MVnIa CartuVſIæ.

XXXVII. IOANNES VI. Similiter,& de hoc deuotiſſimo patre nihil habemus aliud, niſi vt ſequẽti eum condecoremus Diſticho.

Anno.1594. *CVr eſt praLatVs, qVaLIs, qVantVſqVe VeL apto.*
NoMIne Ioannes VatICInare pLaCet?

XXXVIII. DAMIANVS, conſimili quoque honore & hunc R. Patrem dignabimur: Huic quippe anno Dom.1553.dedicauit P.Bruno à Loer Conciones Lanſpergij de Sanctis.

An. 1553. *HVbere VatIs eget Vena,reVerentIa VItæ,*
Interea eX IgVI te DaMIane nVtrI.

XXXIX. PETRVS IV. cognomento Sardenus, præeſſe cœpit anno Domini 1554. cui deinde anno ſequenti epiſtola quadam dedicatoria, minoribus Ioannis Lanſpergij operibus præfixa,publicè congratulatus eſt præfatus P. Bruno Loherius,huius noſtræ domus Vicarius doctiſſimus iuxta ac pientiſſimus.

Anno 1554. *CrIſpentVr VentI, MoVeatVr tVrba proCeLLæ,*
SaXo eXCIſa Petro CartVſIana petra eſt.

XL. BERNARDVS II. cognomento *Carraſſius*, cuius ſupra mentionem fecimus lib.1.Notarum S.p.Hic ad annos circiter viginti maiori prçfuit Cartuſiæ,neq; ſolú prçfuit,ſed & plurimú profuit.

fuit. Dedit nãque operã, vt Homiliaria Ordinis, quibus nocturnis plerumque temporibus in diuino officio vtimur, & hactenus non niſi manu ſcripta extabant, regali folio magnificentiſſimè Lugduni Galliarum, maioris Cartuſiæ expenſis, ann. Domini 1585. imprimerentur, adhibitis exquiſitiſſimis elegantiſſimiſque, iconibus Theobaldi Ancelini. Quin & Lutetiæ Pariſiorum ſpectabili charactere, chartaque probatiſſima Nouam Cartuſienſium Statutorum Collectionem an. 1582. prælo mandari curauit, apud Henricum Theoderici, via Iacobea, ſub Sole aureo. Taceo de noſtri inſtituti Breuiarijs ac Diurnalibus: in quibus reuidendis reuidendiſque magnam præfatus Pater diligentiam poſuit: quoad vſq; graui preſſus ſenio, vitam pientiſſimè finiret, anno nimirum Domini 1587. *An. 1566.*

NeſCIo ſI reDeat Cœlo BernarDVs ab aLto,
SIVe reCens aLter proſILIt arce poLI.

HIERONYMVS I. cognomento Lignanus, præter alia quæ vniuerſo præſtitit Ordini commoda, curauit expenſis maioris Cartuſiæ in magno folio cum cantu imprimi HYMNOS omnes, quibus per totius anni circulũ vtimur; idque per Theobaldum Ancelinum an. Do. 1588. quo & mortuus eſt, adeo vt vix biennio præfuerit. *XLI.*

(parCe,
Fert LIteraVna noCens, Vt egens Vate hVbere *An. 1588.*
HoC qVoqVe neC VaLeat noMen habere ſtYLo.

HIERONYMVS II. cognomento *Marchãt*, ex Priori Cartuſiæ Lugdunenſis ob eximiam pietatem, inſignemque vitæ ſanctimoniam an- *XLII.*

no Domini 1588. in totius Ordinis GENERALEM eſt electus, cui præfuit vſque ad annum nonageſimum quartum.

Anno 1594. *TaLIs CartVsIæ ſoboLes. HIeronYMVs aCtIs CVLtIs, Vt rapIat, VeL VIoLenter, epos.*

XXXIII. IOANNES Michael, iſtius nominis VII. patria Conſtantienſis cum antea plurimis annis laudabiliter Cartuſiæ Parienſi præfuiſſet, tandem ad totius ordinis præfecturam promoueri meruit. Cui nō minus piorum ſcriptione librorum, quām integerrimę vitæ cōuerſatione profuit. Edidit enim *Exercitia ſpiritualia Triplicis viæ.* Item *Enchiridion quotidianorum ſpiritualium exercitiorum*: nec non & *Decachordum Pſalterium.* Cuius celeberrimo quoque nomini inſcripta eſt ante annos decem Gregoriana Confeſsio: adeo vt ſi quis tanti Patris virtutum breue quoddam cupiat habere compendium, dedicatoriam huius Confeſsionis queat cōſulere epiſtolam: vel potius pientiſsima huius deuotiſsimi Patris ſcripta, quæ calamo exarauit, publicique iuris effecit ad quæ ſequens alludit numerale Diſtichon.

Anno 1594. *Noſter pLenus honos Ioannes fVLget In alto. SVaVIVs hVnC oCVLIs, aC ManV arante Leges.*

BRVNO II. BRVNO II. cognomento Daffringues, patria Audomaropolitanus, fœlici nomine an. iubilęi proximo, qui fuit humanę ſalutis 1500. communi Patrum conſcriptorum ſuffragio, ex priore Auinionenſi in totius ordinis GENERALEM eſt adſcitus, cùm antea in ſeculo degens ob inſignem iuris peritiam aliquamdiu Auinionenſis

ſis, Curiæ fuiſſet OFFICIALIS. Qui tamen exemplo Bonifacij Ferrarij, nec non & Franciſci Puteani, celeberrimorum Iuris vtriuſq; Doctorum integerrimorum nimirum prędeceſſorum ſuorum, ſpretis mundi honoribus, dignitatumque titulis, ad horrendam maioris Cartuſię heremum, quaſi ad tutiſsimum ſalutis portum libens volenſque confugit, In qua etiamnum, tanquam in ſublimi ſpecula ANTISTES conſtitutus, ordini præeſt vniuerſo, grauiter primi anteceſſoris ſui DIVI BRVNONIS veſtigijs inſiſtens, vti olim hiſce luſimus verſiculis.

BRVNO DAFFRINGVES *hoc ſanctum claudit ouile.*

Moribus antiquis ſe ſuoſq; regens.

Verum vt etiam numerali carmine eiuſdem Reuerendi Patris (cui vitam apprecamur longæuam, ac valetudinem tantis laboribus parē) electionis annum, vti in ſuperioribus omnibus Generalibus Ordinis Miniſtris fecimus, exprimamus, ac primum ſacri ordinis SANCTISSIMVM Præſulem ſecundo, huius eiuſdem fœliciſsimi nominis iungamus, eccum hoc.

NVnC CIto, nVnC eXeCta pcto naVaLe CarIna. *Anno* 1600.

Prora MIhI BrVno, BrVnoqVe pVppIs agat;

FINIS LIBRI IV. NOTARVM.

ELVCIDATIONES IN LIBRVM QVINTVM CHRONICI CARTVSIENSIS.

An verum ſit B. Euangeliſtam Marcum ſeipſum pollice truncaſſe.

CAP. I. pag. 267. B. Euangeliſta Marcum ferro ſibi ipſi pollicem ademiſſe, & ſi non ſolùm Dorlandus hic referat, ipſeque Marcus Marulus lib. 1. rerum memorabilium, cap. 6. allegando nimirum teſtimonium D. Hieronym. in Prolog. ante Marcum, tame(ſi Baronio fides habetur) non niſi mera eſt fabula: hæc namque formalia ipſius ſunt verba: *a illa vulgi ore potius decantata, quàm maiorum authoritate adſerta fabella reÿcitur, qua dicitur, Marcum adeò repugnaſſe ne Epiſcopus fieret, quantumlibet eſſet rogatus à Petro, vt ea de cauſſa pollicem ſibi ipſe præſciderit: hoc etenim quod à quodam Anachoreta factum eſſe conſtat, Marco Euangeliſta imprudēter nimis adſcribitur*: In eadem quoque ſententia eſt doctiſsimus ille Louanienſis Theologus D. Ioannes Molanus, dum ait; *b Si quis cupiat Marcum Euangeliſtam abſq; dextro pollice pingere, picturam hanc Epiſcopalis forcè authoritas reÿciet. Quia non tantùm primo Canone Nicæni Concilÿ prohibitum eſt ſeipſum mutilare, ſed etiam Sacræ Scripturæ authoritate.* Tum quoque c Iſidorus id non tam adſerit, quàm ab alijs referri dicit. Quod quidem deſumpſiſſe putatur ex præfatione non Hieronymi, ſed Græci cuiuſdam in Marcum; quæ ſic habet: *Amputaſſe autem ſibi poſt fidem pollicem Marcus dicitur, vt Sacer-*

a Tom. 1. Annal. an. Domini 45. in fine.

b Lib. de Picturis & Imaginibus, in fine cap. 38.

c Cap. 8. de Patribus Teſtamenti.

Sacerdotio reprobus haberetur. Hæc ibi. Ceterum * Ammonium heremitam, quod attinet cuius hic etiam Dorlandus meminit, de eo ſic paſsim refertur, quod Originis Didymiq; diſcipulus cùm eſſet, aurem ſibi præſciderit, ne Epiſcopali idoneus officio haberetur, qui cùm nihilominus ad eandem vrgeretur functionem, reſpondiſſe, ſe linguam quoque ſibi amputaturum ni miſſum eam facerent. Sic namque habet d aurelius Caſsiodorus, nec nō & Lauſiaca e Palladij Hiſtoria. Interim verò Petronij huius, quem Dorlandus putat pollicem ſibi abſcidiſſe fit mentio Tom.3. Surij, 20. Maij, in vita nimirum f Bernardini Senenſis. Vbi cùm recenſentur eximiæ aliquot ſanctitatis Viri, qui ex celebri illa hoſpitali Domo *de la Scala*, prodierunt inter cæteros etiā hic B. Petronius de Petronijs connumeratur. Vnde cōſtat illū vixiſſe circa an. Do. 1410. Obijt namque præfatus Bernardinus ſub Eugenio IV. anno ſcilicet Virginei partus 1444.

** Dorlandus eadem pagina 267. lin. pen. ult.*

De Ammonio heremita, auriculam ſibi præſcindente.

d *Lib.* 8. *c.* 1.

e *Hiſtor.* 12.

f § 6.

CAP. III. & IIII. Agitur duobus hiſce capitibus de duabus admirandæ pietatis Virginibus, ac noſtri inſtituti Monialibus, de quibus nihil præterea apud alios reperire licuit, niſi quod Caniſius ſuo in Martyrologio vtriuſque meminerit; dicens: S. Margarethæ obitus diem incidere in 30. Aprilis; Beatricis verò in 13. Februarij.

CAP. V. pag. 272. Ne cui mirum fortè videatur, quod pius hic Ruræmundanæ Cartuſiæ religioſus viderit Diuam Virginem cum filio ex altari ad ſe diſcendentem, referam hic conſimile exem-

le exemplum, quod circa annum Domini quadrageſimum ſupra milleſimum ducenteſimum in Luſitania contigiſſe PP. Dominicanorum referunt Annales. Idq́ue hiſce verbis. *Circa annum Domini 1240. claruit cur vita inculpata & probatiſſima F Bernardus, qui in Portugallia in Conuentu Sancterenenſi Sacriſtam agens, puerulos aliquot noſtræ religionis habitum geſtantes, poſt Miſſarum peracta myſteria, literis informabat ac moribus. Qui ex domibus maternis ientacula ſecum ferentes, poſtquam ſacris aliquot inſeruierant, ad Capellam quandam in eadem Eccleſia diuertêre, & ientaculum ibidem ſumere conſueuerant. Porrò erat illic in alteri poſita B. Virginis imago, & in ſinu eius paruulus* IESVS, *qui ſemper paruulorum humilitate delectatur & ſimplicitate, qui è ſinu matris deſcendens, cum illis ientaculum ſumebat. Quod cùm aliquot vicibus feciſſet, paruuli ad Magiſtrum rem querulι deferunt, narrantes quod ille paruulus ad eorum ientaculum ſemper deſcenderet, nihilq́; in ſymbolum ſecum adferret. Verum prudens ac religioſus Pater, re iſta ab innocentium, ore percepta, eos inſtruxit vt puerulo ad ſe denuò deſcendenti dicerent, quatenus & ſe & Magiſtrum vicißim ad ſuum inuitaret ientaculum. Qui cùm ſolennem Aſcenſus ſui diem, ijs adſignaſſet, tam pueri quàm eorum inſtructor innocentem Deo ſpiritum, poſt Miſſarum peracta ſolennia reddentes, ad eum læti peruenère, qui iubet paruulos venire ad ſe, dicens talium eſſe regnum cælorum.*

Inuenitur in Chronico P. Anthonij Senenſ. impreſſo Pariſ. apud Niuellium anno 1585. & ad finem Miraculor. Petri Venerab. recuſorum Duaci. an. 1595. apud Bellerũ.

Matth. 19. v. 14.

CAP.

CAP.VI. pag. 277. fit hic mētio Stephani cuiuſdam inſignis peccatoris, natione Flandri qui intercedente B.Maria Magdalena, ſuorum obtinuit veniam delictorum: de quo Iacobus de Voragine in feſto S.Mariæ Magd. Quin & a Syluester Prieras Eliam Dominicanum quendam dicit ab eadem confortatum, ne ſuæ desereret habitationis domicilium. a *Tom.4.Surij 22.Iulij.*

CAP.IX.pag. 281. redditur hic ratio, cur Ordo Cartuſienſis poſt lectam Primam de Sanctiſſima Dei Genitrice, nudum ſubiungi officium voluerit; nempe, *Salue ſancta parens*, quod quilibet priuatim in ſua perſoluit cella ſine vllo ſolenni ritu aut conſecratione. De quo ita etiam Ioannes Molanus in Natal.SS.Belgij, in vita S.Aibertí Confeſſoris, quæ eſt 2.Maij. *Meminerint*, inquit, *hac in parte imperitiores, Cartuſianos Patres ſingulis noctibus officium Miſſæ, citra tamen celebrationem de B. Maria dicere.* Cuius etiam Petrus Sutor meminit lib.2. vitæ Cartuſ. Tract.4.cap.pag.701.

CAP. XIII. pag.286. Arnhemienſis hæc Cartuſia, cuius hic meminit Dorlandus, à Duce Geldriæ olim ſumptuosè ædificata, in hoc Belgico tumultu funditus eſt euerſa: licet quondā eximios aliquot habuerit & pietate & eruditione præſtantes Viros. Cuius idcirco magna cū laude meminit b Thomas Campēſis, in vita Gerardi Magni, dicēs illum loci iſtius pietate captum, eo ſe contuliſſe, cellamque Cartuſianorū more incoluiſſe, carnemquē ferocientem ſat rigido cilicio ſpiritui ſubiugaſſe. Fuit autem hæc Cartuſia *Domus Monachorum* ideo vocitata, quod eius fundator cùm eſſet maximarum opum vir, b *cap.4.&7. Domus Monachorum, vnde vocitatá Arnhemenſis Cartuſi. Germanicè* Mōnich hauſſen.

&

& mirè compatiens ijs, qui ab hominũ conuerſatione ſeiuncti, in ſolitariæ vitæ quiete Regi Regum arctius famulantur, largiora voluerit ijſdem adſignare habitandi domicilia; adeo vt pro regia magnificentia loci illius Monachis domos potius, quam cellulas fabricari iuſſerit: quæ tamen iam oẽs(proh dolor)in fauillã cineresq; redactę. Loci verò huius fundator fuit Reinaldus I. Geldriæ Dux qui obijt anno 1343. & vxor eius Eleonora, Eduardi Angliæ Regis filia.

CAP. XXIII. in fine. Cur B. Gregorius Papa pingatur paſsim celebrans corã Dominicæ paſſionis imagine, videat Lector apud Ioannẽ Molanũ, cap. 61. de picturis & imaginibus; dicitur namq; Christus tali ſchomate B. Gregorio ſacris operanti apparuiſſe.

CAP. XXVI. pag. 302. Videtur hoc exemplum diuerſum eſſe ab illo, quod Petrus Sutor lib. 2. vitæ Cartuſianæ hiſce verbis enarrat. a *Romæ*, inquiens, *puerulus quidam materna egreſſus domo, dum per vicos vrbis vagaretur, & gurgitẽ ſeu puteum quendam deſpiceret, cadens in præceps ſubmerſus eſt. Quem anxia mater ſollicitè perquirens, tandemq; fortè in gurgitem proſpiciẽs, chariſsimi pignoris ſui pileum ſuper vndas natitantem animaduertit: tum grauiſsimis adfecta laboribus, maximisq; ſingultibus plena, eiulare, aurasq; implere. Cœpit & prudentius feruentiſsimis precibus B. Nicolaum pulſare, totaq; illi mente extinctum filiũ cõmendare. Res mira: reſedit qui erat mortuus. Qui, inquam, obrutus aquis miſerabiliter fuerat deploratus, ſuper aquas viuus hilari vultu proſpecta-*

a Tract. 3. ca. 4. pag. 501.

ſpectabatur. Quid plura? diligenter extractus ſine læſione inuenitur, gratiæ ingentes aguntur, rumor per vrbem volitat, qui & Pontificis aures pulſat, ſolennis proceſſio pro gratiarum actione inſtituitur, concurritur, atq; in loco edito puer collocatur. Qui vagis oculis omnia luſtrans, CARTVSIANVM *quendam qui tum aderat, inter cæteros animaduertens, citato greſſu eũ adijt, cucullamq; illius arripiens, in hæc verba prorupit:* De iſtis eſſe volo, de iſtis eſſe volo; in ſuperna etenim patria immenſum iſtorum numerum vidi, æterna illa gaudia iſtis plena coruſcant. *Quibus dictis, ſub cuculla delitеſcens, fortiterq; manu retinens vix dimoueri potuit.* Subdit deniq; Sutor hæc palàm in omnium oculis Romæ eſſe geſta, dicitq;: *hæc autem cùm in villula vel oppidulo acta non ſint, ſed in Vrbe clariſſima, in Vrbe, inquam, illa quæ (ſi Poetæ creditur)* *Mirum teſtimonium de Cartuſianæ vitæ ſanctimonia.*

——— tantum alias inter caput extulit vrbes,
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi, *Virgil. in Bucol. Ecloga 1.*

ſatis oſtendunt, quàm ſit Deo Cartuſiana vita grata.

CAP. XXXVII. pag. 318. lin. 2. Quàm periculoſa ſit procraſtinatio, maximè ijs qui taciti ſecũ priuatum aliquod ſeu ſimplex conceperunt votum, vel alias diuino inſtinctu ad religionis ingreſſum ſe pertrahi animaduertunt, patet euidenter ex epiſtola D. Bernardi centeſima octaua: in qua grauiter increpat Thomam de S. Audomaro, qui tranſgreſſus terminum quem poſuerat, religionis ingreſſum procraſtinans, annuas adhuc flagitabat inducias: quem idcirco vir Sanctus hiſce alloquitur verbis; *Terminum poſuiſti, quem non oportuit tranſgredi. Tranſgreſſus es, quid*

ad

ad me? Tuo Domino ſtas, aut cadis. Obſecro redi ad cor, & aduerte hunc annuum terminum, quem tu tibi indulſiſti in iniuriam Dei, non eſſe annum placabilem Domino; ſed diſcordiæ ſeminarium, iræ fomitem, nutrimentum apoſtaſiæ, qui ſpiritum extinguat, gratiam intercludat, teporem adferat illum, qui Deo ſolet vomitum prouocare. Heu, heu; videris mihi vno ſpiritu ambulare, ſicut & vno

Extat epiſtola D. Bernardi ad hunc Thomam de Beuerle, & eſt 107. *cenſeri nomine cum altero illo Thoma, olim ſcilicet Præpoſito de Beuerle, qui cùm ſe ſimiliter noſtro Ordini, & noſtræ Domui toto deſiderio deuouiſſet, cœpit induciari, & ita paulatim refrigeſcere, donec ſubita, & horrenda morte præreptus, factus de medio eſt ſecularis, & præuaricator & duplo filius gehennæ.* Rectè ergo B. Gre-

b *Homil. 12. in Euangel. Ibidem.* gorius olim dixit; b *Qui pænitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit.* Quod ita ſe habere terribili admodum Chriſaurij cuiuſdam comprobat exemplo, qui cum agone ac dæmonum cateruis acriter conflictans, horrenda voce proclamabat: *Inducias vel vſque mane, inducias vel vſq; mane.* Sed eheu, in ipſis ſuis vocibus, de habitaculo carnis anima confeſtim euulſa eſt. Quam ergo prudenter nos præmonet Eccleſia-

c *Cap. 9. v. 10* ſtes, dum ait: c *Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Et cœleſtis

d *Deut. 23. 21* ille Legifer; d *cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus; & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

CAP. XLI. Diſceptat hoc loco Dorlandus cũ illis, qui arbitrantur Cartuſianos propriæ obeſſe valetudini, dum ab eſu vſuq; carnium penitus

e *pag. 326. lin 6.* abſtinent; dicitq; e vitellis ouorum non minus poſſe conſulere valetudini, quàm carnium eſu;

quæ

quæ etiam inſignium aliquot medicorum eſt ſentētia. Quemadmodum latius probat Petrus Sutor lib.1.vitæ Cartuſianę,pag.182.maximè verò cap.8.Tract.3. Vbi materiam hanc ex profeſſo pertractans, inſignes aliquot adducit rei Medicæ Doctores, huic Dorlandi ſententiæ ſubſcribentes,probatq; ex ipſo D.Hieronymo ante diluuium (cuius etiam Dorlandus hac eadem pag.326. lin. 16. meminit) non fuiſſe in vſu apud primæuos illos Veteris Teſtamēti Patres (quorum tamen nonnulli ad tam longæuum peruenêre ætatem, vt ipſam Mathuſalem haud procul à milleſimo ætatis ſuæ anno abfuiſſe *f* facere conteſtentur literæ)carniū eſum. Hinc eſt quod B.Hieronymus contra Iouinianum inter cætera ſic ait: *g Ab exordio conditionis humanæ nec carnibus veſcebamur, nec dabamus repudium, nec præpulia nobis tripiebantur in ſignum. Hoc curſu vſq; ad diluuium peruenimus. Poſt diluuium autem cum datione Legis, quam implere nullus potuit, carnes ingeſtæ ſunt ad veſcendum.* Imò & Philoſophorum nonnulli, adeoq; & gētes natione Barbaræ, vt rerum difficilium contemplationi commodius poſſent vacare, non niſi vel agreſtibus herbis, vel alio vulgaris cibi genere famem voluere depellere, adeo,vt omnem carniū eſum vltrò à ſe profligauerint. Quēadmodum de Pythagora,celebri in primis Philoſopho conſtat: quem hoc pacto ſuper hac re differentem ac cum ijs qui carnibus animalium veſcebantur expoſtulantem,Naſo introducit:

Explicatur alter Dorlandi locus, quo dicit ante diluuium carniū eſum vſitatū non fuiſſe.

f Geneſ.5 27.

Ante diluuium homines non commediſſe carnes.

g lib.1.contr. Iouin.cap.1

Heu quantum ſcelus eſt in viſcere viſcera condi,
Congeſtumq; auidum pingueſcere corpore corpus,
Alteriusq; animantem animantis viuere letho?

Lib. 15. Metam. 2.

H Scilicet

Scilicet in tantis opibus, quas optima matrum
Terra creat; nil te niſi triſtia mandere ſæuo
Vulnera dente iuuat? ritusq; referre Cyclopum?

Sed vt videas quibus nos velit cibis veſci, quò ad philoſophandum inſtructiores animoque ſagaciores reddamur, audi eundem, & ſi potes ſequere:

Ibidem.

—ſunt fruges, inquit, *ſunt deducentia ramos*
Pondere poma ſuo, tumidæq; in vitibus vuæ;
Sunt herbæ dulces, ſunt quæ miteſcere flamma,
Molliriq; queant, nec vobis lacteus humor
Eripitur, nec mella thymi redolentia flore.
Prodiga diuitias, alimentaq; mitia tellus
Suggerit, atq; epulas ſine cæde, & ſanguine præbet.

Cum hac cibi frugalitate vitam toleraſſe iucundam videtur Dydimus ille, Brachmanarum Rex, qui in epiſtola ad Alexandrum Magnum ita ſcribit. *Habebis maximas cum voluptate opes, ſi ita mecum viuere voles: non veſcor animalium viſceribus vt leones, nec intra pectus meum incluſæ quadrupedum aut volatilium carnes putreſcunt, nec ſum mortuorum ſepulchrum, ſed prouidentia naturalis omnes mihi fructus, vt lac mater infundit.* Perſarum quoq; à Xenophonte victus exponitur, quos negat ad panẽ adhibere quidquam, præter naſturtium: *quanquam, ſi quædam etiam ſuauiora natura deſideret,* inquit h Cicero, *quàm multa ex terra, arboribusq; gignuntur cùm copia facili, tum ſuauitate præſtantia? adde ſiccitatem, quæ conſequitur hanc victus continentiam, adde integritatem valetudinis, confer ſudantes, refertos epulis, tanquam opimos boues, &c.* Atque hinc eſt quod venter pinguis,

Vide Franciſcũ Petrarch. lib. 2. de vita ſolitaria, ſect. 6. cap. 1.

h Cicero libr. 5. Tuſc. quæſt. haud procul à fine.

ac carnis edulio benè ſaginatus, non ſolùm non gignat ſenſum tenuem, ſed in Venerem deſpumet: adeo vt rectè D. dixerit Bernardus: *i Abſtineo à carnibus, ne dum nimis nutriunt carnem, ſimul & carnis nutriant vitia.* *k* Qui autem in carne ſunt, Deo, inquit Apoſtolus, placere non poſſunt. *i Serm. 66. in Cant.* *k Rom. 8. 8.*

Sed forſitan cum Iouiniano obijciet quis Cartuſiano, cur carnes igitur à Deo creatæ ſint, an non iam munda mundis? an non opera Domini vniuerſa bona valdè? Huic paucis cum *l* D. Hieronymo reſponde, vt nimirum milites & athletæ, nautæ, fvctores, metallorumque foſſores, & cæteri duro operi mancipati homines, cibos haberent competentes, quibus corporis poſſent fouere fortitudinem. *m Quid autem neceſſe eſt,* inquit idẽ, *viro ſapienti, & Philoſopho* CHRISTI, *tantam habere fortitudinem, quæ athletis & militibus neceſſaria eſt; quam cùm habuerit, ad vitia prouocetur? Illi arbitrantur carnes ſanitati congruas, qui volunt abuti libidine; & in cœnum dimerſi voluptatum, ad coitum ſemper exæſtuant. Chriſtiano* (& præcipuè Cartuſiano) *ſanitas abſq; viribus nimijs neceſſaria eſt.* Itaque cùm religioſis maximè incumbat mortificare membra ſua quæ ſunt ſuper terram, carnemque ſpiritui ſubijcere, ac ſemper mortificationem IESV Chriſti in corpore ſuo circumferre, hinc non ſolùm CARTVSIANI, ſed & Benedictini, imò & Cluniacenſes, Ciſtercienſes, aliæque complures religioſorum familiæ, ab eſu carnium abſtinentes, leguminibus plerumque atque oleribus vitam parcè frugaliterque olim tolerabant. *OBIECTIO.* *Tit. 1. 15.* *Eccl. 39. 21.* *SOLVTIO.* *l Hieron. lib. 2. aduerſus Iouinian. cap. 5.* *m Ibid. cap. 8. in fine.* *2. Cor. 4. 10.*

rabant: quæ vti libidinis ſeminarium minus inflammant, ſic & facilioris ſunt digeſtionis. De quibus vnumquemque noſtrum ſalubriter monens Hieronymus, iubet ne tales accipiamus cibos, quos aut difficulter concoquere, aut comeſos, magno partos, & labore perditos doleamus: *n.* *Holerum verò*, inquit, *pomorum, ac leguminum, & facilior apparatus eſt, & arte impendijsq́, coquorum non indiget; & ſine cura inſuper humanum ſuſtentat corpus, moderateq́, ſumptus (quia nec auidè deuoratur, quod irritamenta gulæ non habet) leuiori digeſtione concoquitur. Nemo enim vno aut duobus cibis, hisq́, vilibus, vſq́, ad inflationem ventris oneratur; qua diuerſitate carnium, & ſaporis delectatione pecipitur.*

n Ibidem in princip. eiuſdem 8. cap.

CAETERVM, quàm ſeuerè diuina animaduerterit vindicta in illos, qui contra Legiſlatoris ſui decretum, ad ollas redierint carnium, iiſq́; non ſine ingenti monaſticæ religionis diſpendio ſeſe ingurgitauerint, poſſet varijs comprobari exemplis. Nam Beatus Odo primus Cluniacenſis Abbas, duo reuera terribilia Ioanni diſcipulo ſuo, qui eius vitam literis bona fide conſignauit, exempla in hunc modum retulit. *o* *per hos dies*, inquit, *duo fratres admodum repentina extincti morte ſunt, non tamen eodem vel loco, vel tempore. Alter eorum venit ad domum ſororis ſuæ, aitq́, ſe mirum in modum eſurire. Illicò reſpondet ſoror, magnam ſibi piſcium copiam ſuppetere; comederet quos, & quando vellet. Ille propè indignabundus, ait ſe faſtidire piſces,*

o Tom. 6. Surij 18. Nouembr. lib. 3. cap. 2. vitæ B. Odilonis.

Horrenda duorum Monachorum mors carnes contra regulæ præſcript. medere volentium

ces, quibus tot annis perpetuò vſus eſſet, nec iam illis veſci ſe poſſe. Tum ſoror; en, inquit, in promptu nobis carnes ſunt, ede quantum libet. Iuſſit ergo ille aſſari armum: ſed interim tamen moræ impatiens, particulam eius miſit in prunas, & vino allato, auidè illam in os coniecit. Mox adeſt vltio cœleſtis. Particula petulanter ſumpta, hæret in gutture, nec glutiri poteſt, nec reijci, ſtrangulat hominem, & cogit infœlicem exſpirare animam.

P *Alter manè ad patris ſui ædes veniens, rogat num quid habeant, quod poſſint ipſi edendum apponere. Illis dicentibus, nondum eſſe edendi tempus, reſpondet iratus: hem tota nocte equitaui, vt explerem quod iuſſus ſum, & vos ieiunare me cogitis? Adferte, ſi quid habetis. Aiunt illi ſe habere piſces. At miſer acrioribus etiam iracundiæ ſtimulis percitus, & factus tumidus, huc illuc circumfert oculos, videtq́; gallinarum gregem ad pedes ſuos. Mox non ſine furia quadam, arrepto baculo vnam ex eis, quæ ei arrideret, percuſſit, oreq́; rabido; hæc mihi, inquit, modo piſcis erit. Qui tunc illic aderant, non ſine rubore aiunt ad eum: fortaſſis licet tibi, pater, veſci carnibus. At ille; volatilia, inquit, non ſunt caro. Vnam enim habēt cum piſcibus originem, pariſq́; cum illis conditionis ſunt, ſicut habet quidam hymnus noſter. Ad has eius verba conticuerunt omnes. Deinde appoſita eſt illi aſſa gallina, ex qua cùm morſellum accepiſſet. Eum nec traijcere in ſtomachum, nec exſpuere potuit, repentè è medio ſublatus:* Eheu, quam graue eſt,

P *Refertur. quoq; hoc exemplum à Petro Abbate Cluniacenſ. cognomento venerabil. lib. 6. Epiſt. 17.*

O nequam Monachum, ac petulantem inſtituti ſui præuaricatorem, ingratumque.

Epiſt. 17. lib. 6. in qua ex professo probat carnium eſum duplici ratione Cluniaceuſ. inhibitũ.

incidere in manus Domini. *Hæc eſt certè*, inquit, Petrus Cluniacenſis, loco ad marginem citato, *primi & ſancti Patrus tui Odonis de carnibus Monachorum ſententia, hac doctrina.* Sed quid mirum ſi Benedictini, Cluniacenſes, ac Ciſtercienſes olim à carnium eſu abſtinuerint, cũ etiam D. Athanaſius fateatur ſui temporis Monachos idem factitaſſe? ſic enim in vita B. Anthonij ait; *q ſumebat panem & ſal. potumq́ aquæ perparuum; de carnibus verò & vino tacere melius puto, quàm quidquam dicere: quoniam nec apud plurimos quidem Monachorum iſtiuſmodi eſca in vſu haberentur.*

q cap. 2. circa finem.

Cartuſianus carnibus veſcens, an mortaliter delinquat?

Ita quoq. ſentit Nauarrus lib. 3. Conſil. conſil. 10. § 6. licet Emanuel Sa, in verbo Religio cõtrarium teneat: quem arbitror noſtri Ordinis ſtatuta non legiſſe.

2. parte Noua Collect. ſtatutor. c. 10. §.

Porrò, peccetne mortaliter, an verò venialiter Cartuſianus, agens nimirum contra hoc tã laudabile ac peruetuſtum ſacri Ordinis inſtitutum, inde vel facilè cõſtare poſſe videtur, quod olim à priſcis noſtri inſtituti Patribus ſancitum fuerit, vt qui hoc de non edendis carnibus præceptum violaſſe deprehenſus fuiſſet, totius Ordinis ſocietate excluderetur. Quod etſi hoc tẽpore in vſu non ſit, grauis tamen Nouis Statutis de talibus ſumitur pœna, qui huius tam laudabilis inſtitutionis tranſgreſſor extiterit, carnes ſcilicet comedendo, ſeu alicui Ordinis perſonæ miniſtrando, aut comedentibus aut miniſtrantibus conſentiendo, vel non prohibendo, prohibere cùm potuerit: *adeo vt ſi Prior, vel Vicarius aut Procurator hoc fecerit, ipſo facto tanquam ſuæ profeſsionis calumniator & tranſgreſſor* (ſunt ipſiſsima Statutorum verba) *obedientiam*, ſe officium quod ratione obedientiæ admi-

adminiſtrat, *perdat, & vocibus, ac locis debitis, cæteriſq; obedientijs Ordinis careat in æternum. Si verò ſimplex Monachus, aut alia quæuis perſonæ Ordinis extiterit, voce, loco, ac obedientijs carens perpetuò, ad Capituli Generalis voluntatem, carceri mancipetur.* Et quis dicere audeat, pro veniali delicto, religioſum quempiam ſolennibus, obligatum votis, ab Ordine cum perpetua nominis ſui infamia profligari, aut in carcerem conijci, omnique officij honore ſpoliari poſſe? Quid, an non & ipſa plurimorum annorum inueterata, atque à multis ſanctis Patribus commendata, cœleſtique inſuper miraculo comprobata conſuetudo, pro lege meritiſsimo iure cenſenda habendaque eſt? Anno namque Domini quinquàgeſimo quarto ſupra milleſimum ducenteſimum Patres illi qui ad Generale conuenerant Capitulum ſponte in duorum qui tum aderant Præſulum præſentia, carnium eſui perpetuò renuntiarunt, voluerunt que huius rei publicum aliquod literarum extare monumentum huiuſcemodi conſcriptum verbis: *Nouerint vniuerſi præſentē paginam inſpecturi, quod G. tunc temporis Prior* CARTVSIAE, *& cæteri Priores vniuerſi euiſdem Ordinis ad Generale Capitulum in* CARTVSIA *ſimul congregati, & in ipſo Capitulo exiſtentes, præſentibus Venerabilibus Patribus Red. Dei gratia Tarentaſienſi Archiepiſcopo, & F. eadem gratia Epiſcopo Gratianòpolitano, ſpontanei & voluntarij, non coacti tam pro ſe quàm pro ſuis Con-* *Originale aſſeruatur in archiuo maioris Cartuſiæ, ſignatum per C. I.*

uentibus vnanimiter & concorditer in pleno & Generali Capitulo & eſui carnium perpetuò abrenuntiauerunt: adijcientes, quod ſi quis illorum ſiue Prior, ſiue Monachus contra huiuſcemodi ſtatutum præſumptione temeraria (quod abſit) venire præſumpſerit, à ſocietate & communione totius Ordinis, & ab ipſo Ordine amotum ſe nouerit penitus, & excluſum.

a *Eccl.* 2. HAEC illi, & prudēter quidē. Nā ſi a Salomō vir ſapientiſsimus, idemq́; Rex potentiſsimus, & Propheta Dei, propoſuit à vino carnem ſuam abſtinere, quò tantò liberius animam ſuā tranſ-
b *Dan.* 1. ferre poſſet ad ſapientiam. Si Daniel & b tres alij pueri eſcis Regijs veſci noluerunt vt eſſent ad cæleſtes hauriendas illuſtrationes magis i-
c *Hierm.* 35. 8. donei. Si denique c Rechabitæ paterno parentis iuſſui, à perpetuo vini vſu abſtinuerūt, ipſeq́;
d 1. *Cor.* 8. 13 vas electionis conſtanter pronūciet, d *non ſe manducaturum carnem in æternum, ſi per eſcam fratrum quiſpiam ſcandalizetur*, quis culpare Cartuſianos meritò queat, ſi à delicatiori carnium eſu in omne æuum abſtinentes diuinarum ſe cupiant rerum commentationi aptiores reddere, carnemque ſpiritui commodius ſubijcere? Quin potius ob has, aliaſq́ue rariores pœnitentiæ exercitationes, id ordo promeruit Cartuſienſis, vt Primatum inter reliquas religioſorum hominum familias non immeritò teneat. Nauarrus namque ſacrorum Canonum interpres peritiſsimus, ac ſummi ingenij iudicijq́ue vir, conſultus à nonnullis, vtrum Cartuſianorum religio ſtrictior ſit, arctiorq́ue Minimorum quorum Statu-

ta

ta habent,vt ſemper ab omni lacticiniorum vſu abſtinentes,nullis alijs quàm Quadrageſimalibus vtantur cibis, excepto ęgritudinis tempore, quatuor potiſsimum rationes, cur fratres Minimi (huius autem ſanctiſsimi inſtituti initiator D. Franciſcus Paulanus circa annum Domini MCCCC.L. extitit) inferiores minoreſque nobis ſint. Quarum *primam* eam eſſe dicit,quod Cartuſiana religio nullo vnquam tempore permittat carnium eſum, etiam in grauiſſima,ac conclamata corporis ægritudine.*Secunda*,inquit,eſt, quod Cartuſianæ religionis iuge ſilentium, maximum ac quaſi intorabile cenſeatur onus: vnde Mantuanus Baptiſta ſilentia eorum,*æterna* vocauit *ſilentia*. Addit & hoc,quod cùm homo ſit animal ſociale, ſeu politium, vt inquit Philoſophus,ipſi contra humanæ naturę procliuitatem;ſibi vim inferentes,ſoli in cellulis ſuis deliteſcant.*Deinde* quod eorum clauſura quaſi perpetuus quidem reputetur carcer. Cæterum Cartuſianos in nullo penitus caſu veſci poſſe carnibus,Minimis verò toties,quoties ad uerſa eos valetudine conflictari contingat, ex vtrorumque ſtatutis conſtat.Vnde ſi in extrema morbi neceſsitate Cartuſianis carnibus veſci ex ordinis indulto permitteretur, non dubium quin ſucceſſu temporis paulatim (natura etenim hominum ad deteriora ſemper procliuis) inciperent ſuperiores diſpenſare in caſibus minus periculoſis. Cumque Medici de induſtria plerumque augeant opinionem ac timorē mortis in ægritudinibus, paſſim liberior omnium eſus apud malè habentes introduceretur,vti in

Nauarrus lib.3.Conſiliorum,conſilio 10.pag.228. col.2.

Eius inſignis vita Tom.2. Surij, die 2. April.reperitur.Quatuor Nauarri rationes, cur Minimos Cartuſianis eſſe minores cenſeat.

Prima.

Secunda.

Tertia.

alijs ordinibus, maximè Benedictinorum, ac Ciſtercienſium factum, in confeſſo eſt. Vbi cùm primū liceret in infirmarijs duntaxat carnes comedere, poſtea ad ipſum Refectorium commune poteſtas hæc translata fuit, non ſine ingenti totius Monaſticæ religionis iactura. Verum de non edendis carnibus in Ordine Cartuſienſi; Ioannes Gerſon integrum anno Domini 1410. Tractatum conſcripſit; nec non & P. Bartholomæus, Ruremundanæ olim Cartuſiæ Prior, qui vixit circà annum reparatæ ſalutis 1446. Conſulat etiam Lector Dionyſium Ryckeliū artic. XI. De Præconio ordinis Cartuſienſis, ſimiliter & Petrum Sutorem copioſè hac de re differentem lib. 1. Vitæ Cartuſianæ, Tractatu 3. cap. 7. 8. & 9. Item Richardum Hallum Theologum Duacenſem, in præclaro iſto * opere de quinq; partita conſcientia, libr. 3. cap. 47. & præcedenti. Franciſcum quoq; Victoriam in relect. 9. de temperātia, & relect. 10. de homicidio.

Prodijt Duaci apud Ioannem Bogardum anno 1598.

ELV-

ELVCIDATIONES IN LIBRVM VI. CHRONICI CARTVSIENSIS.

ARGVMENTVM HVIVS LIBRI.

In hoc libro ſexto tractat Dorlandus, quo pacto nouelli nonnulli tyrones ad ſacri Cartuſienſis ordinis inſtitutum ſeſe recipientes, ac leuitate deinde ducti, pedem referre incipientes, vel Diuinitus in ſua ſint confirmati propoſito, vel (quod horribilius eſt:) cœleſti perurgente vindicta, ſeuerè puniti: quorum tamen pleraque in Scala religioſorum Dionyſij Cartuſiani reperiuntur. In altera verò libri parte, de miraculoſa Cartuſiarum quarundam ædificatione agitur, de quo vide Petrum Sutorem lib. 1. vitæ Cartuſianæ, tractatu 3. c. 2. pag. 65.

CAP. IV. pag. 33. Inter cætera quæ Nouitijs Cartuſienſem ingredi ordinem cupientibus à Priore Statuta proponi volunt, etiam illud eſt, *ſi tantum literaturæ habeat quantum ſufficiat religioſo ad Sacerdotium promouendo, & ſi cantare poteſt*: at- 2. parte Statu. cap. 17. §. 10.
que hoc eſt, quod Dorlandus hic inſinuare intendit, dum ait, Priorem ab hoc Flandro adoleſcente percontatũ, an ſufficientis eſſet literaturæ, perituſque cantus.

CAP. XXI. pag. 362. Colon. Cartuſia, in qua hæc ſcribimus, fundationem ſuam acceptam refert D. VValramo Colonienſi Archiepiſcopo, Gerardi Iuliacenſis Comitis (nec dum enim

Du-

Duces iſta tunc nouerat ditio) filio. Qui duplici excitatus ſtimulo, hanc tam celebre Cartuſiano Ordini cœpit ædificare domicilium. Dolebat namque eximius Præſul, quod cùm Colonia plurimis eſſet Diuorum exornata Eccleſijs Monaſterijſque, nullum tamen illic publicum pietatis monumentum B. BRVNO illic haberet, maximè cùm Coloniæ oriundus, ſanctiſſimi Ordinis eſſet initiator, ac primarius inſtitutor. Deinde etiam locum illum, in quo D. Seuerinus, Vbiorum Præſul olim celeberrimus, vna cum B. Euergiſlo cœleſtem de S. Martini Turonenſis tranſitu harmoniam auida aure perceperat, inſigni aliquo Martinianæ victoriæ trophæo illuſtrandum condecorandumque operæ prætium exiſtimabat, quo tantæ rei memoria nullus æui vetuſtate ex hominum animis elaberetur. Cùm enim die quodam Dominico loca ſancta orandi gratia, matutinalibus expletis officijs, circuiret, ſuauiſſimus Angelorum concentus repentè auribus illius inſonuit. Aderat autem tunc illi Archidiaconus eius Euergiſlus, qui poſtmodum in Pontificatu eidem ſucceſſit. Quem cùm rei huius ignarum admonuiſſet, attentam præbere aurem, iamque etiam ipſe pſallentium audire voces occiperet, ſubiunxit Præſul, *Dominus meus* MARTINVS *corporeis ſolutus vinculis, Angelico comitatus miniſterio, lætus ad cœlum migrat.* Harum itaque rerum præfatus memor VValramus, empto à D. Seuerini Canonicus fundo, hunc quem modo incolimus locum, perpetuò nobis

Diuinitus edocetur S. Seuerinus de fœlici D. Martini ad ſuperos tranſitu.

Vide hæc apud Suriũ To. 5. de rebus geſtis S. Seuerini, 23. Octob.

nobis pietatis ſtudio excolendum adſignauit. Qui quidem etiam cœleſti viſione (ne quid de Cartuſiæ conſtruendæ loco ambigeret, iam ante fuerat edoctus: cùm nimirum cœlitus vocem illam inaudiſſet: S. MARTINVS *vult hic ædificari!* vt vbi quondam illius ad cœlum conſcenſum Angelico concentu perceperat, illic poſtmodum talis commoraretur hominum religioſorum cœtus, qui Angelicam humana in carne vitam degentes, Regi Angelorum peruigiles die noctuque laudes concinerent. Itaque circa annum Domini milleſimum tricenteſimum trigeſimumſextum erecta hæc Colonienſis Cartuſia, præſtantes deinde aliquot in omni pietatis ac eruditionis genere produxit Viros, literarum monumentis apud omnem poſteritatis memoriam celebres. Ex quorum numero (vt cæteros interim miſſos faciamus) in primus ſunt D. HENRICVT Kalkat, ante ingreſſum Ordinis inſignis Pariſienſis Theologus, atque ad Diuum Georgium Coloniæ Canonicus, qui in eiuſd. Vrbis Cartuſiç anno Domini milleſimo quadrageſimo octauo, in B. Thomæ Apoſtoli peruilegio creatori ſuo ſpiritum reddidit, ætate octogenarius. Cui non immeritò ſubiungimus Henricum de Piro, qui alias HENRICVS BRVNONIS patria ac profeſſioue Colonienſis ac Iuris vtriuſque DOCTOR celeberrimus, qui floruit anno Domini milleſimo quatringinteſimo ſeptuageſimo. Quem ſequitur VVERNERVS Larius, cognomento Roleuinck, vir in diuinarum com-

Petrus Sutor li. 1. vitæ Cartuſ. tract. 3. ca. 2. pag. 66.

De horum illuſtrium Scriptis Virorum conſulat lector Tritemium, et Poſſeuinum in apparatu ſuo ſacro.

In Cathalogo Scriptor. Ecceſ.

commentatione literarum exercitatiſſimus; dicit Trithemius ſe in ſua inuiſiſſe cella, agentem nimirum annum ſeptuageſimum, in Ordine verò Cartuſienſi octauum ſuprà quadrageſimum. Eandem quoque Cartuſiam florent ætate anno Domini milleſimo quatragenteſimo octogeſimo nono, ingreſſus eſt D. Petrus Blomenvenna Lugduno Batauorum oriundus, qui cum ſanctis ſuis prædeceſſoribus in pace conquieuit anno Domini milleſimo quinquageſimo trigeſimoſexto ipſo Diui Hieronymi, cùm iam longè ante ad Ordinis habitum ſuſcepiſſet P. Ioannem Lanſpergium, re ac nomine *Iuſtini*, qui & ipſe obijt anno Domini milleſimo quinquageſimo trigeſimo nono. Cuius veſtigijs, vtpote Præceptoris ac directoris ſui vigilanter admodum inſtitit D. Laurentius Surius; quem poſt plurimos exantlatos labores abripuere hinc crudeles illæ Parcæ, anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octauo, vigeſimotertio Maij, ætatis quinquageſimoſexto, profeſſionis verò trigeſimo ſexto.

Quā celebris Diuorum aliquot reliquijs nobilitate ſit hæc eadem Colon. Cartuſ. videat Lector in Sacrario Agrippinæ, edito Col. apud Bern. Gualteri. an. 1607. pag. 206. vt ſequentibus.

SED ne interim ingratiſſimus duobus germanis iſtis, DD. Theodorico, ac Brunoni à Loen, ſcire operæ prætium fuerit, aſsiduis eorum laboribus id effectum, vt Dionyſij Rickelij opera in lucem, non ſine ingenti Chriſtianæ Reipublicæ emolumento prodierint: quibus idcirco plurimum hoc nomine debet poſteritas.

Theodoricus Loerius ſcripſit præter alia vitam P. Dionyſij Cartuſ.

CAP. XXII. pagin. 354. Recenſet hic Dorlandus

Cepta eſt hæc Cartuſ. adifi-

dus fundationem Cartuſiæ Arnhemienſis, de qua ſuperius nonnulla diximus ad caput decimi tertij libri quinti. Et Reuerendus Dominus Aubertus Miræus, ſcholaſticus Cathedralis Eccleſiæ Antuerp. in opuſculo *de Originibus Cartuſiarum.* *Do.1340.*

CAP.XXIII.pag.356. Redditur Ruremundanæ origo Cartuſiæ, quæ & ipſa Viros aliquot olim habuit ſcriptis celebres. Inter quos primas facilè tenent P. Dionyſius Rickelius, de quo libro ſequenti prolixius agitur, & P.Bartholomæus, vterque natione Theuto; quorum vti primus anno Domini 1471. hinc ad ſuperos emigrauit, ita alter ſub Friderico III. Imperatore, ſecundum Trithemij ſententiam floruit, hoc eſt, anno 1446. Qui etiam librorum ipſius Catalogum pertexit; & ex illo Eiſengreinius ac Poſſeuinus. Accedit etiam ad commendationem huius eiuſdem Bethleemiticæ Domus, quod ſicuti in Anglia ſub Henrico Octauo octodecim Cartuſianæ familiæ religioſi ob CHRISTI confeſsionem mortem intrepidi anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo tertio & milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimò ſubierunt, ita & hic ſub Guilhelmo Auraico Comite Naſſouio, anno nimirùm Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, die 23. Iulij, eandem ob cauſſam duodecim ſint interempti. Quorum Martyrij palmam eleganti ſtilo proſecutus eſt Venerab. P. D. ARNOLDVS HAVENSIVS, S. Theologiæ DOCTOR perquam eximius, ac Gandenſis Cartuſiæ Prior integerrimus.

Patris Bartholomæi elucubrationes omnes nos ſingulatim percenſuimus li. 7. Notarum cap. 5.

QVOD

QVOD verò hic dicitur Bethleemitica Domus lupanare olim fuiſſe contubernium, atque impudicitiæ officina, nunc verò caſtiſsimæ Dei Genitrici, ſimul ac Virgini, dedicata, ad inſtar Romani iſtius Panthei, de eo in Martyrologio
13. Maij. Romano ita ſcriptum legitur. *Romæ dedicatio Eccleſiæ* S. MARIAE *ad Martyres, quam B. Bonifacius Papa IV. expurgato Deorum omnium veteri fano, quod Pantheon vocabatur, in honorem B. ſemper Virginis* MARIAE, *& omnium Martyrum dedicauit, tempore Photij Imperatoris.* Vocatur autem hoc templum,

Pantheon quã do, & à quo ædificatum. ob figuram orbicularem, S. MARIA rotunda, eſtque ædificatum Auguſti Cæſaris tempore à M. Agrippa tertio Conſule, anno decimo ab ab Vrbe condita viceſimo ſeptimo ſupra ſeptingenteſimum, ante CHRISTI SALVATORIS aduentum anno viceſimo quinto. De quo hunc in modum Dio. libr.53. hiſtoriæ Romanæ: *Pantheum,* inquit, *quod perfecit Agrippa, id ſic dicitur fortaſsis, quod in ſimulachris Martis & Veneris multas Deorum imagines acciperet. Vt verò mihi videtur, quod forma connexa faſtigiatam cœli ſimilitudinem oſtenderet.* Addit quo-

pag.3506. Lin.9. que Dorlandus, * aram Apollinis à S. Benedicto deſtructam, in Diui Baptiſtæ Ioannis honorem fuiſſe conſecratam. Quemadmodum conſtare poteſt ex libr.2. Dialog.B.Gregorij, cap.8.

CAP.

CAPVT XXIV. Pag. 356. De erectione Cartuſiæ Confluentinæ, BEATO Confeſſori dicatæ, deque eius fundatore, ita in annalibus Archiepiſcorum Treuirenſium, à Petro Cratepolio Coloniæ editis, ſcriptum repperi. *Balduvinus Comes Lutzenburgenſis, Henrici VII. Imperatoris frater, vnanimi totius ſummi Canonicorum Senatus conſenſu, Anno Domini 1307. Hic non ſolùm pontem illum lapideum ſuper Moſellam prope Confluentiam conſtruxit, verùm etiam duo PP. CARTVSIANORVM Cœnobia erexit: vnum nimirum iuxta Treuirim* (in honorem D. Albani martyris:) *alterum in monte S. BEATI propè Confluentiam; quibus & de victualibus abundè proſpexit.* Habet autem inter cęteras eximias aliquot Diuorum reliquias Confluentina hæc Carthuſia etiam corpus S. † Noitburgis Virginis; quæ cum Coloniæ in æde D. Petri ſummo coram altari humata fořet, accreſcentibus miraculorum ſignis adeò illam condecorauit Eccleſiam, vt S. Noitburgis nomine vocitaretur. Floruit hęc ſacra Virgo anno Chriſti plus minus ſeptingenteſimo, fuitque neptis B. Plectrudis, vxoris Pipini Ducis: quarum Coloniæ in Capitolinâ Diuę Virginis æde omnipotenti Deo ſeruiuit, conuertitq; celebre hoc *a* Agrippinenſium ac Lotharingorum Ducum palatium in clauſtrum nobilium Virginum, quæ etiamnum hâc tempeſtate inibi conſpiciuntur. Verùm corpus Noitburgis ad Cartuſiam poſtmodum Confluentinam eſt delatum. De qua ita in Natalibus SS. Belgij Molanus; *b Coloniæ depoſitio S. Nortburgis vir-*

Ponitur hic inter Archiepiſc. Treuirenſes XCIII.

S † al. Nortburgis. Tom. 5. Surij, die. 31. Octobr. pagina vltima.

a Marcellinus in vita S. Switberti, cap. 22. Tom. 2. Surij. 1. Martij & Tom. 5. Surij, 31. Octob.

b Pag. 241. vlt. Octobr.

gis virginis, quæ translata eſt ad montẽ S. BEATI, *propè Confluentiam. Hæc inter Belgicas Sanctas celebranda foret, ſi verè eam c Barlandus filiam Pipini Heriſtalij Brabantiæ Ducis, ex Plectrude nominaret. Sed propriæ Eccleſiæ, quæ natalem eius celebrant, adfirmant claruiſſe Coloniæ, in monaſterio B. Mariæ; quod Plectrudis non mater, ſed matertera conſtruxit.* Hæc ille.

c Berlandus de ducibus Brabantiæ.

Argentinenſis Cartuſiæ conſtructio & deſtructio.

CAP. XXV. pag. 358. Argentinenſem hanc Cartuſiam, cuius hic Dorlandus meminit, ciuium liberalitate diuino monitu conſtructã, quis Catholicorũ nupero Argentoratenſi bello deſtructã funditus non doleat? quippe cum fama nominis ſui Germaniã impleuerit vniuerſam, inclytaq; diuitijs non tantũ religionis ſanctitate fuerit. Quanta etenim illic liberalitate Chriſti pauperes ſuſtentari ſoleant, patet ex eo, quod Ioannes Eckius, qui iſto in loco popularis ac gratioſus erat, liberâ voce fateatur, ante hanc Lutheranam peſtem, maiorem fuiſſe egenis datam eleemoſynã in vnicâ hac Argentoratenſi Cartuſiâ, quàm modo fiat per amplam (verbis vtor auctoris) & ditiſſimã ciuitatem Argentinam. Et quis iam illic vel vnã panis micam percipit, quando nimirũ omnia in cinerem flammaſque ita ſunt redacta, vt iſtius loci religioſi Molshemium confugere ſint coacti? Hic fructus eſt noui Euangelij, hæc reformatæ Religionis deformitas, euertere ſcilicet ſinceræ pietatis domicilia, ipſoſque venerandos Chriſti Sacerdotes foras exulatum protrudere. De quorum conuerſatione ac moribus iam olim Eraſmus, qui in iſto Germaniæ

In replica aduerſus ſcripta 2 Buceri pag. 20. Ingolſtadij apud Alexand. Weiſſenhorn. anno. 1543.

maniæ tractu (Friburgi nimirum ac Baſiliæ) vitam egit, imò & finiuit, ita in quadam loquitur epiſtola: *Video*, inquit, *genus hominum exoriri, à quo meus animus vehementer abhorret. Neminem video fieri meliorem, deteriores ſanè omnes quotquot ego ſanè nouerim, vt vehementer doleam me quondam in libris meis prædicaſſe libertatem ſpiritûs. Ciuitates enim aliquot Germaniæ implentur deſertoribus Monaſteriorum, ſacerdotibus coniugatis, plerisq; famelicis ac nudis, nec aliud quã ſaltatur, editur, bibitur, cubatur: nec docent, nec diſcunt, nulla vitæ ſobrietas, nulla ſinceritas; vbicunque ſunt, ibi iacent omnes bonæ diſciplinæ cum pietate.*

Exſtat huius epiſtolæ fragmentum in Commentario P. Surij, à fine anni 1535. quo eraſmus obijt.

CAETERVM quia Argentinenſis Cartuſiæ meminimus, debemus & Baſileenſis aliquam hîc mentionem facere. Quam quidem circa annum Domini 1406. fundatam, *a* Cratepolius author eſt. Dicit enim floruiſſe tunc Baſileæ quendam eximiæ pietatis, ac prudentiæ opinione præſtantem virum Iacobum Zybel, qui Tribunus plebis cùm eſſet, elatâ vxore, liberiſque orbatus, cœperit mundo nuntium remittere, diuinoque ſe ſeruitio ſuapte ſponte addicere. Quod vt quietius commodiuſque præſtaret, in Baſileenſi vrbe ſuis ex facultatibus, quæ perampl ę erant, Cartuſiam conſtruxit, in qua & non ſine ſanctitatis opinione vitam finijt. In eodem quoq; loco plurimi inſignes viri, qui tempore Baſileenſis Concilij, anno Domini 1431. inchoati, obierunt, ſepulturæ ſunt mandati. Floruit etiam illic

Baſileenſis Cartuſia, quando, & à quo fundata.

a In Catalog. Epiſcop. Moguntin.

Henricus Arnoldi ſcripſit chronicon Carthuſ. Baſilieſ.

quidã Henricus Arnoldi, natione Saxo, profeſſione Cartuſianus, eruditione verò celebris. Quem præter alia inſignia aliquot literarum monumenta, etiã chronicon Cartuſiæ Baſilienſis conſcripſiſſe teſtis eſt Trithemius; aſſerens eum ex hac vita migraſſe anno 1487. ſub Friderico III. Romanorum Imperatore. Hæc autem Baſilienſis Domus etſi à noſtris modò non incolitur, integra tamen etiamnum perſeuerat, eſtque in ipſa vrbe, loco prorſus amœno ac ſolitario: in qua, vti fama eſt, nocturnis horis ciues qui in mœnibus excubias agunt, voces pſallentium nonnunquã ſe exaudire exiſtimant, auitæ pietatis memoriã (nimis proh dolor illic conſopitam) illis refricantes.

Tornacenſis Carthuſia.

CAP. XXVII. pag 362. De conſtructione celeberrimæ Tornacenſis Domus eadem habes apud Petrũ Sutorem li. 1. vitæ Cartuſ. ca. 2. pag. 66. floretq́; etiam nunc monaſticæ religionis feruore; habens nimirum Priorẽ tam morum humanitate, quàm eruditionis laude præſtantem.

CAP. XXVIII. pag. 363. linea 3. à fine. Authorem iam nominat Dorlandus, vnde præcedentia, hæc de miraculosâ diuerſarum Cartuſiarum fundatione exempla depromſerit; nempe Henricum Kalkarienſem Colonienſis olim Cartuſiæ doctiſſimum non minus quàm ſanctiſſimum Priorem, qui de exordio adeoque & progreſſu Cartuſienſis Ordinis peculiarem quendam conſcripſit Tractatum, quem etiamnum manu ſcriptum penes nos adſeruamus, typis nunquam promulgatum.

In cuius frontiſpicio ita ſcriptum repperi: HENRICVS *à Kalkar fuit Magiſter Pariſienſis, & antea Canonicus ad S. Georgium Coloniæ; intrauit autem Ordinem Cartuſienſem ætatis anno* 37. *in quo vixit annos* 43. *Obijt verò anno* 1408. *in vigilia S. Thomæ Apoſtoli, cùm eſſet Octogenarius. Functus eſt Prioratu in Cartuſia Colonienſi, annis ſeptem, in Argentinenſi duodecim, in Ruræmundenſi quinque: exercens officium Viſitatoris Prouinciæ ad annos bis denos: adeò vt in quinque Generalibus Capitulis Diffinitor fuerit, trinaquè vice capitularem illic in infrequentiſſimâ conſcriptorum Patrum coronâ Sermonem ſeu Orationem habuerit.* De illius verò ſcriptis conſule Tritthemium, Eiſengreinium, Poſſeuinum, & Sutorem libr. 1. vitæ Cartuſ. pag. 563. Habetur verò etiamnum hic Coloniæ in honore locus ille, in quo Diua Virga præfato P. Henrico apparuiſſe dicitur:

Aetas & obitus M. Henrici Kalkarienſis.

Henrici Kalkarienſis fit mentio in martyrologio Petri Caniſij, 20. Decembr.

EODEM quoque hoc capite pag. 364. lin. 12. fit mentio iſtius imaginis, quam Saluator noſter Abagaro Edeſſæ Principi tranſmiſit, quæ vti non humana fuit arte elaborata, ſed ab ipſomet ſummo rerum architecto & opifice, ita plurimorum gloria, miraculorum perquam illuſtris extitit. Adeò vt Græci de eadem celebrent anniuerſariæ ſolemnitatis diem decimo ſeptimo Kalend. Septembris, vti ex eorum conſtat Menologio. De quo *a* Baronium conſule: Qui etiam meminit *b* Veronicæ ſudarij, in quo Chriſti facies expreſſa conſpicitur, Romæque ſum-

a *Tom.* 1. *anno Domini* 31. *ferè circa finem.*
b *Ad annum* 34.

mo cum honore in Apoſtolorũ Principis Baſilicâ adſeruatur. Cuius fortè delineationem Monſtrolienſes Picardi conſecuti ſunt, quemadmodum hic Dorlandus videtur innuere.

De Domo Montis Dei. CAP. XXIX. pag. 366. Habes hic fundationem famoſiſſimæ iſtius ac nobiliſſimæ Domus Montis Dei; quæ tempore GVIGONIS quinti Maioris Cartuſiæ Præfecti ædificata eſt. Quem quidem Guigonem conſtat ſecundùm *a* Sutoris ſententiam, anno Domini ſupra milleſimum centeſimo triceſimo ſeptimo; ab inchoatione verò Ordinis tertio & quinquageſimo, diem obijſſe ſuum. Adeo vt hinc loci huius queat colligi vetuſtas; cuius equidem virtutis fama Diuus excitus Bernardus continere ſe non potuit, quin copioſam ac ſanè diuinam ad eos de *Vita ſolitaria* conſcriberet Epiſtolam ſeu Tractatum: cuius initium; *Fratribus de Monte* DEI, *Orientale lumen, & antiquum illum in religione Aegyptium feruorem tenebris Occiduis & Gallicanis frigoribus inferentibus, vitæ ſcilicet ſolitariæ exemplar, & cœleſtis formam conuerſationis,* &cæt. Hanc verò epiſtolam etſi nonnulli videantur Guilielmo Abbati S. Theodorici velle adſcribere, tamen & temporis longinquitas, & præſtantiſſimorum Scriptorum authoritas aliter poſtulat. Nam B. *b* Vincentius, nec non Diuus Anthoninus ſemper eam Bernardi nomine citant: cuius poſterioris verba hæc ſunt: *c Bernardus in epiſtola ad Cartuſienſes, ſeu ad fratres de Monte Dei, quod idem eſt.* Similiter & Ioannes Gerſon, & Dionyſius Cartuſianus

a Lib. 2. vitæ Cartuſ. Tract. 3. c. 5. pag. 509.

An epiſtola de vita ſolitaria ad fratres montis Dei verè ſit D. Bernardi Clareuallenſ. Abbatis.

b *Lib. 28. ſpecu i hiſt. cap. 99.*

c *Anthon. parte 3. Tit. 18. c. 4. § 10.*

ſtanus artic. 5. de præconio Ordinis Cartuſienſis: cui ſubſcribit Tritthemius, dum enumerat Diui Bernardi litterarum monumenta. Quin immò ipſemet author fatetur hanc à ſe epiſtolam ad Cartuſienſes conſcriptam, vti libro Bernardinæ Confeſſionis quarto comprobauimus, pagina nimirũ 466. in fine. Fuiſſe enim D. Bernardum iſtius Cartuſiæ Patribus valde familiarem, liquet ex epiſtola 290. vbi nonnulla Iordanis Cardinalis vitia recenſens, in fine ſic ait: *Decreueram iſta tacere, ſed venerabilis Prior Montis Dei ad hoc me impulit, & animauit vt ſcriberem.*

D. Bernard. in Tractatu de diligendo Deo circa finem.

CAP. XXXII. pag. 375. De admirandâ Pariſienſis Cartuſiæ conſtructione conſulat lector D. *a* Petrum Sutorem, qui vti antè Ordinis ingreſſum celerrimus extitit SS. Theologiæ Doctor, ſic poſtmodum annis aliquot iſtius præfatæ Cartuſiæ Moderator fuit, ſeſéque Eraſmo oppoſuit, ſcribendo contra eum Antapologiam. Hic itaque dicit, Diuum Ludouicum, ſanctiſſimum Francorũ Regem, qui ex hac vitâ migrauit anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo, locum hunc Cartuſianis Patribus incolendum adſignaſſe. Hic eius nominis numeratur IX. & non V. vti alibi Typographorum errore poſitus reperitur. De quo non ſolum Gaufridus, ſed & Clichtouæus, ipſeque adeò Papirius Maſſonius, necnon & Paulus Aemylius, grauiſſimus ſanè rerum ſcriptor Francorum, idque hiſce verbis. *b. Qui numinis Diuorumque nomen nefariè aut iurando, aut*

Pariſienſis Cartuſia.

a Lib. 1. vita Cartuſ. pag. 64.

Surius Tom. 4. die 25. Auguſti.

b Lib. 7. hiſtoriæ Francor. fol. 311.

Vide etiam hiſtoriam rerum Gallicarum Roberti Gaguini pag. 111. Francofurti apud Wecheliũ anno 1577. editã.

execrando vſurpabant, eorum fronti candenti lamina notam inurebat. Deprecantibus magnis viris pro quodam eius noxæ conuicto, reſpondit ſe cupidè id monumentum in fronte geſturum, ſi ea ratione purgari Francia eo in DEVM *Opt. Max. ſcelere poſſet. Sacrorum Bibliorum lectione mirè delectabatur. Lutetiæ valetudinarium pro æde D. Virginis extruxit. Minoribus & Prædicatoribus nondum ad culmen perductas ſacras ædes planè abſoluit: cæcis egentibus ædem & domum;* CARTHVSIENSIBVS *item & cœnobium, eadem Carmelitis: hæc omninò Lutetiæ.* Solent ergo Chriſtianiſſimi Francorum Reges quando Pariſijs degunt, deuotionis cauſſa ad hanc ſubinde Cartuſiam diuertere: adeò vt illic accidiſſe arbitrer lepidam illam ac iucundiſſimam hiſtoriolam, quam præfatus *c* Sutor de quodam Galliarum Rege commemorat. Apud quem dum aulæ Proceres perperam detuliſſent, largiores ſuis in cœnaculis (refectoria verba parum, latino nominamus) Cartuſianos habere dapes, ſeu vt ipſi aiebant, pitantias. Statuens ipſe rei huius, proprio experimento periculum facere, Priorem adijt, eique animi ſui intentionem patefecit. Qui cùm eſſet ſagacis ingenij Vir, ſuaſit Regi, vt priuatim ieiunando paucos tranſigeret dies, cæteraque Ordinis onera ad breue ſaltem temporis ſpatium volens libenſque ſubiret, ſicque tandem cum reliquis communem refectionis locum accederet. Dictum factum. Adit

c Lib. 1. vitæ Cartuſ. pag. 101.

Lepida de Rege Francorum hiſtoriola.

Car-

Cartuſiam, laudibus diuinis Dominico die intereſt, ſacrum deuotè audit. Quo finito, rabidâ confectus fame, ad menſam mox properandum fruſtra ſibi perſuadet. Sed quia Sextam prius in Choro decantandam intelligit, multa ſecum tacitus ſubmurmurare, atq; ægrè hanc delationem ferre. Quid plura? Refectorium ingreſſus, quidquid appoſitum fuit, turburcinando ingerit, auiduſque deuorat, adeoque & exigua nimis pitantia viſa fuit, quam plus æquo largiorem eſſe, ſui paulò antè purpurati perſuaſerant. Vnde ad eoſdem conuerſus; *Sinite*, inquit, *Cartuſianos ſuas edere pitantias. Sinite*, inquam, *carpere, quæ vacuis inteſtinis nequaquam ſuperflua eſſe, vel breui experientia ipſemet comprobaui.*

EODEM quoque hoc capite, maximè verò pag. 376. lin. 3. fit mentio non ſoleri olim in aliquâ Cartuſienſis Ordinis domo vltra duodecim admitti. Cuius vetuſtiſſimi Statuti meminit etiam Petrus Cluniacenſis Abbas, lib. 2. Miraculor. cap. 28. Dum ait; *Et vt non eſſet eis* (Cartuſianos intelligit) *quandoque neceſſarium, vel plus terræ, quam dictum eſt, poſſeſſioni ſuæ addere, aut numerum iumentorum ſuorum vel pecorum augere, duodecim tantum Monachos, cum XIII. PRIORE, ac decem & octo Conuerſis, paucisq; mercenarijs, nullo prorſus ſuperaddito in ſui Ordinis monaſterijs eſſe perpetuò decreuerunt.* Verùm quandoquidem id nunc obſoleuit, permittitur, vt quotquot commodè queant ali, tot ad noſtrum admittuntur conſortium. Ita tamen vt nulla domus Ordinis de

cætero fundetur, niſi prius pro ſuſtentatione Prioris ac XII. Monachorũ, proq; alijs oneribus portãdis dotetur ſufficientib' redditibus, vel prædiorum poſſeſſionibus. Cæterùm in iam ædificatis, tot licet admittere, quotquot pro Domorum facultate ſuſtentari ſine grauamine poſſint. Adeo vt in ſolâ Pariſienſi Cartuſia, cuius hic perſonarum frequentiam Dorlandus præ cæteris prædicat, quadraginta nonnunquam Religioſi (Coloniæ verò vt plurimum quinque ſuprà viginti, in almâ autem matre CARTVSIA interdum duplo plures) conſpiciantur, diuinarum laudum prçconijs die noctuque alacriter inſiſtentes.

CAP. XXXIII. pag. 376. Nullatenus mirari debet ſecularium quiſpiam, ſi audiat propè Brugas, nobilem Flandriæ Vrbem Monialium noſtri Ordinis (tamen iam in ipſa commorantur ciuitate) eſſe Cœnobium, Diuæ Annæ conſecratum; cùm in Franciæ partibus iſtius generis frequentia admodum conſpiciantur Monaſteria: nempè Cartuſia Poletarum, Saletarum, Prati mollis, Bertaudi, &c. Hinc etenim iam ſuprà capite tertio & quarto libri quinti, audiſti inſignes duarum iſtarum ſanctiſſimarum Carthuſienſis inſtituti Monialium, nempè Beatæ Margaretæ ac Beatricis, virtutis à Dorlando commemoratas.

CAPITE XXXIV. pag. 379. nonnulla, quaſi Coronidis Concluſioniſque loco auctor ſubnectit; excuſans ſe non ſolùm quod Henricus Kalkarienſis ex quo plæraque hæc ſe deprom-

prompſiſſe fatetur, omnes miraculoſas Domorum noſtrarum fundationes ſcire non potuerit, ſed quod ipſe quoque nihil ex vano hauſtum cupiens, nonnulla etiam, quæ ad hanc rem facere poterant, miſſa fecerit: remittens interim Lectorem ad Tractatum D. Ioannis * Louanienſis, quem de Louanienſis Cartuſiæ exordio fœliciq́ue progreſſu conſcriptum eſſe dicit: licet nunquam mihi ante hac videre illum contigerit, ſed potius Domũ ipſam; tam monaſticæ religionis diſciplina, quàm inſigni pręſtantiſſimorum aliquot iuuenum frequentiâ ſub Venerabili Patre Domino HERCVLE VVINCKELIO, loci iſtius Priore vigilantiſſimo, ac Belgicæ Prouinciæ Viſitatore digniſſimo egregiè florentem: adeò vt pro ſeminario totius iſtius Prouinciæ meritò haberi poſſit, ac debeat. Vt nihil hîc interim dicam de commodiſſima loci quiete, atq; inſigni porticûs, ſeu ambitûs ſplẽdore ac magnificentiâ: De quo ita Lipſius eximius olim loci iſtius fautor & amicus: a CARTVSIANI, inquit, *Louanienſes cœperunt circa annum Domini milleſimum quadringẽteſimum octogeſimum nonum: neque vnum auctorem operi inſcribunt. Alij alias cellas dederunt; ſed eminet Ioannes Ouerhoeſius Antuerpienſis, Naſſouiorũ Quæſtor. Fuerunt & duæ fœminæ auxiliatrices, Margaretha, Eduardi Regis Angliæ ſoror, vidua noſtri Caroli Audacis; & Maria Magdalena Hamalia, vidua itẽ Guilielmi Croÿ, vtraq; pietate, & liberalitate in pios, inſignis. Eſt in hoc cœnobio ſpectabilis portic⁹, magnitudine & opere, nec ſcio an hîc,*

* *Hic Ioannis Louanienſis fuit profeſſus domus S. Catharinæ propè Antuerpiam, egitq́; aliquamdiu Vicarium ac Procuratorẽ in Carthuſ. Louanienſ.*

Commendatio inſignis Cartuſiæ Louanienſis.

a *In deſcriptione Louanij, pag. 89.*

an hic, aut finitimis in locis, alia comparanda. In hac Porticu, vti tabulis teſtamenti cauerat, ſepultus eſt doctiſſimus ille Louanienſis Theologus Martinus Dorpius, natione Batauus, qui obijt anno quinto & viceſimo ſupra milleſimum.

ELVCIDATIONES IN LIBRVM VII. CHRONICI CARTVSIENSIS.

Argumentum huius Libri.

ENumerat Dorlandus ſeptimo hoc libro nonnullos Cartuſianæ familiæ Patres, qui vel eximiâ vitæ ſanctimonia, vel egregijs literarum monumentis celebre ſibi apud poſteros nomen conſciuêre. E quorum numero primum non immeritò locum occupat B. NICOLAVS ALBERGATVS S. R. E. Cardinalis præſtantiſſimus, ac Bononienſis Eccleſiæ Epiſcopus famoſiſſimus.

Nicolaus Albergatus Cardinalis ſpeculum ſine macula.

CAP. I. pag. 380. NICOLAI Albergati meminit B. Anthoninus in Chronico parte ſecunda Tit. 15. cap. 22. §. 2. in fine: idque hiſce verbis; *Ex hac religione* (Cartuſianorum) *aſſumptus eſt vir ille venerabilis* NICOLAVS *nomine, Bononienſis, ad Epiſcopatum Bonienſem, & poſtea Cardinalatum à* MARTINO *Papa V. ſemper ſeruans rigorem ſuæ religionis, ſpeculum ſine macula omnibus curialibus & præſidentibus, pater pauperū: Inter Principes ſeculi diſſi-*

diſſidentes pacis reformator, ſchiſmatis impeditor. Demum ſub Eugenio Papa Senis migrauit ad Chriſtum, ex infirmitate calculi. Cui exenterato, repertus eſt lapis groſſus ad modum oui in fundo veſicæ quaſi incarnatus. Cæterùm quanto in pretio eundem hunc calculum habuerit Eugenius IV. Apoſtolicæ Sedis Antiſtes nequaquã ſilet Carolus Sigonius, ſic enim ait: a *Eugenius vt viuentem* (Albergatum) *magni fecerat, ſic mortuum eximiè coluit. Nam & calculum eius exemptum pro ſacro munere ſibi habuit, & iuſta ipſe ſolennia ſoluit, corpusq; Cartuſiam Florentiæ transferri iuſſit. Ciuitas autem non magnificis ſolùm exequijs, ſed etiam dolore ac lachrymis, quanti illum æſtimarit, oſtendit.* Hunc b eundem Albergatum dicit Sutor rerum humanarum diuinarumque cognitione mirum in modum exornatum fuiſſe, adeò vt ſanctimonia præcipuus, fama percelebris, prudentiæ opinione præſtantiſſimus extiterit. Quippè qui varias ad diuerſos Chriſtiani Orbis Proceres obijt legationes. Deſtinatus namque fuit, vt c Mediolanenſes inter ac Venetos fœdera pacis conciliaret, necnon & inter Angliæ Franciæque Reges. Quorum ille anno 1435. cranium S. Annæ dono ipſi obtulit: quod apud ſuos Bononienſes Cartuſienſes reuerenter depoſuit. Eugenius verò IV. qui Martino V. in Pontificatu ſucceſſit, Legatum eum miſit in Germaniam ad Albertum Cæſarem, anno 1438. Quin & Florentino ſubſcripſiſſe Concilio legitur. Inſuper & B. Bernardino Senenſi (Sigonio teſte) auctor fuiſſe dicitur, vt Bononiæ publicis inſti-

Grauiſſimè cum calculo conflictatur.

a *Lib. 4. de Epiſc. Bononienſ. eſt liber impreſſus in 4. Bononiæ, anno 1586.*

b *Lib. 2. vitæ Cartuſ. tract. 3. c. 7. pag. 569.*

c *Sigonius loco ſuperius ad marg. citato.*

inſiſteret concionibus. Cuius eximias virtutes ac res præclarè geſtas Alphonſus Ciaconius in inſigni illo volumine, quo non ſolùm Romanorum vitas Pontificũ, ſed & Cardinalium omnium nomina, inſignia, obitumq́ue recenſet, hiſce verbis commemorat.

fol. 179. *Fr.* NICOLAVS ALBERGATVS, *ciuis & Epiſcopus Bononienſis Ordinis Cartuſianorum, Presbyter Cardinalis titul. Sancti Crucis in Hieruſalem: qui humanioribus litteris inſtructus, quum poſtea iuri ciuili ſtrenuè operam nauaſſet, religionis feruore ſtimulatus, quum eſſet vir bonis moribus, & vitæ integritate conſpicuus, religionem Cartuſianorum profeſſus, ita in ea, dum vixit, excelluit, & morum ſanctitate in cæterorum exemplum refulſit, vt per omnes gradus ſuæ religionis & dignitates aſcendens, Bononienſi Eccleſiæ, clero & populo poſtulante, dignè præficeretur. Qua dignitate honeſtatus, non iam (vt plerumq; efficere ſolent) ſuæ religionis aut habitum peroſus, fratrum ſuorum conſortia, aut familiaritates exhorruit, nec quicquam de prioris vitæ auſteritate remiſit, nec humilitati aut manſuetudini reſignauit, ſed eadem homini in conuerſatione facultas, eadem vitæ perfectio, & ſi fieri potuit, peramplior, atque illuſtrior fuit. Nihil enim quod ad religionis (quam eſſet profeſſus) dignitatem, quod ad manſuetudinem, quodque ad rerum humanarum contemptum attinere videretur, omiſit: quin potius eo magis ſe vt virtutum omnium exemplar ac formam exhibuit,*

hibuit, quo iam non ſui ipſius modo, ſed vniuerſi gregis ſibi commiſſi rationem ſe nouerat domino redditurum. Quare & populum moribus optimis inſtituit, tranquillitati & paci ſtudens, ampliſſimiſqúe eleemoſynis ſua gratia & virtute fouit; ob quod omnibus charus & gratiſſimus fuit. Vnde Martinus Quintus audita tanti viri fama & ſanctitate, ipſum Romam aſciuit; quem Nuncium ad Regis Francorum & Angliæ bello certantes, vt pacem inter eos cōponeret, vt oratione ſua, qua maximè pollebat, pacaret, miſit: quod & fœliciter præſtitit. Romam verò reuerſus, Cardinalis a Martino creatur. † à quo legatus iterum fuit ad Venetos, Florentinos, & Ducem Mediolanum, vt eos inter ſe fœdere vniret. Mortuo aūt Martino V. à ſucceſſore eius Eugenio IV. ad diuerſos Principes & Prouincias pro fidei negotijs miſſus, omnia fideliter & ſtrenuè geſſit. Fuit vir pius & ſanctus, & ſtudioſorum amator: ex cuius contubernio & ſchola duo Romani Pontificus prodiere, nempè, Nicolaus V. & Pius II. ad Concilium Baſileenſe legatus fuit cum plena poteſtate, vt locus pro futuro Concilio eligeretur, id maximè petentibus Græcis. Præfuit Legatus primæ Seſſioni in Concilio Eugeniano Ferrariæ inchoato, & Florentiæ finito, vbi & Græci conuenerunt. A Rege Angliæ dono accepit craneum B. Annæ matris Beatæ Virginis, quod Cartuſienſibus donauit. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarius fuit, ex calculo verò Senis in Tuſcia obijt, corpus in Cartuſianorum Cœnobio tumulatum. Hæc ille.

† Anno 1428.

PORRÒ

PORRÒ quando diem clauſerit extremum idem quoque Ciaconius hiſce quoque teſtatur verbis, dum enumerans Cardinales omnes qui ſub Eugenio IV. Rom. Pontifice obiêre, inter cætera ſic ait: *Fr.* NICOLAVS a *Albergatus Bononienſis, Ordinis Cartuſianorum, Presb. Cardinalis Tituli S. Crucis in Hieruſalem, obijt Senis ſeptimo Idus Maij, anno Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo tertio, Pontificatus Eugenij XIII. ſepultus apud Cartuſianos.* Eiuſdem verò poſt mortem ſanctitatis (vti Sigonius teſtatur) plurima fuêre documenta. Singulare autem illud, quod in ſomnis Thomæ † Sarzeno alumno ſuo apparuit, illumq́; Pontificem creandum prædixit, vti Frãciſcus Philelphus ſcribit in oratione ad Xiſtum Pontificem. Hic etenim Sarzenus tantoperè Mœcenatem ſuum Nicolaum Albergatum dilexit, vt iam Pontifex deſignatus, eius quoque ſibi nomen adſciuerit, vocatus nimirum Nicolaus V. Quemadmodum vberius liquet ex ijs quæ Ciaconius de vita ſanctiſſimi huius Pontificis literarum monumentis conſignauit, pag. 917. dicens eum ex Albergati diſciplina profluxiſſe, eiuſque & inſtructione & vitæ exemplo in talem virũ euaſiſſe, vt nec pietate in DEVM, nec amore & beneuolentia erga pios, nec vllo virtutis genere religioſiſſimis quibuſque Pontificibus inferior extiterit.

a *Pag. 908. in fine.*

† *Fuit hic poſtea Nicolaus V. nominatus.*

Pag. 383. lin. 11. [lege Bartholomæum Platinam.] Dorlãdum hoc loco Platinę BARTHOLOMAEI tribuere pręnomen, & non BAPTISTAE (vti Scriptorum nõnulli faciunt) haud

qui-

quaquam mirãdum: ſic enim ex proprijs ipſius ſubſcriptionibus in Vaticana Bibliotheca adſeruatis, & Cõmentarijs Cardinalis Papienſis liquet. Cæterùm quæ Platina in cõmendationem NICOLAI ALBERGATI, vnici Ordinis noſtri CARDINALIS, ſcribit, reperiuntur apud eundẽ in principio vitæ Nicolai V. Pont. vbi ita ait: *Sunt qui hunc ſcribant Piſis natum, Lucæ educatũ, Bononiæ literas & bonas artes didiciſſe: maximè verò Philoſophiã & Theologiã, adiutus beneficentia* SANCTISSIMI VIRI NICOLAI ALBERGATI *Cardinalis S. Crucis, adoleſcẽtis ingenio delectati. Hanc ob rem in Pontificatu hominis de ſe benè meriti nomen aſſumpſit. Cùm verò magiſtri nomẽ in Gymnaſio cõſecutus eſſet, acerrimis diſputationibus probatus, Cardinalem S. Crucis ſecutus, familiæ* TANTI VIRI *œconomus eſt factus.* Idem quoq; Platina fatetur PIVM II. ante Pontificatũ ÆEneã Syluium nominatum ex diſciplina huius eiuſdẽ ALBERGATI prodijſſe: Nicolaum *namq; S. Crucis Cardinalẽ,* inquit, *ſecutus eſt, Patre certè optimũ, ac* OMNIVM OPINIONE SANCTISSIMVM, &c. Plura ſi quis de hoc NICOLAO deſideret, Frãciſci Philelphi ſcripta perlegat, nec non in Anthonin. par. 3. ti. 22. c. 7. § 3.

Nicolaus V. ante Pontificatum fuit œconomus Nicolai Albergati Cardinalis.

In principio vitæ Pij ſecundi Pontif.

CAP. II. pag. 384. Hic DOMINICVS, natione Pruthen⁹, profeſſione verò Cartuſianus, & alumnus domus Treuerẽſis, non ſolùm pietate fuit celebris, ſed & plurima haudquaquam contemnendæ eruditionis opera conſcripſit. Inter quæ præcipuè liber experientiæ eminet, in quo ſuppreſſo ſuo nomine, varias recenſet

reuelationes, diuinitus ſibi factas, eſtq; manu ſcriptus penes eos. Item *ſonus epulantis*, quem quia comedendo fermè & ruminando in cellæ ſolitudine compoſuit, tali condecorauit titulo. Scripſit proinde etiam *coronam B. Mariæ virginis*, in qua vitam ipſius lapidibus comparat pretioſis. Quin & *de vera humilit. Obedientia* inſignem quendã edidit Tractatum, eſtque etiam auctor Rhytmorum iſtorum de contemptu mundi, quorum initium eſt:

Homo Dei creatura,
Cur in carne moritura
Eſt tam parua tibi cura,
Pro æterna gloria? &c.

Obijt verò hic pater DOMINICVS ætatis ſuæ anno 73. ipſo D. Thomæ Apoſtoli feſto, reparatæ ſalutis 1461. Neque verò ſolus eſt, quem Treuerenſis Cartuſia ſpectatæ pietatis iuxta ac eruditionis virum habuit: verùm etiam ibidem circa annum Domini viceſimum ſuprà milleſimũ quadringẽteſimum floruit inſignis

Commendatio Ioannis Rode.

iſte IOANNES RODE, vir diuinarum humanarumque literarum cognitione adeò excultus, vt ad annos aliquot Treuerẽſis Curiæ OFFICIALIS fuerit, atque ibidem ad S. Simeonem DECANVS. Cùm autẽ mundo nuncium miſiſſet, atque ad Cartuſiam Treuirenſem peragendæ pœnitentiæ cauſſa ſeſe recepiſſet, non potuit tamẽ ita ſuas celare virtutes, quin Otho Archiepiſcopus Treuirenſis, authoritate Sũmi Põtificis, eum ex Cartuſia, vbi Priorem agebat, extraheret, ac S. Matthiæ Apoſt. Monaſterio, quod extra Treuiros eſt, Abbatẽ præficeret. Ex cuius

labore

labore & induſtria id Bened ctino Ordini emolumenti acceſſit, quod Burſfeldiẽſis reformatio in Germania per eum ſit facta. De qua in ſuis Benedictinorũ per Belgium Cœnobiorum † ORIGINIBVS optimè de Repnbl. Chriſtiana ac re literaria meritus, D. AVBERTVS MIRAEVS, vir multis magniſq; animi dotib⁹ ornatiſſimus, atq; ob vitæ integritatẽ, morumq; humanitatẽ Cathedralis Antuerpienſ. Eccleſię SCHOLASTICVS, vt vocant, meritiſsimus. Hic inquã Burſfeldẽſis reformationis laudem præfato IOANNI RODIO tribuens, hiſce eũ cõmẽdat verbis: a *Reformatio congregationis Burſfeldenſis cœpit anno 1420. quo Conſtantiæ in Germania Synodus eſt congregata. Auctor verò reformationis huius fuit* IOANNES RODIVS, *Abbas cœnobij S. Matthiæ apud Treuiros, qui generalis Ordinis Viſitator à Conſtantienſi Synodo conſtitutus, ſe ipſum in primis ac monaſterium reformauit, &c.* Obijt verò hic IOANNES RODIVS in oppido diœceſis Argentinenſis, vulgò Monthaber/ reuectus tamen ad S. Matthiã an. Domini 1439. Kal. Decemb. ibidemq; ſepulturæ traditus ante aram Prothomartyris Stephani, in abſide dextra odei; ad cuius tumulũ rude huiuſcemodi conſpicitur epitaphium.

Hic iacet in tumba vas Ordinis, alta columna.
Abbas donatus, IOANNES RODE *vocatus:*
Collectis membris primo ſuccumbo Decembris,
Triceſimo nono C. quater, M. quoque ſolo:

CAP. III. pag. 387. Carmen ſeu Hymnum illũ dulciſonum, cuius deuotione tantoperè delectabatur Dominicus, quemq; ad imitationem

† *Prodie. in Antuuerpia apud Hiero. Verduſſium An.* 1606.

a *In præfatione ad Lectorem.*

Ambroſiani Cantici, quod *Te Deum Laudamus* vulgò nuncupamus, in honorem Reginæ Cęlorum compoſuit, viſum fuit hic de verbo ad verbum inſerere, ita namque habet:

TE CŒLI REGINAM LAVDAMVS, te mundi Dominam honoramus, TE laudant iure vniuerſæ creaturæ, Matrem immenſæ claritatis, Aulam Summæ Trinitatis, ſole diuinitatis amicta, lunam ſupplantans benedicta, tota glorificata, his ſtellis es coronata: TV æterni Patris filia dilecta, tu filij Dei Genitrix electa; Sancta quoque ſponſa Paracleti. Tibi omnes obediunt Angeli: TE cœli cœlorum inæſtimabiliter ament; Tibi Cherubin & Seraphin ineffabili voce proclament, SALVE; SALVE; SALVE ô Domina gloriæ. Pleni ſunt cœli & terræ ſuauitatis gratiæ tuæ. TV Apoſtolorum Regina, TV Euangeliſtarum doctrina; TE Prophetarum laudabilis numerus, TE Patriarcharum veneratur cuneus. TV Martyrum victoria, TV Confeſſorum es gloria. TE paradiſi roſæ Virgines formoſæ laudent, & continentes in choro ſuo canentes: AVE Regina dulciſſima, gaude Domina noſtra digniſſima: quæ gratiam Sanctis infundis, quæ liberas animas de profundis. TE ERGO & rei rogamus ô Genitrix DEI, ſuccurre populo iſti, quem pretioſus filij tui redemit ſan-

ſanguinis IESV Chriſti. Supernâ fac cum Sanctis & nos gloria munerari. Per Te mereamur ô mater ſancta piè ſemper conſolari. Tot prærogatiuis ſanctitatis coronata in gloria Patris. Tot priuilegijs dignitatis, gaudens iure Matris; iucundare, lætare, gaude, maior omni laude. ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA.

CAPITE IV. pag. 389. lin. penultima. [Eſt tractatus editus de vita, &cæt.] Tractatus hîc quem Dorlandus adſerit editum, licet ſibi nunquam viſum, de vita nimirum ac rebus geſtis Patris DOMINICI, penes nos manuſcriptis in Colonienſi Cartuſia adſeruatur; continetque eximias aliquot reuelationes, quæ cœlitus DOMINICO obtigêre, etſi ipſe ſuo ſuppreſſo nomine eas recenſeat, ſicuti & alia nonnulla de vitæ ſuæ conuerſatione: vocauitque eum librum EXPERIENTIAE.

CAP. V. pag. 391. in medio. Enumerantur hîc à Dorlando aliquot P. Bartholomæi Prioris Ruræmundenſis litterarum monumenta, quæ poſteris reliquit: quorum non ſolùm Poſſeuinus atque Eiſengreinius, verùm etiam Trithemius in Catalogo meminit. Etſi neuter eorum videatur omnia ac ſingula illius opera conſpexiſſe. Quæ etenim in Colonienſi noſtrâ bibliotheca Patris huius Bartholomæi ſcripta habemus manu exarata hæc ſunt: De paſſionibus animæ. De virtutibus. De ſeptẽ peccatis capitalibus. De Oratione. Oratio longa & deuota. Tractatus excitans ad de-

Scripta P. Bartholomæi Ruremund. quæ in Coloniẽſi Carthuſianor. bibliotheca m. ſ. adſeruantur.

uotè celebrandum. De excellētijs D. Virginis. De humilitate. De omnibus Sanctis. De fraterna correctione. Inſtructio quo pacto religioſus in publicis ſe habere tractatibus debeat. Liber collectaneorũ ex diuerſis SS. dictis. De auctoritate Concilij ſupra Papam. Sermones ſeptẽ vtiliſsimi de Obedientiâ, dilectione, humilitate, pęnitentia, oratione. De laudibus religioſorũ, obſeruationeq́; ſilentij. De non eſu carnium apud Ciſtercienſ. Fuit hic religioſus pater Traiecto ad Moſam oriũdus, obijtq́; Colonienſi in Cartuſia an. Dñi 1446. IV. Id. Iulij. Sub quo Ruræmundæ Dionyſius vixit Ryckelius: quo de ſequenti cap. agendum nobis erit.

CAP. VI. pag. 392. in medio [Hi libri propriũ ſyntagma deſiderãt.] Ipſemet Dionyſius cùm adhuc ſoſpes degeret, Elenchum librorũ à ſe editorum omniũ, aliorum rogatu conſcripſit: quem quidẽ P. Theodoricus Loheri⁹ adiecit ad vitã præfati Dionyſij, editam nimirum Coloniæ Vbiorũ apud Iaſparum Gennepæum an. Dñi 1532. Quam quidẽ, vtpotè non vtilitate dũtaxat proficuã, ſed & delectatione iucundam, haud longè poſt recudi, Deo benè volente, curabimus. Solus verò operum DIONYSII Catalogus ad duodecim ſeſe extendit folia, in forma octaui (vt librarij vocant) impreſſus: adeo vt longè copioſior ſit, quã is qui vel apud Trithemiũ, vel Poſſeuinum, alioſve paſſim reperitur. Ita vt propemodũ incredibile cenſeri poſſet, vnum hominẽ, maximè verò Cartuſianum, prolixo horariarũ precum officio, aliarumq́; priuatarum exercitationum ſtudio profeſſio-

feſsionis ratione obligatum, tot ac tantas quiuiſſe elaborare lucubrationes; niſi ipſe eas oculis conſpexiſſem meis, propriâ authoris manu exaratas.

CAP. VII. & ſequentibus enumerantur reuelationes aliquot, DIONYSIO cœlitus patefactæ, de quibus in eius vita, cuius nuper meminimus, copioſius pertractatur.

CAETERVM quia linea prima huius eiuſdē capit. 7. fit mentio feſti Hypapantis; videat Lector nominis huius rationē in NOTIS BARONII ad Martyrol. Roman. IV. Non. Febr.

Pag. 399. lin. 7. [Hanc viſionē videtur habuiſſe, quando Magnus Turcorū Imperator, &c.] Conſtantinopolitanæ Vrbis excidium atq; ad Mahometiſtum defectionem, celeberrimique nominis S. SOPHIAE templi prophanationem hiſce deſcribit verbis Nauclerus: a *Anno Domini* M.CCCC.LIII. *quarto Kalen. Iunius Conſtantinopolis ciuitas Orientis, columen & vnicum Græca ſapientia domicilium, à Mahumete Turco principe vltra* 50. *dies obſeſſa, expugnata eſt.* Vtrum verò talia illic deſignata ſint flagitia, qualia iam ante DIONYSIO diuinitus reuelata erant, ex ſequentibus quæ apud eundem reperiuntur authorem, liquido conſtat. b *In Conſtantinopoli namque,* inquit, *templum* SOPHIAE, *Iuſtiniani Cæſaris opus, toto Orbe famoſum, cui comparari alterum nequeat, nudatum ſacra ſuppellectili, ad omnes ſpurcitias patuit, oſſa Martyrum quæ fuerant illa in vrbe potiſsima, canibus ſuibusq; obiecta. Sanctorum imagines aut luto fœdatæ, aut ferro deletæ.*

a *Tom. 2. Chronographiæ Generat.* 49. *ad annum Domini* 1453.

b *Nauclerus ibidem fol.* 957.

Hoſce Mahumetanorū mores in Eccleſijs demoliendis ad vnguē imitantur noſtri æui Nouatores.

Altaria in templis ipſis diruta, aut lupanaria meretricum facta, aut equorum ſtabula, &c. Itaque vt aliqua huius famoſiſſimi Byzãtini templi apud Brabantos perpetua extaret memoria, cœpta eſt iſta tempeſtate haud procul à Buſcoducenſi Vrbe Carthuſia in honorem S. SOPHIAE ædificari, cuius vti noſter hic DIONYSIVS primus fuit moderator, ita eandem iam nunc regit V. P. Ioannes Stelant, vir non ſolùm natalium ſplendore generoſus, ſed & ingenij acumine, ac variarum cognitione linguarum, rerumque plurimarum experientia apprimè inſtructus.

CAP. XVI. pag. 420. Ioannes hic Hensbergenſis, Antiſtes Leodicenſis, quem Dionyſius ob ſuperbiam luxuriamq; grauiter à dæmonibus torqueri vidit, fuit iſtius Vrbis Epiſcopus 52. De quo ita Cratepolius. *a Ioannes Comes de Heynsberch ac Leuwenburch / vir valdè magnificus, anno Domini 1419. in Epiſcopum electus eſt, cùm eſſet annorũ 23. anno ſequenti ſacerdotio eſt initiatus. Ducentis equis albis magnificentiam ſuã oſtendit. In coronatione verò Frederici Imperat. Romani Aquiſgrani potentiam ſuã magnificentius declarauit.* Hæc ille: ſed ehu potentes potenter tormenta patiuntur, ſicuti euentus rei in hoc infœlici homine oſtendit.

a In Catal. Epiſcopor. Leodicenſ. Coloniæ in 8. an. 1578.

Sap. 6. 7.

CAP. XXIV. pag. 435. in medio. Ponitur hic tempus obitus Patris Dionyſij: quem conſtat vita functũ anno Domini ſeptuageſimo primo ſuprà milleſimũ quadringenteſimũ, ipſo nimirũ feſto, B. Gregorio Magno dicato. Quemadmodũ teſtatur non ſolũ Trithemius in Catalo-

Dionyſius Ryckelius quando obierit: nempe an. Domini 1471.

go, vo-

go, verùm etiã Theodoricus Loerius, qui eius vitã ac res geſtas inſigni opuſculo conſcripſit: in cuius calce ita habet. *In feſto igitur D. Gregorij* DIONYSIVS *virtutum ac meritorum plenus circa horam duodecimam ſuperatis humanæ vitæ miſerijs, ſanctam* DEO *animam reddidit anno Domini* M.CCCC.LXXI. *poſtquam in ordine Cartuſiano octo ſupra quadraginta annos Chriſto militauerat*, adeo vt plurimum hallucinatus ſit D. Ioannes Molanus, & qui eũ ſequuntur, ponentes obitum illius anno 1401. Ita namq; in Natalibus Sanctorum Belgij ait: *In feſto die S. Gregorij Pontificis, anno milleſimo qradringenteſimo primo, obijt* DIONYSIVS *de Leev, natus in Richel, vico Hasbaniæ: qui eruditione, ſanctitate & reuelationibus claruit in Cartuſia Ruræmundenſi* Qui quidem Hasbaniæ vicus in diæceſi Leodienſi cõſtitutus diſtat ab oppido S. Trudonis ſtadijs non minus viginti. a *Pag.* 49.

Defenditur Dionyſius à ſocordia negligentiaq;.

CAETERVM libet admirari neoterici cuiuſdam Theologi (cuius tamen nomini parco, ne perſonam inſectari videar) præceps de DIONYSIO noſtro iudicium; qui ſuo in Proœmio quod Malachiæ præfixit Prophetæ, non ſolum Dionyſium negligentiæ ſocordiæque arguit, ſed & Liranum alioſque nonnullos diuinarum literarum commentatores leui perſtringens brachio, quaſi in contemptum adducens; *Lirani*, inquit, *moralis expoſitio nõ placet doctis, ſubtilior mihi aliquanto videtur Cardinalis Hugonis. Sed breuior eſt, & ieiunior.* DIONYSIVS *Cartuſianus, qui feſtinatione multa ſcribendiq; nec in hiſtoriam, nec in allegoriam quidquam ac-*

curatius aut politius attulit. Sed ex eis quæ in Hieronymo, & in Lyrano videbat, vel quæ properanti ſine labore occurrebant, inelaboratos dictauit commentarios. Denique ex ijs quæ vel noſtra, vel Patrum, aut etiam auorum memoria floruerunt, neminem habeo (quod meminerim) quem poſſim hoc quidē loco nominare. Hæc quidem ille: qui vt proprìa attolleret, aliena maluit deprimere, quàm (quod ingenui eſt animi) per quos profecerit, agnoſcere. Porrò alij longè aliam de Dionyſio ferentes ſententiam, nō inuiti fatentur, cum in enodandis ſacrarum codicibus ſcripturarum eximiam ſanè ac ſedulam poſuiſſe operam. Vbi namque Scriptura eſt obſcurior, aut ſenſus abſtruſior (id quod in Prophetarum vaticinijs maximè vſu venit) ibi explicatiorem fuſioremque adhibet interpretationem. Enimuerò familiare hoc illi vbique eſt, quo intellectu difficiliora occurrant, eadem accuratiori ſtudio reddere clariora illuſtrioraque: nec vbi trepidant alij, in pleriſque ſcripturæ locis hærere Ipſe namque quadruplici ferè vbique ſenſu (quod rari præſtitere) ſcripturas elucidat. De quo eximius inſigniſque Colonienſis academiæ Theologus Ioannes Romberghius, Kirſpenſis, in diuinis litteris apprimè exercitatus eruditúſque, huiuſcemodi ante complures annos protulit ſententiam. *b Noueritis velim hæc ſuauiſſima* DIONYSII *ſcripta, quibus carmina diuini Vatis clara interpretatione in omnem Scripturarum ſenſum enucleauit, non ſine oblectatione animi me legiſſe. Porrò hoc mihi pecu-*

Sententia Doctoris Ioannes Romberg, de Dionyſio Cartuſiano.

b In epiſtola præfixa commentarijs Dionyſ. in Pſal. Coloniæ anno 1531. ditis.

peculiare videntur habere, quod non modò in-
tellectum inſtruant, & mores componant, ſed
affectum vehementer inflamment. Quàm e-
nim ad pietatem & deuotionem vltra omni-
genam rerum Theologicarum ſcientiam valeat,
vel is mihi teſtimonio erit, qui hac cœleſti
ambroſia, & diuino nectare abſque vllo faſti-
dio ſatiatus fuerit. Is ſiquidem facilè teſtabi-
tur in huiuſmodi Commentarijs, ſub cortice
plus latentis energiæ eſſe, & ſecretorum my-
ſteria & ſacramenta, quàm prima fronte in
ſpeciem proferant. Quinimò Thomas Bozius, *Itē Thomæ*
vix reuera doctiſſimus, ac magni nominis *Bozij, dicen-*
Theologus, audacter pronunciat, DIONY- *tis, vnum*
SIVM Cartuſianum inter eminentiſſimos *Dionyſium*
connumĕrandum Theologos, eſſeque inſtar *ſeptem ſum-*
omnium: quippe qui ſeptem vnus ſumma prę- *ma præſtitiſ-*
ſtitit, quæ ab vllo Catholicorum hucuſque *ſe.*
præſtita non videmus. *c* Primò namque *in* *c lib. 22. de*
ſingulos, inquit, *diuinæ ſcripturæ libros* ERV- *ſignis Eccleſ.*
DITA *compoſuit* COMMENTARIA, *quæ* *cap. 24. ſigno*
priſcis haud cedant. Secundò, *ſingulas quæ-* *51. pag. 1051.*
ſtiones ad Theologiam ſpectantes, argumentis I.
in vtramque partem doctiſſimè propoſitis diſpu- II.
tans, Commentarijs editis in ſententiarum li-
bros. Tertiò, *quidquid pertinet ad excolendos* III.
mores, omnium mortalium cuiuſcunque ſint il-
li conditionis, ſexus ac ſtatus, ſingulatim genera
illorum diſtinguens & informans, proprijs li-
bris eſt complexus. Quartò, *quæcunque perti-* IIII.
nentia ad contemplationem cœleſtium rerum
varijs operibus eſt diligentiſſimè & latiſſimè
perſecutus. Quintò, *aduerſus Sarracenos &* V.

alios.

alios quoſuis fidei hoſtes volumina ſua ſpeciatim
VI. *compoſuit*. Sextò, *homilias, vt vocant, edidit in feſtos Sanctorum dies, Euangeliorumque occurrentium lectiones*. Septimò,
VII. *Apocalypſin dedit in lucem, qua ſibi plurima diuinitus oſtenſa enarrat: & in his Germaniæ Septentrioniſque, quem nunc lugemus, infœliciſſimum caſum. Deceſſit autem tantus vir anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo primo. Quid igitur haud mirificè glorietur Germania* TANTO VIRO, *quantum ſanctimonia ſimul ornatum vix protulit vlla ætas, vlla gens ab Orbis ipſius fabricatione?* Hæc quidem Bozius, cumulans nimirum Dionyſium multò ampliori eruditionis ſanctitatiſq; præconio, quàm noſtrum quiſquam facilè eſſet auſus attentare. Quin & Romanæ ſedis antiſtes ac totius Chriſtiani ouilis Paſtor EVGENIVS IV. quando librorum Dionyſij quendam ſibi oblatum conſpexit, dixiſſe fertur: LAETETVR MATER ECCLESIA, QVAE TALEM HABET FILIVM. Vnde & doctiſſimus ille Cardinalis Nicolaus Cuſanus, eximiam illam eruditionem inſigni cum pietate coniunxiſſe animaduertens, è monaſterio abſtructum, ſocium ſibi legationis ſuæ aliquãdiu adhibuit. Vnde talem tantumq; virum & CARTVSIANA religio, & Eccleſia omnis Catholica, acceptũ referre meritò debet percelebri AGRIPPINENSI Academiæ: in qua Philoſophicis Theologiciſque ſtudijs præclarè imbutus, tantus euaſit, vt in Heremo etiam Cartuſiana intra anguſtæ cellę conſeptum deliteſcens, notus fieret orbi vniuerſo. Vti præclarè

Eugenij IV. Pontif. ſententia de Dionyſ. Cartuſ.

Item Nicolai Cuſani Cardinalis.

clarè nobis Cartuſianis omnibus inculcat V. Pater ARNOLDVS HAVENSIVS, Cartuſiæ Gandenſis Prior humaniſſimus; vir nimirum ob integritatem vitæ ac prudentiam ſingularem, aliaſque eximias animi dotes iſto officij genere digniſſimus: idque in illa prædulci atque eleganti exhortatione ſeu parenefi de obſeruantia diſciplinæ regularis, vitæque ſolitariæ commendatione: quam Coloniæ apud Bernhardum Gualtherium hoc eodem anno typis per me promulgari voluit.

VERVM ne Apologiam in DIONYSII defenſionem texuiſſe videar, miſſa libenter facio ea, quæ in illius commendationem apud Trithemium, Boetium, Poſſeuinum, Eiſengreinium, alioſque paſſim reperiuntur; contentus nimirum teſtimonio duorum noſtræ ætatis citra vllam controuerſiam præſtantiſſimorum doctiſſimorumque virorum. Quorum primus eſt Reuerend. P. Nicolaus Serarius, Societatis IESV Theologus perquã eximius: cuius equidem viri memoriam, ob varias quas edidit doctiſſimas lucrubrationes, inſignemq; animi demiſſionem, ſimul ac morum humanitatem nulla vnquam delebit obliuio. Hic igitur talis tantuſque vir accuratiſſimis ſuis in Tobiam Commentarijs, de peruigili DIONYSII noſtri ſtudio aſſiduoque labore ſermonem inſtituens; *d Fuit*, inquit, *Patrum memoria* VIR DOCTRINA AC SANCTITATE *præſtans* DIONYSIVS KICKELIVS. *Qui cum tam multa quanta ipſius in operibus videmus legeret, ſcriberet, parum* CARTVSIANO dig-

d In cap. 8. Tob. quæſt. 15. pag. 143.

dignam operam ſumere, ſuorum nonnullis videbatur. Quibus tamen ille tractatulo vnico reſpondet, multa in literarum bonarum ſtudio & cultu commoda ineſſe, hoc tamen vnum maximum, quod à carnis voluptatibus animum egregiè abſtrahant. Alter eſt R. D. AVBERTVS MIRAEVS, Antvverpienſis Eccleſiæ Scholaſticus digniſſimus; ad quem diligendum virtus ſingularis cum exquiſita tam diuinarum quàm humanarum rerum ſcientia coniuncta, magnoperè me trahit; maximè cùm non ſolùm ELOGIA illuſtrium Belgij Scriptorum magna cũ nominis ſui gloria in lucem protulerit, verùm nonnulla inſuper quæ ad Ordinis noſtri decorem ac commendationem faciunt etiamnum parturiat; adeò vt hoc nomine ſuſpiciendus ac amandus nobis ſit. Hic igitur dum ſuis in ELOGIIS authores illos per certas claſſium diſtinctiones eleganti orationis genere enumerat, qui Belgicâ ditione oriundi, orbem ſcriptis illuſtrauere, hoſce inter & DIONYSIO debitum adſignans locum, ita de eo ait: *e Tot tamque eximiæ virtutes nomen tuum* DIONYSII *commendant, vt difficilius ſit in tuis laudibus exitum, quam principium inuenire. Quid enim in te primum mirer? Singularemne vitæ* SANCTIMONIAM, *qua* DOCTOR *apud omnes audis* EXTATICVS? *an ſolertem illam in illuſtrandis vniuerſis Sacræ ſcripturæ libris induſtriam, laboremque inexhauſtum, quo alter penè Dydimus Chalcenterus plura poſteritati legenda reliquiſti, quam*

Item doctiſſimi Viri D. Auberti Miræi de eodem iudicium.

Prodierunt hæc Elogia Antvverpiæ in 8. apud Bellerum, anno. 1602. *e Decade* 4.

Dionyſius ſolerter & induſtriæ laborauit in illuſtrandis S. Scripturæ libris.

vt

Vt legere quidquam alienum inter tot diurnas nocturnaſque monaſticas exercitationes potuiſſe videaris: ac retrò plura legiſſe, quàm vt ſcribendi otium ſuppeditaret? An acerrimam illam ac propè diuinam ingenij vim, mentiſque aciem, qua DIONYSIVM *tuum* AREOPAGITAM, *obſcurum alijs atque inexplicabilem commentando planiorem reddidiſti? Vincit nimirum omne labor & ingenium*, &c.

Ergo alter meritò, ſuccenſa luce, Promethus.
Dixeris, hiſtoriæ Solq; iubarq; ſacræ.

PORRO quod huius extatici Doctoris ſcripta in lucem prodierint, Cartuſiæ Colonienſi, Diuæ Barbaræ in Vbijs ſacræ quàm maximè debetur, vti ex carmine D. Laurentij Pcm Nouiomagenſis, quod ſubiungimus, liquet: Hic enim Dionyſium à B. Barbara ſanctiſſimæ Dei genitrici cum codice oblatum introducens, ita Lectorem inſtruxit.

Qui geniclatur humi, DOCTOR *Dionyſius ille eſt,*
Cartuſiæ amplexus nomine req; ſtatum:
DOCTOR, *ab ecſtaſibus, quas pertulit ipſe frequentes,*
Haud ſanè immeritò dictus & ECSTATICVS.
Sed quæ virgo ſuis geniclantem amplectitur vlnis,
A dextris, & cui myſtica turris adeſt?

Quæ-

Quæque volumen, vti meditans, obtendit IESV
Eſt Cartuſiacæ ſumma patrona domus,
Agrippinatum celebri notiſſima in Vrbe:
Cui domui, primum quod datus Author hic eſt
In lucem, acceptum ſoli referatur oportet,
Hæc niſi enim egiſſet, fortè laterent adhuc.

B. Barbara eſt Cartuſiæ Colonienſis patrona.

Idem quoque author alijs verſibus poſteritati cõgratulans de operibus Ioannis Ruysbrochij, à Patre Laurentio Surio latinitate luceq; donatis, ita Agrippinenſem alloquitur Cartuſiam, vtpotè fertilem atque aſſiduam doctorum virorum alumnam.

Reperiuntur vltima pagina operum Ruysbrochij.

Euge beata Domus, ſic ſic nouitatibus horum
Nequaquam ſeculorum pergito ob-ire-viam.
Et ſimiles poſt hac itidem ſufferto labores,
Mercedem ſtudijs dignam habitura tuis.

Verùm hæc in DIONYSII dixiſſe defenſionem ſufficiat. Non enim panegyrim adornamus, non noſtra proferimus, non nouitia excogitamus: ſed quæ boni iudicij viri ſcriptis & olim & iam nunc typis promulgarunt, eadem ipſiſſimis eorum verbis poſteritati replicamus.

Tom. 2. Surij. 6. Febr.

CAP XXV. pag. 440. [à qua & roſam paradiſi pulcherrimã creditur accepiſſe.] Simile quid legitur in vita B. Dorotheæ Virginis, quæ cùm eſſet Theophilo cuidam cauſſarum patrono pollicita, ſe miſſuram ipſi ex ſponſi ſui paradiſo roſas malaque, mox poſtquam martyrij palmam foret adepta, promiſſo ſuo abundè

abũdè fecit ſatis. Verũ de hoc V. Patre Laurentio, eiuſque ſcriptis conſulendus erit Arnoldus Boſtius, quem proximis nundinis cum alijs nonnullis in lucem edere ſtatuimus. Item Petrus Sutor lib. 2. vitæ Cartuſ. tractat.3. ca.7.pag.578.

CAP. XXVII. pag. 444. Quid nam hic Gerardus Bredanus librorũ ad poſteros transmiſerit, vide apud eundem Sutorem, loco iam allegato, pag. 577. Sed & Anthonius Poſſeuinus in apparatu ſuo ponit, Gerardum quendam Cartuſianum, N. quem dicit Tractatum de Oratione conſcripſiſſe, eumque frequenter à Nauarro in Enchiridio de Oratione & horis Canonicis citari. Cæterum floruit iſto ſæculo & alius quidam in Belgio Gerardus Cartuſianus, patria Stredamus, qui cum eſſet domus Leodienſis Prior, nõnulla inſignia reliquit opuſcula, quæ à Trithemio, Boſtio, Poſſeuino, Eiſengreinio, nec non & Petro Sutore enumerantur. Verùm Stredamus hic obijt anno Domini 1443. ſub Eugenio Papa IV. Bredanus verò anno 1474. De quo ita præfato loco Sutor: a GERARDVS *de Breda multa ſacrarum literarum eruditione admirandus, vita ſanctimonia præclarus, dulcis eloquio, ſententijs plenus, tum lingua tum penna cunctis opem ferre ſtuduit. Singulos namque vt potuit adhortatus eſt ad benè, grauiter, caſtigateque viuendum, ad contemnenda fragilis fortunæ bona, ad virtutes æmulandas, ad ſuperna bona iugiter expetenda.*

a *Pag. 577.*

Scripta Gerard. Stredami.

da.Scripſit quoque præter alia multa, vitam Domini noſtri IESV Chriſti inſigni rithmo. De ſacro quoque corporis eius ſacramento ſuauiter complura modulatus eſt. Itidem ſuper Pſalmo *Exurgat Deus*, nobilem edidit tractatum.

CAP. XXVIII. pag. 445. linea quarta à fine. De litterarum monumentis ab hoc pio ac erudito Patre Guilielmo Apſelo relictis, conſulendus erit Arnoldus Boſtius, qui ea nominatim enumerat. Obijt verò eodem anno quo & P. Dionyſius Rickelius, nempe 1471.

a. *Lib.* 2. *vitæ Cartuſ. Tract.* 3. *cap.* 6. *pag.* 578.

CAP. XXXI. pag. 449. Henricus Loen, *a* ſicuti de eo ſcriptum reliquit Petrus Sutor, Theologus fuit percelebris, pietateque ac prudentia cum primis inſignis. Hic celebre illud Louanienſe pædagogium, quod à Porco nomen trahit, primum inſtituit, atque annis aliquot rexit. Scripſit verò eleganter in totum Pſalterium Dauidicum, in libros Ethicorum Ariſtotelis haud vulgaris eruditionis commentaria, & alia non pauca: de quibus conſule Boſtium ac Sutorem. Fatetur namque Boſtius ſe vidiſſe aliquando eum Priorem domus Gratiæ iuxta Bruxellas, & comperiſſe tam ædificatorio abundare ſermone, vt ſecundus ei necdum comparuiſſet. Hunc Poſſeuinus ac Sixtus Senenſis Henricū Longen nominant, dicuntque eum in Pſalterium ſcripſiſſe, obijt verò A. Domini. 1481.

CAP.

CAP. XXXV. pag. 461. in medio. De hoc Stephano Senenſi ita ſcribit Sutor *a*. *Stephanus de Senis pater memorabilis, cuius omnes (vt Boſtius refert) ſplendoris ac dignitatis plenæ fuerunt actiones, copioſam animarum meſſem horreis cœleſtibus intulit. Qui & modeſtia, temperantia, ac prudentia (quæ virtutum auriga eſt) ſemper ita vſus fuit, vt ab omnibus egregia eius virtus celebraretur.* a. *Lib. 2. vitæ Carthuſ. pag. 368.*

Pag. [Extat horum verborum ſua manu conſcriptus liber.] Hic Stephanus Cartuſiæ Ticinenſis Prior, ante Ordinis ingreſſum fuit Amanuenſis Beatæ Catharinæ Senenſis, qui ſacratiſſimæ huius Virginis operâ à ſeculi curis blanditijſque, ad ſanctioris vitæ propoſitum reuocatus, eius ex ore magnam Dialogorum, qui typis excuſi leguntur, partem excipiens, literis conſignauit, quemadmodum Dorlandus hic teſtatur; ipſeque etiam Petrus *b* Sutor, dum ait: *Scripſit autem inter reliqua præclarum opus de vita & moribus ſanctiſs. Virg. Catharinæ de Senis, quam Pius II. Pontifex Maximus canonizationis honore eſt dignatus.* b. *loco ſuperius in margine adſignato.*

Pag. 463. lin. 3. [Tempore ſchiſmatis extitit hic Dei ſeruus Generalis Prior. De hoc ſchiſmate diximus ſuperius ad caput 24. libri 4. Dorlandi: nempe non ſolùm in Romana Eccleſia magnam fuiſſe diſſenſionem ob nonnullos Pſeudopontifices, verùm etiam in Ordine Cartuſienſi nonnullam ex-

titiſſe animorum diſiunctionem, adeo vt ad annos triginta non ſatis inter Patres conueniret, qui cui adhærere vellent. Nonnulli etenim hunc Patrem Stephanum in totius Ordinis GENERALEM ſibi adſciuerant; alij verò, & maximè Hiſpani Bonifacio Ferrario, vtpote patria Valentino adhæreſcebant. De quo ita in antiquis Ordinis codicibus ſcriptum reperio. *D. Guilielmo* (fuit autem hic vigeſimus quartus Cartuſianorum Generalis) *qui noua Statuta compilauit, viam, vniuerſæ carnis fœliciter ingreſſo, Domnum CARTVSIAE regendam ſuſcepit D. Bonifacius Ferrarius, Decretorum Doctor ſolemnis. Euocatur autem à Benedicto XIII. durante ſchiſmate in Eccleſia & Ordine; dum pars, & non minor D. Stephanum † Priorem domus vallis S. Ioannis Baptiſtæ in Senis, tanquam Patrem Reuerendum* (hoc namque dignitatis titulo ſuum præcipuè Generalem Ordo condecorat) *haberet; & pars alia domni Maioris Cartuſiæ adhæreret. Sublato itaque ſchiſmate ab Eccleſia, laborauerunt etiam Patres Germanicæ nationis Ordinem vnire. Atque ideo cum præfato D. STEPHANO Cartuſiam maiorem intrantes, tractauerunt vt D. Bonifacius Prior Cartuſiæ abſens per literas; Dominus verò Stephanus Prior in Senis præſens viua vocis oraculo abſolutionem ab officijs peterent, & acciperent.* † *Quo facto vnanimiter præfecerunt Cartuſiæ D. Ioannem de Griſomonte, natione*

† *Forſitan ex Priore domus Ticinenſ. factus fuit præfectus huius Cartuſiæ: nam Dorlandus putat vnum eundemque fuiſſe.*

† *Factum eſt hoc in publico Generali*

tione Saxonem, virum verbis dulcem; moribus mitem ac manſuetum: Hæc ibi.

CAP. XXXVI. pag. 463. Huius Oſvvini Becani meminit Arnoldus Boſtius, dicens illum ex profeſſo Cartuſiæ Gandenſis (hæc autem vti olim ab hæreticis diruta fuit, ſic iam nunc in Vrbem translata, quotidiè magis magiſque adſurgit ſtudio ac induſtria Ven. Patris Domini ARNOLDI HAVENSII) deſignatum fuiſſe Priorem domus Diuionenſis, quæ totius Burgundicæ Prouinciæ longè eſt celeberrima; addens inſuper, nonnulla eum ſcripſiſſe in ius Canonicum, nec non & varios ſermones, epiſtolas inſigniter eruditas, vocans eum Goſvvinum. Cæterum de hoc eodem vide Petrum Sutorem lib. 2. trac. 3. cap. 7. pag. 568. vbi præclara ipſius reperitur commendatio.

capitulo, anno Domini 1410. celebrato.

Oſvvinus Becanus quis qualiſue fueri.

CAP. XXXVII. pag. 464. Albertus Leander, ex inſigni Dominicanorum Patrum familia vir eruditus æquè ac pius, in libro, quem edidit de deſcriptione Italiæ, ſcribit Venetos habuiſſe Epiſcopos numero quatuor & quinquaginta, hoc eſt vſque ad Laurentium Iuſtinianum. Quem deinde Pontifex Max. Eugenius IV. primum Venetiarum Patriarcham, ac Dalmatiæ Primatem proclamauit. Itaque quotquot huic in regimine ſucceſſere, Patriarchali nominis decore inſigniti fuerunt. Vnde noſtrum hunc ANTONIVM SVRIANVM (quem ipſe Syrianum vocitat) adſerit anno Domini † quarto ſupra mille-

† Dorlãdus putat fuiſſe Anno Domini. 150⁴

milleſimum quingenteſimum ad tantæ dignitatis apicem euectum, Patriarcharum fuiſſe octauum, ac Thomæ Donato, Prædicatorij Ordinis Monacho, in officio ſucceſſiſſe. De cuius litterarum monumentis ita in ſacro ſuo apparatu Poſſeuinus. ANTONIVS SVRIANVS *nobilis Venetus, & Patriarcha Venetiarum, Ordinis Cartuſiani, librum reliquit de interiori informatione, & alterum de vita contemplatiua. Alium item de ſolitudine.* De cuius obitu Dorlandus nihil ſcribere potuit, cùm morte anteuertiſſe eum crediderim; quippe cùm hic vita functus ſit A. Domini 1507. ille verò Venetis præfici cœperit triennio aut quadriennio ante. De quo tamen Venetum Patriarcharum chronologiam conſulas percupio.

CAP. XXIX. pag. 446. De hoc Hugone nihil vel apud Sutorem, vel alios noſtri Ordinis Scriptores reperio: licet Dorlandus dicat illum ex Monacho Egmundano Cartuſianum, ac demum etiam Montis Dei Priorem factum fuiſſe. Quod quidem Egmundanum Monaſterium apud Batauos Harlemum inter & Alckmariam olim conſtitutum (nunc quippe funditus exciſum eſt) non ſolùm cenſu opulentum, ſed & ditione amplum, atque antiquitate celeberrimum extitit.

CAP. XXXVIII. pag. 467. Hic iam author percenſet exempla aliquot illorum, qui degeneri conuerſatione ſacrum Cartuſi-

enſem

enſem Ordinem dedecorarunt potius, quàm vitæ probitate exornarunt: humiliter conteſtans Lectorem, vt inde potius ædificationis ſumat exemplum, quàm vt cum ſcandalo (quod paruulorum duntaxat eſt) ea vſurpet. Memor nimirum in ſanctiſſimo illo duodecim Apoſtolorum conſortio vnum extitiſſe Iudam, & inter ſeptem ab Apoſtolis deſignatos Diaconos, Nicolaum repertum Antiochænum, impuriſſimæ ſcilicet ſectæ inuentorem. Vnde pulchrè Gregorius: *Terrere*, inquit, *vos non debet, quod in Eccleſia & multi mali, & pauci ſint boni; quia arca in vndis diluuij, quæ huius Eccleſiæ typum geſſit, & ampla in inferioribus, & anguſta in inferioribus fuit. Sic in tritura areæ grana ſub paleis premuntur, ſic flores inter ſpinas oriuntur; & roſa quæ redolet, creſcit cum ſpina quæ pungit. Duos quippe filios habuit primus homo: vnus horum electus eſt, alter reprobatus fuit. Tres filios Noë arca continuit, ſed duo ex his electi ſunt, & vnus reprobus fuit. Duos Abraham filios habuit, ſed vnus electus eſt, alter reprobatus. Duodecim filios habuit Iacob, ſed ex his vnus per innocentiam venditus eſt, alij verò per malitiam venditores fratris fuerunt.* & cæt. quæ eleganter ibidem proſequitur. Quid igitur mirum ſi etiam in famoſa hac Cartuſianorum PP. familia nonnunquam homines reperiantur minus religiosè viuentes, atque à primo pietatis feruore reſilientes? Imò de hoc olim quidam hoſce luſit verſiculos:

Homil. 38. in Euang.

Præditus eſt tali genio Cartuſius Ordo,
Vt cito fucatos homines eliminet à ſe,
Inuitoſq́ue diu nulla ratione reſeruet,
Olla bona eſt ſpumis, quæ ſe vacuauerit vltrò.

a *lib. 4. Dial. cap. 55.*

CAP. XXXIX. pag. 470. lin. 8. [Pecunia tua tecum ſit in perditionem.] Eodem modo ob tres aureos nummos, Iuſtum Monachum iuſſit B. Gregorius (in ipſius quippe Monaſterio accidit) in ſterquilinium vna cum pecunijs proijci. Nec non & D. Hieronymus conſimile memorat exemplum, ſubiungens tandem: b *nec hoc crudeliter quiſpiam putet factum: Tantus quippe per totam AEgyptum terror inuaſit, vt vnum dimiſiſſe ſolidum, criminis ſit.* Dici quippe ſolet; Monachus habens obulum, non valet obulo.

b *epiſt. 22. ad Euſtoch. cap. 14. in fine.*

CAP. XLVIII. Appendicis quaſi loco ſubiungit iam auctor duo exempla, quorum vnum vti in Prædicatorum Ordine, ſic alterum in Cruciferorum accidiſſe commemorat. Qui quidem generalia ſua ſolent Capitula in diœceſi Leodienſi celebrare, in oppido nimirum Hoienſi, medio Namurcum inter & Leodium itinere, vbi ad Moſæ fluenta primarium ſui Ordinis habent Cœnobium.

Peroratio Auctoris.

HAEC habui, Lector humaniſsime, quæ rogatu plurimorũ ad CHRONICON DORLANDI adÿcerem. In quibus raptim concinnandis (neque enim paulò plus quàm bimeſtre habuimus) ſicuti feſtinandum magnoperè nobis fuit, ita confidimus pleriſque noſtri Ordinis Primatibus rem cordi futurã, vt quæ hic rudi ſunt incepta calamo, eà emendatius aliquando auctiuſquée ad Ordinis incrementum ornamentumq́ in lucem queant proferri. Quando nimirum quiſque ſuarum quibus præeſt Origines Cartuſiarum, ac ſubditorum ſuorum res per Orbem præclarè geſtas, liberali nobis manu communicare cœperit. Alioquin ad præſens vſque tempus nulla mihi Ordinis domus in ratione dati & accepti communicauit niſi ſola GANDAVENSIS. Cuius PRAEFECTVS, nempe Ven Pater ARNOLDVS HAVENSIVS, cum ſit vir literis tam diuinis quàm humanis egregiè excultus, ac literatorum hominum fautor integerrimus, raræ quadam ac præ-

clara hac eadem horâ ſuæ nobis tranſmiſit Cartuſiæ monumenta; digna profectò quæ meliori datâ òportunitate (hoc etenim momento quo hæc ſcribimus, librarij manum de tabula tollentes, nouiſſimum producunt folium) in lucem eant. Interim verò his fruere lector ac vale.

Omnia S. Romanæ Eccleſiæ, Ordiniſque cui me deuoui iudicio ac correctioni ſubmiſſa ſunto.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

Errata quæ irrepſerunt, ſic corrigantur.

PAg. 14. lin. 12. poſſent. p. 16. l. 2. ſuo. p. 17. lin. 2. à fine. *vt*. p. 18. l. 1. magnas. p. 24. l. 21. efficitur. p. 25. l. 23. ipſa. p. 40. lin. vlt. *dele*, in. p. 41. l. 10. omnium. p. 42. lin. 16. Dumque. p. 49. l. 17. *deeſt*, deſpero. p. 51. l. 5. tantum. Ibid. lin. 6. atrijs. p. 51. l. 21. faciebat. p. 53. l. 6. dedecore. p. 53. l. 23. magiſtra. p. 54. l. 7. *deeſt*, qui. ibid. l. 11. contemptibilium, pag. 54. lin. 17. *deeſt*, ei. pag. 55. l. 8. literatus. p. 55. li. 13. *deeſt*, ab. Ibid. l. 16. mouebantur. p. 56. l. 16. complurima. p. 57. lin. 12. prouenerant. p. 58. l. 13. gratanter. p. 58. 3. ſententia. p. 63. l. 7. abit. p. 63. l. 20. multa. p. 64. l. 22. exigat. pag. 70. l. 13. quidam. pag. 72. lin. 1. tuæ. pag. 76. lin. 12. in opus. pag. 76. lin. 22. erat. p. 91. lin. 7. ipſa. pag. 100. lin. 1. ſancti p. 100. lin. 26. Ciuis. p. 101. l. 16. rediens. pag. 104. lin. 20. roborabat. pag. 105. lin. 7. apprimè. pag. 106. lin. 4. quondam. pag. 107. lin. 24. tenacius. pag. 108. l. 21. abiectu. pag. 113. lin. 12. *dele*, in. Ibid. lin. 18. procidens. pag. 112. lin. 20. exiguas. pag. 118. lin 29. ſacramento. p. 119. l. 5. perditus. 121. l. 30. quia. p. 125. l. 16. miſeriam. p. 130. l. 25. ad. p. 147. lin. 20. Abbatis. p. 159. l. 14. *deeſt*, ob. p. 161. l. 2. negandum. p. 184. lin. 28. *dele*, eſt. p. 148. l. 6. Deo. p. 159. l. 22. arbore. p. 201. l. 28. ſermone. p. 204. l. 18. intuetur. p. 204. lin. 26. *deeſt*, per. p. 205. l. 26. execuiſſe. p. 207. lin. 15. infudit. p. 210. l. 19. *deeſt*, occidunt. pag. 211. l. 17. *dele*. Hinc factum eſt. p. 214. l. 4. à fine, ligneis. p. 227. l. 12. *deeſt*, vt. p. 235. lin. 5. à fine. *deeſt*, qui. p. 242. l. 14. frigoribus. p. 245. l. 26. euocari. p. 248. l. 17. *deeſt*, ad. p. 252. l. 9. inſtituitis p. 252. l. 2. ſolitus. p. 253. l. 10 egit. p. 254. lin. vlt. ludis. p 256. l. 10. muneraretur. Ibid. l. 7. trahens. p. 259. l. 3. vt. p. 261. l. 19. *dele*

89.*dele*, vt. p. 262. l. 3. *deeſt*, viguerit. p. 265. l. 18. erat p. 267. l. 12. collectos. p. 269 lin. 7. à fine, *deeſt* Florem. p. 272. l. 3. nate. p. 277. l. 20. ſperno. p. 286. l. 1. meminerint. p. 288. l. 12. *dele*, exuens. p. 291. l. 19. *deeſt*, cubitum. p. 292. l. 11 *deeſt*, à, & ibid. lin. 13. *deeſt*, aut. p. 292. l. 3. Miſſam. p. 293. l. 29. *dele*, vt. p. 304. l, 2. præconium. p 313. l. 18. ſonum. p. 319. l. 9. *deeſt*, ne. p. 326 l. 22. Hieronymo. p. 330. l. 3. *deeſt*, hunc vidit p. 340. l. 5. lenocinijs. p. 343. l. 14. qua. p. 440. l. 6. à fine, ſibimetipſi. p. 443. l. 3. Raſo. p. 344. l. 23. leuitate. p. 351. l. 1. renes. p. 374. l. 2. opitulator. p. 428. l. 5 narraturum. p. 460. l. 6. Valencenarũ. p. 381. l. 4. à fine, toti. p. 387. l. 17. raptus. p. 976. l. 10. à fine, ſacrarum Virg.

H.i.10.